Réimpression anastatique du N° 78/*Ar.12* = Scriptores arabici, series tertia. Tomus XVIII. Versio. — *Synaxarium Alexandrinum*, I. Interpretatus est I. FORGET. 1922.

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS
Vol. 78

SCRIPTORES ARABICI
TOMUS 12

SYNAXARIUM ALEXANDRINUM

I

INTERPRETATUS EST

IACOBUS FORGET

LOUVAIN
IMPRIMERIE ORIENTALISTE
L. DURBECQ
1953

RÉIMPRESSION ANASTATIQUE



PRAEFATIO

Cur haec translationis Synaxarii pars prior, ante annos prope decem typis mandari coepta, nunc demum in lucem prodeat publicam, in causa fuerunt turbida illa saevientis belli tempora et quae proxime subsecuta sunt, cum scriptoribus, tum editoribus adeo infesta.

Quae autem me in limine huius translationis fusius praefaturum promiseram (cf. textus tom. posteriorem, p. 310), de codicum scilicet, qui mihi ad textum arabicum edendum praesto fuerunt, numero, antiquitate, auctoritate, mutua habitudine, deque naevis quibus universi scatent; de ipsius Synaxarii usu et pretio; de rerum in id congestarum necessario delectu, siquidem, quod iam notaverat Ang. Maius, (*Scriptorum veterum nova collectio*, t. IV, p. 93) inibi reperiuntur et permulta scitu utilissima, et « aniles fabulae, anachronismi palmares », nomina propria perverse deformata ac deturpata, plurima denique vel inter se non satis consona et cohaerentia, immo absona prorsus atque absurda; haec, inquam, omnia et reliqua id genus. ad criticam, quam vocant, introductionem pertinentia, non possum nunc non omittere, postea, si Deus O. M. dederit et per ingravescentem aetatem licuerit, supplenda. Cuius sive dilationis sive omissionis culpa in vesanum barba-

rorum furorem conferenda, qui, anno 1914, cum, contra publicas foederum religiones, Belgarum fines invasissent et omnia ferro ignique vastarent, praeter antiquam nostrae Universitatis bibliothecam, meos quoque libros meaque adversaria universa flammis tradiderunt.

Quare plerisque scribendi subsidiis, quae mihi undique comparaveram, misere destituto satis fuerit pauca tantum in praesentia indicasse.

Et primo quidem id moneam necesse est, a me non sex solum manuscriptos codices, ut initio editionis arabicae, anno 1905, scripseram, sed octo adhibitos; ex quibus tamen cod. F (CXV et CXVI Biblioth. Florent. Palatinae) et cod. G (Paris. Arab. 4869 et 4870) mihi non innotuere nisi postquam textum arabicum coeperam in vulgus emittere; et hinc factum ut relationes bene multas, quas de sex prioribus anni mensibus G sibi proprias habet, post caeteras omnes tomo arab. priori inserere potuerim. In translatione latina ordinem vitarum seu relationum chronologicum restituere et sectari visum est. Primigenius vero textus aliquot narratiuncularum et fragmentorum, quem ad calcem translationis distuleram (cf. translat. pp. 8, 33, 87, 153, 160, etc.), frustra hoc in libro requireretur, apographis quae suppetebant nefando incendio deperditis.

Quoniam menda quaedam in translatione, et plura, etsi minutiora plerumque, in textu arabico typothetae exciderunt vel correctoris diligentiam fugerunt, horum syllogen brevem attexendam putavi, lectorem rogans ut quae peccata fuerant condonare velit et ex eorum emendatione utilitatem sibi capere.

Lovanii, kal. octobr. anni MDCCCCXXI.

I. F.

*In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius, cui gloria semper, perpetuo et in aeternum. Amen. p. 1.

Adiuvante atque auxilium benigne conferente Deo, — qui exaltetur! — priorem partem libri τοῦ Συναξαρίου, hoc est epitomes vitarum martyrum quotquot labente anno coluntur, angelorumque, apostolorum et sanctorum, describere incipimus. Opus ex iis constat quae collegerunt Anbā Michael, episcopus Meliğensis et Atribensis, aliique Patres sancti. Graece vocatur τὸ Συναξάριον, quod nomen arabice vertitur el-Ğāmiʿ (h. e., *summa*), exorditurque a mense tūt, primo nempe mensium anni coptici, in quem incidit aequinoctium autumnale, siquidem dies tunc duodecim horas complectuntur et deinceps usque ad mensis kīhak exitum breviores fiunt. Initium mensis tūt en-Naïrūz appellatur, quod est anni principium.

Mensis Tūt [1] dies primus.

Quoniam ab hac die exorditur annus Coptorum benedictus, ipsam efficiamus omni puritate atque munditia sanctam, opera abiiciamus vituperio digna, novaque et bona opera aggrediamur, de quibus Apostolus [2]: « Omnia in Christo innovata sunt; priora transierunt; ecce res factae sunt novae. Universa autem a Domino sunt, qui nos sibi per Christum reconciliavit et dedit nobis reconciliationis ministerium. » Dixit vero et Isaias propheta [3]: « Spiritus Domini super me; propterea unxit me, ut annunciarem captivis liberationem, caecis visum, ligatis dimissionem, et ut diem Domino Deo nostro acceptum, diemque retributionis praedicarem. » Dixitque propheta David [4]: « Benedic bonitate tua coronae huius anni, et per gratiam tuam adipe replebuntur omnes campi tui. »

Hac ipsa die, vir sanctus Iob, angeli Domini, Gabrielis, opera, lotus est aqua, liberatusque ab omnibus infirmitatibus suis; indeque orta est perpetua consuetudo qua, ineunte anno coptico, aqua nova benedictionis causa utuntur.

[1] Mensium copticorum nomina ubique exhibemus qualia in textu arabico prostant, non qualia in ipsa Coptitarum lingua sonarent. — [2] II *Cor.*, V, 17, 18. — [3] Is., LXI, 1 sq. — [4] *Ps.* LXV, 12.

p. 2. *Eadem die [1], dormitio sancti apostoli Bartholomaei, unius ex duodecim magnis ἀποστόλοις. Huic apostolo obtigit sors ut ad Oases [2] proficisceretur. Ad quas sese una cum Petro, apostolorum principe, conferens, incolis evangelium praedicavit, eosque ad Dei veri cognitionem adduxit, exhibitis prius prodigiis mirabilibus et portentis quae stuporem mentibus iniicerent, doloque adhibito ut in urbem admitteretur. Venumdatus quippe fuit servus a sancto Petro, et exinde coepit cum hero vineae excolendae operam dare: cuius quotiens ramos arundinibus aptabat, fructum illi statim edebant. Mortuum autem filium principis regionis illius apostolus oratione sua ad vitam revocavit; cumque id effecisset ut omnes fidem amplecterentur, ipsorum fidem in Deum roboravit et eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizavit. Tum, iubente Christo Domino, Berberorum regiones petiit, adiuncto comite Andrea discipulo, qui ipsi auxilium ferret; erant enim incolae civitatis illius pessimi, neque ullo miraculo vel prodigio ad fidem adduci potuerant. Praecepit itaque Dominus cuidam ex illis hominibus canum ore praeditis [3], qui caeteros homines devorant, ut discipulis se dicto audientem praeberet neque eis obsisteret quodcumque iniungentibus; quem secum assumpserunt, urbem illam adeuntes. Unde, cum ferae obviam discipulis missae fuissent, ipsos discerpturae, in eas insiluit monstrum cynocephalum, easque, earum capitibus dilaceratis, comedit, atque multos ex eiusdem civitatis incolis neci dedit. Quamobrem omnes, timore perculsi et ad discipulorum praedicationem conversi, iis obediverunt et fidem in Christum Dominum firme amplexi sunt. Quibus illi constituerunt sacerdotes et ecclesias aedificarunt; tum ab iis discesserunt. Ipse vero sanctus et nobilis Bartholomaeus se contulit ad regiones mari adiacentes, quae Deum non noverant, evangelioque inter incolas praedicato, eos ad Dei cognitionem ac fidem in Christum Dominum adductos hortatus est ut in eadem fide firmi perseverarent et opera ederent christianae professioni consona, imprimisque puritatem colerent atque castitatem. At rex Agrippa ('Agrības), de eius gestis certior factus, ei succensuit, iussitque eum, sacco pilis contexto inclusum, proiici in mare; quod et praestiterunt regii satellites; Bartholomaeusque martyrium et gloriosum agonem hac die benedicta consummavit, pace a Domino donatus. Amen.

[1] C... Vat. Borg. Lat. 109 adnotat: « Ex libro fabularum qui *Liber Apostolorum* nuncupatur. » — [2] De hac Aegypti Inferioris regione cf. *Edrisii Africa*, edit. Hartmann, p. 485; it. AMÉLINEAU, *Géographie de l'Égypte*, ...ocephalis » disseruerunt scriptores bene multi, q... (*Bibliographie arabe*, t. VII, p. 77).

Eadem die requievit sanctus pater Milius, urbis Alexandriae papa. Hic vir sanctus *anno decimo quinto imperatoris p. 3.
romani Domitiani (Domātyānūs), qui et Vespasianus (Bāsbāsyānūs [1]) nuncupatur, principatum accepit, et quidem triginta quinque annis post Domini nostri Iesu Christi ascensionem; gregem autem Christi sapientissime rexit, et sede duodecim annos potitus, in pace quievit.

Benedictio orationis eius nobiscum sit. Amen.

MENSIS TŪT DIES SECUNDUS.

Hodie sanctus praecursor et propheta magnus Ioannes Baptista, filius Zachariae sacerdotis, iussu Herodis regis martyrium subiit, et id quidem quia increpabat Ioannes propheta regem propter Herodiadem, fratris eius Philippi coniugem, quam sibi uxorem acceperat. Reprehendebat scilicet eum Ioannes, dicens [2]: « Non licet tibi accipere uxorem fratris tui. » Quare apprehensum sanctum Ioannem Herodes in carcerem coniecit; ipsum tamen observabat et reverebatur. Occurrente autem die natalis sui, apparavit convivium proceribus regni et principibus Galilaeae; cui adfuit filia fratris eius, publiceque ita saltavit ut rex, eius admiratione captus, promiserit se ei daturum quodcumque petiisset, ipsam etiam dimidiam regni sui partem. Egressa est itaque puella ad matrem, quae ei auctor fuit ut optaret sibi in disco dari caput Ioannis Baptistae. Quod audiens rex, tristitia affectus est; neque tamen, propter eos qui cum eo decumbebant, voluit rem detrectare, sed statim misso satellite caput sancti Ioannis abscidit deditque puellae, quae idem matri suae tradidit; factaque est illa die conturbatio magna, laetitia eorum in moerorem conversa. Sanctum vero caput ex illorum manibus avolavit, per aerem clamitans: « Non licet tibi accipere uxorem fratris tui. » Fertur id nunc asservari in regione Emisena (Ḥimṣ). Sacrum autem eiusdem corpus

[1] C: Wāsbāsyānūs. — [2] MATTH., XIV, 4.

a discipulis ablatum est et in sepulcro reconditum usque ad aetatem Athanasii apostolici, qua id ostensum Deus voluit.

Oratio eius nobis adsit. Amen.

Eadem die, martyrium Dasiae (Dāsyah) militis, ex incolis Tandae [1], qui ab Ariana, praefecto Antinoes ('Anṣinā), omni gravium tormentorum genere affectus est et, cervicibus tandem gladio abscissis, coronam martyrii obtinuit.

Oratio eius nobis adsit ad extremum usque halitum. Amen.

p. 4. *Mensis Tūt dies tertius.

Die huic respondente, congregatum est in urbem Alexandriam sanctum concilium, anno altero principatus sancti patris nostri patriarchae Dionysii. Causam autem cogendo concilio dederunt nonnulli qui in finibus Arabiae [2] apparuerant, asserentes animam cum corpore morituram et cum eo die resurrectionis suscitatum iri, libellumque ea de re scriptum ad plebem alexandrinam miserant. Quod postquam rescivit pater noster Dionysius, aegerrime tulit, eosque ab illa sententia abducere conatus est; quum autem monenti non paruissent, coacto adversus eos hoc concilio, eos ex Bibliis confutavit atque erroris manifesti convicit, illosque non resipiscentes nec ab opinionibus suis recedentes excommunicavit et anathematizavit, de iis insuper commentatione conscripta, cuius initium: « Ingens sane amor quo genus humanum prosequitur Deus ». In ea autem probat animam non morituram nec ullo modo perituram, sed mansuram et perduraturam quemadmodum permanent angeli ac daemones, quia, spiritualis quum sit, nec mutationi obnoxia est nec corruptioni; eam porro, statim ac e corpore egressa fuerit, in locum alium vel alium pro ratione meritorum ductum iri: et die resurrectionis, quando magna illa tuba clangente corpora universa e sepulcris excitabuntur, animas cum suis singulas corporibus coniunctum iri, cum iisdem donandas vel deliciis vel poenis animarum propriis, futurumque ut tum corpora tum animae in ea conditione ad quam pervenerint maneant neque in tota temporum aeternitate eam unquam mutent. Amen.

[1] C: Bīdā; G': Tīdā. — [2] B: « In finibus Arān »; C: « In Iliā »; F: « In diebus Arabiae ». Cf. *Severus Ben el-Moqaffa'*, ed. Seybold, editionis Beryt. p. 38, edit. Hamburg. p. 24.

Eadem die accidit ingens terrae motus in urbe Miṣr et el-Qāhirah et in plerisque regionibus aegyptiacis. Accidit hora diei tertia, eoque destructa sunt plurima aedificia, inter quae connumeratur ecclesia sita in insula illa quae extra Miṣr emergit, nomini praecelsi archangeli Michaelis dicata. Fertur etiam, viros moslemos et perversos a christianis vim quamdam nummorum argenteorum postulavisse et, repulsam passos, vespere eiusdem diei illam ecclesiam aggressos esse atque evertisse. Facta sunt haec anno nono patriarchatus patris nostri Macarii (Maqārah), annoque a sanctis martyribus octingentesimo vigesimo octavo [1].

Quorum intercessio nobis adsit.

*Mensis Tūt dies quartus. p. 5.

Hodie requievit pater sanctus Anbā Macarius (*Maqārah*), vir caelebs et virginea puritate insignis, urbis Alexandriae patriarcha. Qui a teneris annis fuerat Deo devotus, poenitentemque et solitariam degens vitam; dein vero ex consilio capessendi instituti monastici in Scetense (el-'Išqīṭ) Aegypti desertum [2] ascendit et in ecclesia sancti Macarii (Maqāryūs) voti compos factus est. Tum sese pietati et agoni spirituali tradidit, mentem exercens in legendis atque interpretandis sacris Scripturis et variis earum sensibus discernendis; et, virtute quum profecisset, in deserto sacerdos ordinatus est. Mortuo autem patre Michaele, ascendit ad desertum multitudo presbyterorum et episcoporum doctorum in saeculo degentium [3]. Qui in ecclesiam cum senioribus monachorum coenobia incolentium convenerunt et aliquamdiu morati sunt, inquirentes et sciscitantes quis aptus foret ad illud munus gerendum, donec suffragiis totius coetus ei praefectus est hic pater *Macarius* propter egregias dotes virtutesque quibus excellere ferebatur. Ipsum itaque, quamvis lamentantem atque rogantem ut sibi parcerent, vi tenuerunt et ligaverunt. Causabatur autem se, utpote mulieris in matrimonium iterato datae filium, indignum esse patriarchatu. At intellexerunt haec ab eo afferri ut sese subriperet; prodiit namque qui testaretur matrem eius virginem fuisse. Quare reluctantem

[1] I. e. an. Christi 1111-1112. — [2] B, C et D: « In Aegypti desertum ». — [3] Ex alio legendi modo: « ... doctorum ac piorum ».

apprehenderunt et secum ad urbem Alexandriam adductum patriarcham consecrarunt. Solemnis muneris ipsius inchoatio in ecclesia urbis Miṣr, quae Divae Virgini Mariae nuncupata et cui nomen Almoʿallaqah, graece, coptice et arabice pronuntiata est. Patriarcha constitutus, pietati et exercitiis asceticis plurimis se dedidit, quotidie et assidue incumbens muneri docendi et praedicandi, eleemosynas vero et opera misericordiae in egenos et pauperes ac miseros profundens. Quamdiu praefuit, nihil unquam attigit ex ecclesiarum facultatibus; verum quaecumque superessent ex bonis monasticis quae ipsi suppetebant, in honorem Dei — qui exaltetur! — impendebat. Vixit in patriarchatu annos septem supra viginti, et in pace quievit.

Oratio ipsius nobis adsit nosque tueatur. Amen.

Mensis Tūt dies quintus.

Hodie requievit sancta Sophia. Haec sancta ad ecclesiam p. 6. quamdam *cum mulieribus sibi vicinis et christianismum profitentibus ventitare consueverat. Unde et ipsa in Christum credidit, adiitque episcopum Manufi, a quo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius, baptizata, ecclesiam assidue frequentabat. Ipsam autem accusaverunt apud Claudium ('Aklūdīs) [1] praefectum quod baptizata esset. Arcessita igitur ab illo et ea de re interrogata, confessa est nec negavit quod contigerat. Quare eam saevis addixit tormentis, et primo quidem nervis boum contudit, tum, articulis corporis laminis candentibus adustis, suspendit, et quum ipsa interim alta voce clamaret: « Ego christiana », linguam ei praecidi iussit. Ad eam dein in carcerem reductam misit uxorem suam, quae, et blanditiis et pollicitationibus multis usa, nulla tamen arte quidquam profecit. Ideo praecepit praefectus ut gladii acie decollaretur; et tunc illa, praemissa longa oratione qua Deum rogavit ut regem et milites eius propter se ad meliorem frugem adduceret, cervices dedit lictori, qui caput abscidit. Purum atque venerandum corpus, pecunia multa a militibus redemptum, mulier christiana abstulit, involucris pretiosis involvit et in domo sua recondidit, ubi prodigiis plurimis claruit. Nam festo quoque die eius, videbat mulier splendidum

[1] D et G′: 'Aklūdyūs.

quoddam lumen corpori superfusum, quod simul odorem suavissimum efflabat. Postquam vero solio potitus est pius imperator Constantinus, de illis rebus certior factus, misit viros qui sanctum corpus in urbem Constantinopolim afferrent, et ei magnificam aedificavit ecclesiam, in qua idem reposuit.

Oratio eius (S. Sophiae) nobis adsit. Amen.

Eadem die [1] fuit (mors) sancti Mamae martyris. Vixit ea aetate qua solium obtinebat Auriānus [2], eratque (patria) regioni Aflatoniorum (el-'Aflāṭūniyīn) [3] finitimus. Parentes habuit christianos, qui propter fidem suam in carcerem conditi sunt. Iis nata haec proles tempore quo captivi tenebantur [4]. Cum autem in carcere mortem oppetiissent, beatum hunc (puerulum) mulier christiana assumptum sollicitissime educavit, eique nomen imposuit Mamae. Qui, aetatem annorum quindecim assecutus, molestiis et inimicitiis eo quod Christi assecla esset obnoxius fuit; et, baculo caesus, tum, gravi lapidum pondere ad collum alligato, apprehensus est et in fornacem ardentem missus, postquam iam feris fuerat obiectus, quae eidem nocere non ausae erant. Ex hac vita migravit tortoribus viscera eius tridente ferreo extrahentibus, et ita certamen suum complevit.

Ipsius preces nobis et omnibus qui baptismo renati sunt suffragentur. Amen.

Mensis Tūt dies sextus.

Hodie requievit magnus propheta Isaias, filius Amos, quem serra secavit Manasses, rex Israelis. Hic propheta munere suo prophetico functus est temporibus quinque regum, quorum haec sunt nomina: Ozias; Ioatham; Achaz; Ezechias, filius Achaz; Manasses, filius Ezechiae. Praedixit Achaz regi, Virginem concepturam et parituram filium, cui nomen futurum Emmanuel; hunc porro miserturum gentium easque ad lumen fidei in se

[1] Huius memoriae, quae, cum ab omnibus codicibus praeter unum absit, in editione nostra arabica omissa est, tenorem primigenium ad calcem huius voluminis amandamus. Ibi exhibebitur qualis in cod G′, fol. 6 *v*-7 *r* prostat, haud paucis, iisque manifestis, mendis corruptus. — [2] *Sic.* An *Aureliani* corruptio? — [3] Huius nominis alibi nusquam occurrentis vis certo definiri nequit. — [4] Haec sententiae interpretatio probabilissima, modo tamen فولد لهما, loco فولدهما, et اعتقالهما, loco اعتقاله, legatur.

adducturum et finem impositurum sacrificiis atque sacerdotio Iudaeorum, accepturum vero panis oblationes a sacerdotibus qui e *gentilibus eligantur* et constituantur. Prophetavit etiam temporibus Ezechiae, cuius cor roboravit, quum eum obsideret Sennacherib, rex Mausili, et cui praenunciavit regem gentilem, utpote in Deum blasphemum, ab hoc perditum iri. Et revera neci tradidit Deus illa nocte ex exercitu Sennacherib centum
p. 7. octoginta quinque millia *virorum, et eos qui superstites manserant in fugam coniecit. Et quando aegrotavit Ezechias, auctor ei fuit ut testamentum conderet, iamiam moriturus. At precibus ad Deum fusis ab Ezechia, huic misit Deus Isaiam prophetam, qui monuit, Deum vitam eius quindecim annis adauxisse, et edidit signa ad comprobandam praedictionis veritatem. Prophetavit etiam de ruina filiorum Israelis, praedicens nonnisi paucissimos ex iis credituros. Eo autem orante, quum siti premeretur populus, effecit Deus ut scaturiret aqua dulcis et optima, et quum iterum sitiret ipse, eduxit ei Deus fontem Siloe (Salwān). Prophetavit etiam temporibus Manasses, filii Ezechiae, qui cultum idolorum instauravit et prophetam hoc carpentem ac reprehendentem serra dissecuit. Prophetico autem munere annos plures quam septuaginta functus est, et Christi Domini adventum nongentis et tredecim annis praevertit.

Oratio eius nobis adsit. Amen.

Eadem die [1] fuit certamen sanctae martyris Bāslīliae, quae temporibus impii Diocletiani vixit. Hanc, quae christiana erat et novem annos nata, apprehenderunt, ac, manibus pedibusque ligatis, in ignem proiecerunt. Sed Dei virtute servata est incolumis. Ipsa orante fons aquae erupit, ex qua bibit, et dein animam in manus Domini tradidit. Eius preces nobis adsint. Amen.

Mensis Tūt dies septimus.

Hodie in insula Gangre requievit beatus pater Anbā Dioscorus, archiepiscopus urbis Alexandriae, postquam pro fide orthodoxa bonum certamen certavit. Vocatus scilicet, iubente Marciano imperatore, ad concilium, conspecta ingenti multi-

[1] Et haec memoria in uno cod. G' prostat. Cuius textum infra, in Appendice, videsis.

tudine, quae sexcentis sex et triginta episcopis constabat, interrogavit quidnam in recta fidei confessione desideraretur ut *coactum fuerit magnum illud concilium*. Cui responderunt, concilium procurante imperatore adunatum fuisse. Ipse autem dixit: « Si coactum sit hoc concilium ex sententia Christi Domini, in eo equidem sedebo et quae linguae meae ingesserit Deus proloquar; sin vero coactum fuerit ex sententia imperatoris, dirigat imperator ipse concilium suum prout libuerit. » Tum confutavit doctrinam epistolae Leonis, qui Christo post unionem duas naturas et duas voluntates tribuebat. Probavit igitur Christum unum esse, eumdemque qui et ad nuptias ut homo vocatus est et aquam in vinum ut Deus convertit, neque in ullo opere suo divisionem patitur; testemque adhibuit patrem Cyrillum dicentem, unionem Verbi Dei cum corpore similem esse unioni animae et corporis vel unioni ignis et ferri, quae cum fuerint ex duabus naturis diversis, per coniunctionem tamen fiunt natura una; eodem itaque modo Christum Dominum esse Christum unum, Dominum unum, naturam unam et voluntatem unam. Neque ausus est quisquam ex iis qui concilio aderant *ipsi contradi- p. 8.
cere; erant porro inter eos qui interfuerant synodo Ephesinae adversus Nestorium congregatae. Certiores autem fecerunt Marcianum imperatorem et Pulcheriam imperatricem, neminem obsistere iussioni eorum de fidei professione, nisi Dioscorum, patriarcham alexandrinum. Missis itaque nuntiis, imperator eum arcessivit, simulque quosdam ex praecipuis concilii episcopis, omnesque disceptationem inter se usque ad vesperam illius diei protraxerunt, nec sanctus Dioscorus de sententia motus est. Rem aegre tulerunt imperator et imperatrix, iussitque haec Dioscori os percuti atque pilos barbae eius evelli, quod et factum est. Collectos vero pilos et dentes ex ore suo avulsos ille Alexandriam misit, dicens: « Hic est fructus quo illustratur professio fidei. » Subinde, iis cognitis quae ei acciderant, caeteri episcopi, veriti ne sibi eadem quae illi fierent, imperatori consenserunt, et suis quisque subscriptionibus approbarunt sententiam de duabus naturis distinctis Christo vindicandis. Quod ubi rescivit Dioscorus, misit qui epistolam ab iis consignatam peteret, nuncians et se subscripturum; scripsit vero ad calcem anathema in illos et anathema in omnes quicumque rectam fidem desererent. Itaque iratus imperator iussit eum in

insulam Gangrensem relegari, et illuc eiectus est, unaque cum ipso Anbā Macarius (Maqārah), Atkonis ('Atkū) episcopus; duo alii aufugerunt; et ita in Concilio chalcedonensi remanserunt sexcenti duo et triginta episcopi. Postquam autem Dioscorus in illam regionem transvectus est, ab episcopo eiusdem nestoriano tot tantisque probris atque contumeliis affectus est ut enarrari non possint, donec edidit Deus per manus sancti viri prodigia et miracula, quibus moti omnes sese ei dicto audientes praebuerunt, ipsum venerati sunt et honore magis ac magis prosecuti, quia nimirum Deus electos suos ubique gloria donat. Dixit porro Anbā Macario Anbā Dioscorus: « Tibi parata est corona martyrii in civitate Alexandrina »; tum eum illuc cum quodam mercatore fideli misit; et cum Alexandriam pervenisset Macarius, martyrii palmam obtinuit. Et sanctus quidem Dioscorus, consummato egregio certamine, ex mundo hoc fluxo et vita vana translatus, in regno aeterno coronam confessorum consecutus est. Contigit dormitio eius in insula Gangre, ibique demortui corpus conditum est.

Ipsius orationes et intercessio custodiant nos in saecula saeculorum et in aeternitatem aeternitatum. Amen.

Eadem die, martyrio affecti sunt sancti Agatho ('Aġātā), Petrus, Ioannes, Amūn, Amūnā et eorum mater Rebecca (Rifqah). Oriundi erant hi ex tractu Mamuniae in ditione urbis Qoṣ. Eis apparuit Christus Dominus, praenuncians quae ipsis obventura essent, eos nempe coronam martyrii brevi consecuturos
p. 9. esse in Subra (Subrā), haud procul *ab urbe Alexandria, eorumque corpora ad huius fines, in regionem el-Buḥayrah, translatum iri. Qua visione gaudentes, sancti mane surrexerunt et pauperibus omnibusque egenis quaecumque possidebant distribuerunt. Erat autem Agatho ('Aġātū), frater eorum natu maximus, urbis patriae praefectus omnibusque carus. Hortante Rebecca matre et animum addente ad tormenta pro nomine Christi sustinenda, in civitatem Qoṣ se contulerunt et Christum — cui laus et gloria! — coram Dionysio militum duce confessi sunt. Qui eos acerbis affecit cruciatibus, exorsus a matre, quae patientem se et laetam exhibuit, ac ad quinque filios dein progressus. Et postquam, defatigatus, finem fecit eos torquendi, ei persuasum est ut illos ad urbem Alexandriam mitteret, ne seducerentur homines; martyres enim ab unoquoque diligebantur,

ac propter eos multitudo ingens in Christum — cui honor et laus! — crediderat, et coronas martyrii obtinuit. Tum eos Alexandriam ad Armenium ('Armānyūs) misit; eisdemque ad se adductis Armenius, Alexandriae dux, in vico cui nomen Subra commorans, cognita eorum causa, graves adhibuit cruciatus, carnes dilanians, eos in ollam et in equuleum proiiciens atque inversos crucifigens. In his omnibus Christus Dominus suos servavit a quavis labe incolumes, ita ut praefectus et qui eum circumstabant pudore suffunderentur, illeque tandem iuberet eorum capita gladio abscindi et corpora in mare demergi. Corpora igitur capitibus truncata naviculae imposuerunt in mare deiicienda. Deus autem angelum suum ad virum principem [1] ex tractu el-Buḥayrah in dioecesi Maṣīl misit, monens ut sanctorum martyrum corpora auferret. Qui princeps, magnopere gaudens et pergens ad locum in quo corpora sanctorum iacebant, magna pecuniae vi militibus oblata, sacra corpora accepit, eademque, audita voce quae dicebat: « Hoc martyrum purorum habitaculum », deposuit in ecclesia, ubi manserunt quamdiu perstitit persecutio. Dein revelata fuerunt et iis superstructa pulchra ecclesia, prodigiaque et miracula Dominus per illa ossa edidit; et hac nostra aetate eadem corpora ad urbem Samnuṭiam [2] translata sunt.

Intercessio eorum nobis adsit. Amen.

Eadem die requievit pater sanctus, purus atque egregius, Anbā Soterianus (Sūtaryānūs) [3], Gabalae (Ğabalah) episcopus. Benedictio orationis atque intercessionis eius nobis ad finem usque omnium saeculorum adsit. Amen.

*Eadem die requievit episcopus Gabalae Surianus [4]. Patre p. 10.
natus cui nomen Valerianus ('Ablāryānūs), exteram Atheniensium sapientiam didicit; tum Caesaream petens, huius scientias sibi comparavit; dein Romam reversus est, ubi disciplinis ecclesiasticis se dedit, paucisque annis omnes Veteris et Novi Testamenti libros memoriae mandavit. Postea, mortuis parentibus, qui magnas, imo innumerabiles divitias ei reliquerant,

[1] B ins.: « Ex incolis Naqrahā »; C ins.: « Ex incolis Taqrahā ». — [2] B: Sanmūṭyah; C: Sinbāṭ. — [3] B, D, F: Sūryānūs; C: Sawīryānūs. — [4] Haec constans cod. lectio, etsi Surianus non videtur alius esse ac Severianus.

has voluit Christo datas, ut sibi ab eo centuplum rependeretur, et hospitium aedificavit recipiendis peregrinis, egenis et pauperibus derelictis, eique procuratores praefecit qui illius reditus in usum pauperum colligerent; unde factum ut usque ad hanc nostram aetatem loca illa Suriani nomine nuncupentur. Patruus autem eius, qui praefectus erat urbis, eum apud Honorium imperatorem accusavit quod facultates suas dissipasset, dixissetque se illas Christo Domino largiri ut earumdem pretium, quale Christus in Evangelio suo promisit, reciperet. Quae omnia admiratus imperator, factus est ei amicus, praecepitque ne a se et ab aedibus suis recederet, sed ut secum veniret ad ecclesiam et noctem totam precibus impenderet; nam et ipse imperator iustus erat, qui vitae monasticae exercitia secreto aemulabatur et cilicio ex pilis confecto sub veste regia corpus tegebat. At patriarcha romanus sanctus Innocentius (Yūnākīdnyūs), divinitus admonitus Surianum hominibus plurimis praefuturum, ipsum reverentia et honore prosecutus est, optavitque ne ab eo separaretur; universisque carus evasit Surianus et fama eius ad Theodosium in urbe Constantinopoli regnantem pervenit. Itaque quum perspiceret se ab hominibus honorari, timens ne laboris sui fructum amitteret, consilium cepit clam egrediendi. Cui apparuit angelus Domini, praecipiens ut urbem Gabalam peteret, in qua multarum animarum regimen esset suscepturus. Nocte igitur, veste monachorum propria indutus, comitante Theodoro (Tādoros) discipulo, exiit; Deusque in eum effudit lucem aurorae similem, quae ipsi praeivit donec ad Gabalae montem perveniret. Erat autem ibi monasterium cui praeerat vir sanctus. Qui in visione de sancto Suriano certior factus, foras procedens eum excepit et quae viderat ei manifestavit, remque vehementer admiratus est Surianus. Huius historia delata est ad regem regionis illius et ad eum confluxerunt multitudines innumerabiles; imperator autem Theodosius quosdam praesules misit, quorum directione prospere agerent monasteria ab illo, postquam angelus Domini ei definivit locum in quo operaretur, fundata. Factus est *Surianus* consolator animabus multis, et per manus eius patravit Dominus miracula et prodigia, ex quibus haec sunt exempla. Filiam praefecti Gabalae invaserat
11. *daemon, qui patri illius dixit: « Si Surianum ex hoc loco

expuleris, et ego ex eodem egrediar. » Patri igitur ad se venienti, rem nuntianti et petenti filiae sanationem dedit sanctus chartulam in qua scripserat: « In nomine Iesu Christi ex puella quoque exibis » — Quum quidam ex Samaritanis aliisque una convenissent et in monasterium irruere meditarentur, in eos immisit Dominus tenebras, triduumque permanserunt nihil videntes, donec cum lacrymis multis sanctum precati sunt, qui eos liberavit. Item, si quis ex monachis qui ipsi suberant aegrotaret, benedictione ei impertita sanabat ipsum, singulosque eorum ita confortabat et erudiebat ut evaserint angelis similes. — Episcopus urbis, qui Philadelphus nuncupabatur, visione divinitus praemonitus, sanctum sibi successurum, universo populo exhortationem misit ut illum ad divinum regimen exercendum assumerent. Qui ex sententia imperatorum iustorum atque optimatum constitutus episcopus, impugnando Sektārem Iudaeum gregis gubernationem exorsus est. Erat scilicet in illa civitate vir quidam Iudaeus cui nomen Sektār, doctissimus, superbiensque ea quae ipsi inerat legis mosaicae cognitione, qui sanctum adiit et cum ipso disputavit, sed gratiam quae ex ore eius effluebat sustinere non potuit; tum Dominus visione *episcopo* praenunciavit virum illum gregi benedicto adscriptum iri. Sektār vero domum regressus, visione et ipse donatus est, qua loca cruciatuum acerborum contemplabatur, aderatque quidam qui dicebat: « Haec Iudaeos infideles et eos omnes manent qui in Christum Dominum non credunt. » Postridie, sanctum Surianum adiens, ad pedes eius procidit, rogavitque ut sese christianum efficeret. Qui rogantem cum tota ipsius familia baptizavit; et postquam resciverunt caeteri Iudaei suum antesignanum fidem christianam professum esse, crediderunt, baptismoque tincti, facti sunt christiani perinde ac si in christianismo nati fuissent. Similiter et secta alia magorum, qui Yanmūnṭānūs [1] appellabantur, sancto eos hortante ad fidem amplectendam, recusarunt; propria delusi arte, qua homini cuicumque ad se accedenti pulverem in faciem adspergebant ne quid videret. Tum sanctus Christum Dominum cum lacrymis oravit ut illos ad sacrum ovile adduceret, et Dominus eos,

[1] G': Yanmūbṭāmīs. Quaenam autem secta alterutro nomine veniat prorsus incertum.

christianis incolumibus, variis morbis affecit, illorum instar qui Aegyptios olim afflixerunt; quumque persuasum haberent rei causam eam esse quod sancto non paruissent, hunc adierunt, christianismo nomina dederunt, factaque est universa civitas grex unus. Clamavit autem Satanas et, specie assumpta senis veste dilacerata induti, vociferabatur: « Angustias undique experior: Aegyptus enim monachis sanctis scatet, *Roma Innocentium (Yūnākīdnūs) habet, et Constantinopolis, Ioannem Chrysostomum: atque hunc, qui reliquus erat, locum ecce Surianus a me sustulit. » — Scripserant Persae epistolam ad imperatores Theodosium et Arcadium de bello eis indicendo; epistolam isti ad sanctum miserunt: qua perlecta, animum eis, scilicet imperatoribus iustis Arcadio et Honorio, additurus, rescripsit: « Si Christi sumus et regnum nostrum ex Christo est, opus nobis non est sive armis, sive lanceis, sive viris. » Coepitque eis in memoriam singillatim revocare quaecumque regibus ante quadraginta dierum ieiunium fecisset Dominus: et ita Persae recesserunt. — In causa Ioannis Chrysostomi et imperatricis, convocatus sanctus cum universis episcopis imperatricem libere et aperte reprehendit, siquidem sanctus Ioannes nihil egerat exsilio dignum. Et quum monenti non pareret illa, in urbem suam reversus, tractatus multos, conciones et commentationes conscripsit, quae in Ecclesiae libros congestae hodieque asservantur. — Quum senuisset et aetatem attigisset centum annorum, decimo die antequam e corpore exiret, dignatus apparitione Domini ad egressum evocantis, concione exhortatoria ad populum habita, in Domino quievit. Mors eius Ioannis Chrysostomi mortem biennio praecessit; eodemque anno quo Chrysostomus, mortuus est et Epiphanius, Cypri episcopus. Sepultum est autem corpus beati Suriani prout decebat, cum cantibus sacris et divinis laudibus, illudque terrae mandarunt.

p. 12.

Oratio eius nobis adsit. Amen.

Mensis Tūt dies octavus.

Hodie, iussu Herodis regis, martyrio affectus est propheta sanctus et sacerdos Zacharias, Barachiae filius. Qui, quum verbis angeli Gabrielis, praedicentis nativitatem filii eius Ioannis Baptistae, fidem non adhibuisset, mutus factus est donec in lucem editus est puer, sed hoc edito locutus est, Deum glorificavit et filio Ioannis nomen scribens imposuit. Hic est de quo testatur sacrum Evangelium, ipsum eiusque uxorem iustos fuisse, incedentes via mandatorum Domini absque macula. Quando Christus natus est et magi ad eum adorandum … Herodes, conturbatus timensque regno suo, miss… omnes infantes Bethlehemitas a bimatu et infra occidit, sperans Christum Dominum *simul interfectum iri. Sed Iosepho … angelus Domini in visione apparuit, et Iosephus faber lignarius, secum acceptis Christo Domino et Maria matre eius, in Aegyptum aufugit. Ioannem vero assumpsit Elisabeth mater et, egressa ad montem, ibi sex annos commorata est, puero educando operam dans. Dein, ipsa mortua, remansit puer in deserto usque ad aetatem qua Israeli manifestaretur. Tempore autem stragis infantium, Herodes, suspicatus Ioannem esse Messiam, misit qui ipsum a patre Zacharia postularent … respondit, nescire se ubi esset sive puer sive mater eius, cu… minitanti mortem sese impavidum exhiberet, iussit ille eum a militibus occidi; et Zacharias inter templum et altare occisus …; corpusque eius Dominus abscondit; at sanguis obdurescens … lapis factus est. Quando autem ad ipsum, orationis et sacrificii offerendi causa, convenerunt populus atque sacerdotes, … eum pro more repererunt, ingressus quidam ex sacerd… ad altare, invenit sanguinem qui lapidis instar obduruerat, auditaque est vox in templo clamans: « Occisus est Zacharias, Barachiae filius, cuius sanguis clamabit donec ipsi adveniat ultor. » Hic porro Zacharias, filius Barachiae, non ille est qui inter duodecim prophetas minores connumeratur; iste enim alter non est interfectus, sed in regione Ūriānī[1] obiit, ibique repertum est corpus eius integrum et vulneris expers, cui ecclesiam aedificaverunt; illius vero prioris corpore non invento, sanguis argumento fuit illum esse interfectum. — Fertur etiam, Herodi infantes occidenti a viro Iudaeo dictum esse: « Zachariae natus est, providente Deo, filius, ab angelo praenunciatus, qui forsitan est Messias. » Itaque missi milites infantis occidendi gratia. Quibus dixit Zacharias: « Infantem equidem ex quodam loco a… ad quem mecum venientes, illum inde auferetis. » T… mitantibus in templum ingressus, puerulum super …

[1] Ita ex plerorumque codd. auctoritate; sed A: 'Utānī.

templi posuit, ubi praedictionem de eo acceperat; at angelus eumdem in desertum ez-Zīfānā [1] rapuit. Quum igitur puer non compareret, milites Zachariam patrem eius interemerunt; quam ob rem dixit Dominus Iudaeis [2]: « Super vos veniet sanguis Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare; » ac si diceret: « Cur occideretur vos in causa fuistis. » Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

Eadem die requievit Moses, propheta magnus, omnium prophetarum primogenitus. Hic propheta labores cum populo Dei in deserto pertulit et se ipse pro illo tradidit. Hic est qui prodigia et miracula in Aegypto et in Mari Rubro patravit; hic est qui vocari noluit filius filiae Pharaonis, quae ipsum educaverat postquam parentes eius eum in flumen proiecerant, ut praecepto Pharaonis obedirent, iubentis masculos ex infantibus
p. 14. Hebraeorum morti tradi. *Inventum autem in flumine filia Pharaonis sustulit et sibi perinde ac filium educavit. Qui, quadraginta annos natus, conspexit Aegyptium quemdam Hebraeo necem inferentem, et, poenas homicidii exacturus, Aegyptium interfecit. At postridie, quum vidisset duos rixantes et pacem inter eos conciliare conaretur, ipsi restitit qui iniuriam faciebat, dixitque [3]: « Numquid me vis interficere, quemadmodum heri illum Aegyptium interfecisti? » Aufugit propter verbum hoc in regionem Madianitarum, ibique uxorem duxit et duos liberos suscepit. Et postquam octoginta annos attigit, apparuit ei visio ignis in rubo, accedentemque ad intuendum allocutus est ex rubo Dominus atque praecepit ei ut populum e terra Aegypti educeret. Tum per eum Deus Aegyptios decem plagis affecit, quarum prima fuit conversio fluminis in sanguinem, et postrema, primogenitorum Aegypti occisio. Dein Israelitarum populum per Mare Rubrum divisum traiecit, aqua hostes eorum submergente, eis manna in deserto quadraginta annos demisit et aquam e petra dura elicitam propinavit. Sed, quamvis haec omnia ita se haberent, tamen contra eum murmurabant illi, eumque lapidare haud semel meditati sunt; ipse vero, in eos longanimis, ex magno quo eos prosequebatur amore Dominum pro eis sic precatus est [4]: « Nisi huius populi peccata dimi-

[1] B: ez-Zīfātā. — [2] MATTH., XXIII, 35. — [3] *Exod.*, II, 14. — [4] *Exod.*, XXXII, 32.

seris, ex libro tuo nomen meum deleto. » Eum testatur Scriptura cum Domino quingentis et septuaginta verbis, more hominis sermonem cum amico conferentis, collocutum esse. Gloria autem Domini ita resplenduit vultus eius, ut hunc velo operiret, ne morerentur quicumque ex filiis Israel ipsum respexissent. Quum ad aetatem pervenisset centum et viginti annorum, praecepit ei Dominus ut populum regendum committeret discipulo suo Iosue, filio Nun. Quem ad se arcessitum praecepta Domini Dei et leges eius edocuit, monuitque ab ipso, postquam foederis tabernaculum et omnia ipso includenda, prout praescripsit Dominus, perfecerit, populum in terram promissionis introductum iri. Mosis in monte mortui et sepulti corpus abscondit Dominus, ne inventum filii Israel adorarent; testatur enim Scriptura, nunquam inter Israelitas surrexisse prophetam huic prophetae Moysi similem. Voluit vero corpus illud manifestare Satanas; quem repulit et ab ea re prohibuit Michael archangelus, teste apostolo Iuda [1], filio Iacobi, in Epistolis catholicis. Moysem luxerunt filii Israel triginta dies.

Orationes huius prophetae Moysis nobis adsint. Amen.

*Eadem die martyrium passus est sanctus Dīmīdos [2]. Erat hic p. 15.
ex incolis Daršāni [3] intra fines dioecesis Danṭuae (Danṭū) [4]. Ecclesiam et pauperes diligebat, aegrotosque invisere consueverat. Apparuit ei angelus Domini, specie viri splendida luce circumdati, et e somno excitato praecepit, promissis praemiis caelestibus, ut ad consequendam coronam martyrii se conferret. Qui magnopere gaudens, parentibus relictis, e civitate egressus, Deumque precatus ut sibi adesset in tormentis pro eius nomine sustinendis, urbem Atrīb petiit, ubi, Christum confessus, magnis affectus est suppliciis. Tum eum in urbem Alexandriam ad Lucianum miserunt; quo dum navi veheretur, apparuit ei Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui consolatus est eum atque confortavit, requiem perpetuam pollicitus; unde gaudio magno repleta est anima illius. Lucianus autem eum variis addixit cruciatibus, tum iussit caput abscindi; et, sancto capite abscisso, Dīmīdos coronam martyrii in regno caelorum consecutus est, accedentesque incolae regionis eius corpus abstulerunt atque magnis honoribus coluerunt.

[1] *Iud.*, v. 9. — [2] B: Dīmidīs; E: Dīmūtīs; G′: Dīmās. — [3] B: Daršābah; C: Darsānah; G′: Daršānah. — [4] C: Tuah.

Orationes eius et benedictiones nobis in aeternum adsint. Amen.

MENSIS TŪT DIES NONUS.

Hodie martyrium subiit pater episcopus Anbā Bisūrah. Is erat episcopus civitatis Deo addictae Maşīliae (Maşīl), et, Diocletiano in christianos impie desaeviente, exoptavit hic sanctus sanguinem pro nomine Christi profundere. Convocatum igitur universum populum et coram altari adunatum hortatus est ut praecepta Domini servarent, et postremo certiores eos fecit sibi in animo esse sanguinem pro nomine Christi fundere. Itaque lacrymis prosecuti sunt eum omnes, tum iuniores, tum seniores, et dixerunt: « Cui nos derelinquis, pater? Per nos non licebit ut nos relinquas orphanos. » Eum igitur detinere voluerunt, sed non potuerunt; quare, ab eis dimissus, eos Christo commisit et discessit, illis eiulatu magno valedicentibus. Ei autem comites se adiunxerunt tres episcopi, nimirum Saḥūs [1], Qānālanğūs [2] et Theodorus (Tādaros): unaque omnes civitatem praefecti adierunt atque Christum confessi sunt. Acerbis cruciatibus eos addixit praefectus, praesertim cum sciret eos episcopos esse et patres christianorum; verum episcopi, Christo Domino eos confortante, egregiam fortitudinem ac patientiam exhibuerunt; et praefecto, postquam ipsum pertaesum est eos torquere, iubente, quattuor capita gladio percuti, obtinuerunt
p. 16. coronam *martyrii et ad vitam in regno coelorum perpetuo degendam translati sunt. Corpus sancti Bisūrae episcopi in Šibīn el-Qanāṭir [3] nunc iacet.

Universorum orationes nos ab hoste maligno custodiant et salvos praestent ad finem usque omnium saeculorum. Amen.

Eadem die, apud Graecos (er-Rūm), memoria miraculi quod Colossis, in urbe Phrygiae, contigit. Haec fuit eius occasio. Graecorum (Yūnāniyīn) quorumdam animis invidia subrepsit propter mira prodigia quae in templo praecelsi angeli Michaelis, principis exercituum coeli, fiebant. Quare consilium inierunt in templum deflectendi dirigendique amnem qui ei proximus praeterfluebat, ut, templo destructo, periret vir honoratus qui in eo habitabat. Apparuit autem princeps virtutum, divinus

[1] H: Sérğius. — [2] H: Qālanğius. — [3] B: Naschīl el-Qanāṭir.

angelus Michael, et Arsium ('Arsiūs) [1], inibi ministerii causa commorantem, ut bono fidentique animo esset hortatus, rupem virga quam manu tenebat percussam amni perviam effecit, qui deinceps et ad hanc usque aetatem illac effluxit.

Intercessio eius nobis adsit.

MENSIS TŪT DIES DECIMUS.

Hodie, ex computatione patris Macarii (Maqār) Magni et quibusdam computationibus Aegypti superioris, celebramus Nativitatem Dominae celsissimae Virginis Mariae, quae pridem ex Aegyptiorum sententia diei primae mensis bašons adscripta fuit.

Intercessio eius nobis et omnibus christianis fidelibus adsit. Amen.

Eadem die martyrio affecta est sancta Maṭrūnah [2]. Haec christiana erat, parentibus christianis progenita, et ancilla mulieris Iudaeae. Cui conviciabatur hera eius ut ad sectam iudaicam transiret, et cum non consentiret, eam propterea despiciebat illa, eique famulatum ac laborem aggravabat. Quadam die, hera ad Iudaeorum synagogam deducta, *Maṭrunah* reversa est et ingressa in ecclesiam christianorum. Postea dominae interroganti: « Quo perrexisti, templum nostrum non ingressa? » respondit sancta: « Synagoga vestra procul a Deo est, et Deus procul ab ea; quomodo igitur in eam ingrediar? Locus vero in quem *ingrediendum est, illa est Ecclesia quam Christus Do- p. 17.
minus sanguine suo mundo redemit. » Quamobrem irata domina eam dure verberavit et obscuro cubiculo inclusit, in quo et quattuor dies cibo ac potu carentem reliquit; tum inde eductam flagris magnum incutientibus dolorem iterum verberavit; dein ad carcerem reduxit, ubi mortua est. Demortuam accepit domina et cum ea ascendit in locum excelsum, unde eam deiecit, ut putaretur eam ex se cecidisse; verebatur enim ne praefecti concilium poenas a se peteret necis ancillae. At timore simul et ira Dei, e loco excelso in quo stabat in praeceps acta, pede lapsavit, ruit et mortua est atque in infernum aeternum detrusa. Sancta vero *famula* ad perennem felicitatem admissa est.

Huius intercessio nobis adsit. Amen.

[1] G': Arīsūs. — [2] C et G: Madrūnah; F: Baṭrūnah; H: Maẓrūnah.

Eadem die, commemoratio sanctae Iāsīnae (Yāsīn) [1] et trium liberorum eius.

Benedictio orationum cunctorum nos ad extremum usque halitum custodiat. Amen.

Mensis Tūt dies undecimus.

Hodie martyrio affectus est Basilidēs (Wāsīlīdōs), pater regum. Hic fuit administer et praefectus imperio Romanorum, eiusque nutu imperium dirigebatur. Erat ei magnus servorum et famulorum numerus. Tunc temporis solio potiebatur Numerius (Naūmāryūs) [2], et uxorem duxerat Basilidis sororem, Patriciam (el-Baṭrīqah), matrem Theodori Orientalis, quae ex illo Iustum edidit. Claudius ('Aklūdyūs) et Abādīr erant et ipsi filii sororum sancti Basilidis. Uxor Basilidis erat soror matris sancti Mār Victoris (Biqṭor), suscepitque Basilides duos filios quorum nomina Eusebius ('Ausābyūs) et Macarius. Cum accidisset ut Persae Romanos aggrederentur, ad bellum missi sunt Iustus, filius imperatoris, et Eusebius, filius Basilidis. Dein, ipso imperatore Numerio egresso ad pugnandum cum alia gente et inter praeliandum interfecto, remansit imperium vacuum, nemine prostante qui res eius moderaretur.

Porro ex militum multitudine assumpserant virum cui nomen 'Agarbīṭa, ex Aegypto superiore oriundum, caprarium, atque
p. 18. eum equariae imperii praefecerant, eratque *voluntate firma praeditus, in consiliis sui intrepidus. Hunc respexit quaedam ex filiabus imperatoriis, ei nupsit, eumque constituit imperatorem, et appellatus est Diocletianus. Qui deinde, ut idola coleret, Deum coeli dereliquit. His auditis, Basilides, magno moerore affectus, non iam rediit ad imperatoris ministerium. Cum autem dominus Iustus, filius imperatoris Numerii, et Eusebius, filius Basilidis, ex bello victoria parta reduces, viderent fidem ab imperatore abnegatam, vehementi ira incensi, strictis gladiis, volebant imperatorem infidelem Diocletianum interficere et solium possessori legitimo Iusto, filio imperatoris defuncti, vindicare. At illos ab ea re prohibuit Basilides; qui insuper congregatis militibus ac servis suis nunciavit sibi in animo esse sanguinem pro Christo — cui sit laus! — fundere. Illi vero unanimes

[1] B: Bāsīn; C: Yāstīnah. — [2] B: Tūmāriūs.

responderunt: « Quacumque morte mortuus fueris, eadem moriemur et nos tecum. » Unde omnes simul imperatorem adierunt. Qui sibi ab iis, utpote imperii possessoribus, magnopere timuit. Sed ei suasit Romanus, Victoris pater, ut illos in Aegyptum relegaret, tormentis illic afficiendos.

Itaque in varias provincias universos eiecit, una cum Abadiro, huiusque sorore Irene, Eusebio, Macario, Claudio et Victore. Theodorum autem Orientalem clavis arbori lebaḫ [1] affixit, et sic coronam martyrii in regno coelorum ille obtinuit. Ipsum Basilidem misit Africam ('Ifrīqyah), quae est ex Pentapoli occidentali, ad Māsūrum praefectum; qui, ipsum intuitus, miratus est ab eo imperium imperiique gloriam derelictam fuisse. Eumdem vero Christus Dominus, adlegato angelo, ad coelum per Spiritum Sanctum evexit, ubi sedes spiritales contemplatus est, anima nimirum eius a corpore seiuncta. Ad servos eius quod attinet, Basilides quosdam libertate donavit, quibusdam martyrium obeuntibus. Porro ipse gravia sustinuit tormenta, siquidem equuleis constrictus est, tum in cochlea rotata cui serra adhaerens suspensus, tum lecto ferreo impositus, et membra ipsius, pectinibus ferreis dilaniata, dein in aheno confrixa sunt, ac nullum denique omissum cruciatuum genus quod ei non infligeretur. Cum autem ex his omnibus nihil eius constantiam labefactaret, iussit praefectus sanctum ipsius caput abscindi, et, capite gladii acie abscisso, pro regno terreno cui valedixerat, martyrum coronam in regno coelesti consecutus est.

Oratio et benedictio eius nos custodiant. Amen.

Eadem die, memoria sancti Cornelii Centurionis. Hic fuit
tempore sanctis Apostolis aequalis, *eiusque vivendi ratio p. 19.
accepta erat Domino, quo jubente illi praescripsit angelus ut Petrum apostolum arcesseret atque ab eo quae necessaria erant audiret. Cum igitur eum adiisset Petrus et ei atque omnibus circumstantibus doctrinam Domini nostri praedicasset, credidit et baptismum suscepit. Tum ei commissum Ecclesiae Alexandrinae regimen. Quo devectus, urbem invenit idololatriae deditam; sed multos ex incolis baptizavit, eiusque opera fidem praefectus Demetrius cum universa familia amplexus est. Vitam

[1] De specie vel diversis arborum speciebus in quas nomen quadret non ita constat. Cf. Dozy, *Supplém. aux dict. arabes*, s. h. v.

totam apostolorum instar degit, primusque fuit qui ex gentibus ad christianismum accederet.

Oratio eius nobis adsit.

Eadem die, memoria sanctae Theodorae, quae Alexandriae commorata est. Haec, Zenoni imperatori aequalis, a quodam vitiata qui non erat ei matrimonio iunctus, vestimenta virilia secreto induit et, viri speciem prae se ferens, egressa est, indito sibi Theodoro (Tādoros) nomine. Tum vestem angelicam assumpsit et, cum ab universis intuentibus pro famulo haberetur, poenitentiae monasticae labores variasque molestias in vitae ratione instituenda pertulit, eo usque ut, rei cum muliere habitae accusata, e monasterio una cum infante expulsa, in deserto septennium cum eodem eiecta manserit, ubi a daemonibus tentationes plurimas et multiformes cruciatus perpessa est. Dein eam in monasterium denuo admiserunt et, brevi tempore interiecto, animam in manus Domini exhalavit atque gloriosi certaminis finem fecit, vitam cum sanctis consecuta.

Oratio eius nobis adsit.

Mensis Tūt dies duodecimus.

Hodie in civitatem ephesinam, anno vigesimo imperii Theodosii iunioris, filii Arcadii, filii Theodosii senioris, coactum est sanctum ducentorum episcoporum concilium, quod inter magna concilia tertium computatur. Congregatum est propter Nestorium, patriarcham constantinopolitanum, qui putabat, a sancta Domina Maria non Deum incarnatum editum in lucem, sed merum hominem, in quo deinde inhabitaverit Filius Dei, non inhabitatione unionis, sed inhabitatione voluntatis et arbitrii, ideoque Christo inesse duas naturas et duas personas.

Hanc igitur ob causam convenerunt Patres illi, et ea de re
p. 20. instituta disputatione cum Nestorio, *huic demonstraverunt, eum qui ex Virgine natus est Deum esse hominem factum, prout Mariae vere dixit angelus [1]: « Dominus tecum, et qui ex te nascetur sanctus atque Filius Dei excelsi vocabitur; » prout etiam dixit Isaias propheta [2]: « Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel », et alibi [3]: « Egredietur radix ex Iesse, et qui ex hac orietur spes erit populorum. »

[1] Luc., I, 28, 32. — [2] Is., VII, 14. — [3] Is., XI, 1.

Et idcirco Nestorium vituperavit pater noster Anbā Cyrillus, eumque docuit naturas post unionem non esse distinguendas, sed a nobis dicendum: Deo Verbo natura una incarnata. Cum autem ille sententiam suam non relinqueret nec ab impietate sua averteretur, ei comminati sunt pater Cyrillus et caeteri concilii Patres anathema, neque illis assentire voluit. Excommunicatum igitur a sede detruserunt, et definiverunt, a Virgine editum in lucem Deum Verbum incarnatum; tum in eodem concilio canones condiderunt qui ad hanc usque diem a fidelibus conservati sunt atque transmissi. Quod si obiiciatur, a Nestorianis idem hodie non dici, respondebimus illorum quosdam commixtione et familiari conversatione cum Iacobitis in Oriente et Syria a prava sua opinione partim abductos fuisse. Rogamus Dominum nostrum Iesum Christum ut, per sanctorum, iustorum et martyrum suorum intercessionem, ad viam salutis nos dirigat. Amen.

Eadem die celebramus membrorum sancti martyris Clementis ('Iqlimos) et sociorum eius martyrum translationem in urbem Alexandriam.

Orationes et benedictiones eorum nobis adsint. Amen.

Mensis Tūt dies decimus tertius.

Hodie commemoratio insignis prodigii quod patravit sanctus Basilius, episcopus Caesareae Cappadociae, in famulo qui filiam heri sui adamabat illiusque deperibat amore. Satanam nempe, generi nostro infensum, adierat adolescens per impium quemdam magum, qui ei chartulam conscripsit tradiditque, praecipiens ut sese ad sepulcra infidelium conferret et super unum ex iis media nocte staret, manum attollens in qua chartula. Quod praeceptum cum ab eo accepisset miser ille servus et staret, manu tenens chartulam, ad ipsum accessit unus daemonum et, apprehensa manu eius, eum adduxit ad Satanam, daemonum principem; qui, chartula sibi tradita, eundem interrogavit: « Credisne in me, o iuvenis, Christo tuo nuntium remittens neque ad illum reversurus postquam voti compos factus fueris? » Responditque miser: « Ita plane, domine mi. » Cui diabolus fallax et deceptor: « Firma chirographo te ita acturum. » Itaque dedit ille chirographum et, Christo Deo nostro abnegato, in Satanam inimicum nostrum credidit. Ab hoc autem

discessit corpore, eidem corde et anima iam devinctus. Tum
p. 21. amore eius incendit Satanas cor puellae, filiae *heri, quae, cum illius absentiam ferre non posset, desiderium patri aperuit, dicens: « Nisi me famulo illi in matrimonium collocaveris, me interficiam. » Patri res accidit gravis et molesta, et filiam cum lacrymis ad patientiam hortari coepit; at illa, nihilo pacatior effecta, maiore immo in famulum exaestuabat ardore atque cupidine, ita ut parentem coegerit timor ne filia vitae simul ac famae detrimentum pateretur, ad eam iuveni collocandam. Hanc igitur a patre accepit iuvenis ille atque in domum suam introduxit, et in ea amorem explevit libidinemque.

Postquam puella cum eo diu conversata est, patre et matre fletus gemitusque plurimos coram Deo illius causa fundentibus, ut sibi propitius fieret moerorique imponeret finem, eorum reapse misertus est Christus Dominus et preces obsecrationesque exaudivit. Mentem nimirum puellae excitavit Dominus Deus atque ei manifestum fecit, adolescentem quem adamaverat non esse christianum, neque enim illum unquam, toto tempore quo cum ipsa commoratus fuerat, aut ea conspiciente in ecclesiam ingressum fuisse, aut participem factum fuisse sacrorum mysteriorum, aut seipsum signavisse signo vivificae crucis. Quamobrem flevit illa, eamque magnopere poenituit. Quod postquam ab ea audivit adolescens, rem denegavit. At illa respondit: « Si quidem christianus sis et verba tua sint vera, ingressus mecum in ecclesiam, sacram communionem me adstante suscipe. » Cum igitur ipsum urgeret, ei enarravit quaecumque sibi propter eam evenissent. Cuius confessione audita, puella, flens super se ipsa et propriam miserata sortem, properavit ad Ecclesiae columnam ac lumen sanctum Basilium, episcopum urbis suae, eique omnia quae experta erat patefecit; lacrymata est coram eo et eum exoravit ut sibi opitularetur salutemque afferret. Quamobrem misit sanctus vir qui famulum arcesseret et ab eo percontatus est totum apostasiae ipsius eventum; dein eum interrogavit: « Cupisne iterum fieri christianus? » Qui amaro cum fletu respondit: « At unde hoc mihi [1], domine mi? » Tum cor eius confortavit sanctus, illum signaculo crucis signavit, loco quodam haud procul a se inclusit, et, certis iniunctis precibus quas per

[1] B: « At quisnam mihi, qui me *illuc* dirigat? »

triduum funderet, abiit, ipseque pro eo oravit. Triduo elapso, invisit eum, testatusque est iuvenis sese clamoribus et increpationibus daemonum vexari, qui chartulam manu sua subscriptam exhiberent et minarum causa intentarent. Terrorem eius sedavit sanctus, eum cibo donavit atque ad locum priorem reduxit; et, profectus, iterum pro eo oravit. Dein eum denuo invisit; cui ille: « Clamores quidem eorum audio, at illos non iam intueor. » Cibo igitur hac etiam vice donatum et verbis confortatum ad eundem locum tertio reduxit, et profectus
pro eo oravit. Elapsis quadraginta diebus, *ad eum rediit et p. 22.
sciscitatus est quomodo se haberet. Qui dixit: « Hac ipsa nocte te vidi cum Satana mei causa pugnantem ita ut eum devinceres. » Tum convocavit sanctus monachos coenobiorum et sacerdotes, et noctem totam orando pro eo transegerunt. Postero mane, iuvenem in ecclesiam arcessivit, adstantibus civitatis incolis; omnibusque praescripsit sanctus ut, sublatis manibus, conclamarent: « O Domine, miserere. » Quod et fecerunt; neque destiterunt a conclamando: « O Domine, miserere! » donec in mediam multitudinem decideret chirographum a iuvene scriptum et Satanae traditum. Quo aperto et coram universis recitato, sanctus iuveni benedixit, ad communionem admissum sacris refecit mysteriis et uxori reddidit, fausta quaeque ambobus precatus. Accepit igitur eum uxor et abierunt, salute sua atque venia peccatorum suorum gaudentes gestientesque, gratias agentes Deo et sancto patri Basilio, per cuius preces illud sibi praestitit Deus [1].

Benedictio orationis eius nobiscum sit et nos ab hoste maligno custodiat in aeternum. Amen.

Mensis Tūt dies decimus quartus.

Hodie requievit sanctus Agatho ('Aǵāṭā) Stylita. Erat hic ex urbe Tanis, eiusque parentes, iusti et timoris Dei pleni, eleemosynas libenter frequentabant et misericordiam exercebant in pauperes. Cor eius perpetuo invadebat cogitatio de vita religiosa. Nomen patris Maṭrā et nomen matris Maria. Annos natus triginta quinque, sacerdos ordinatus est, seseque ministerio

[1] B add.: « Dein ambo ad vitam monasticam ab eo (Basilio) admissi, salutem aeternam consecuti sunt. »

sanctae Ecclesiae addixit. Christum autem die nocteque precabatur ut sibi viam complanaret ad egressum ex hoc mundo ac liceret ad desertum transire.

Suppeditavit igitur ei Christus occasionem, qua usus exivit ex urbe et Mareotam (Maryūṭ) venit atque illinc desertum petiit. Et apparuit ei angelus Domini specie monachi, iterque cum eo per desertum fecit, quoad eum ad coenobium sancti patris Macarii magni deduxit. Ubi, cum ad ipsum venissent sancti senes Anbā Abrahamus et Georgius [1], factus horum discipulus, tres annos apud eos permansit; quibus elapsis, illum ante altare coram higumeno Anbā Iohanne statuerunt, et triduanis precibus benedixerunt vestibus quibus eum *dein* induerunt, stola angelica circumdantes; et ex illa hora sese adeo exercuit in actibus pietatis
p. 23. plurimis, in ieiuniis continuis, in orationibus perpetuis, *in nuda humo decumbendo, ut eius pellis ossibus adhaeserit. Erat insuper constans in legenda vita Simeonis Stylitae, cuius et imitandae zelo flagrabat. Incidit itaque in mentem eius cogitatio de perfecta solitudine sectanda et patres ea de re consuluit. Qui eius consilium approbaverunt. Unde, eorum benedictione accepta, ab iis discessit et ad agros Nilo adiacentes (er-Rīf) profectus, locum petiit e regionibus Saḫā, ubi in sacello quodam substitit; aedificaveruntque ei fideles columnam, quam conscendit.

Temporibus eius apparuit vir cui inerat daemon pervicax et homines multos seducens. Ille, media in ecclesia sedens, concionem habebat, et ad eum concurrebat plebs, eumque audiebant, gestantes secum arborum ramos. Misit igitur sanctus qui eum ad se adducerent, ei benedixit atque ab eo expulit influxum daemonis illius qui homines per eum tentabat. Simile quiddam accidit mulieri quae dictitabat: « Abū Mīnā me alloquitur », et qua vocante incolae regionis ipsius foderant puteum nomini sancti Abū Mīnae dicatum, ut quicumque in eo lavaretur, sanaretur a morbo suo; non desiit nempe sanctus preces in mulierem fundere donec spiritus immundus ab ea recederet; dein iussit puteum ab incolis regionis terra compleri. Alius etiam fuit qui, possessos a daemone apprehendens, eos verberibus afficiebat, ita ut Satanas eosdem ad breve tempus relin-

[1] B, C et G': « Cum sanctos senes Anbā Abrahamum et Georgium convenisset. »

queret. Cum itaque vulgo existimaretur, daemones eius iussu expelli, ad eum confluxit daemoniacorum multitudo. Quem missis nuntiis pluries admonuit pater; at ille non paruit nec iniquam agendi rationem dereliquit donec praefectus provinciae, illac transiens, ab istis daemoniacis contumelia affectus, illum idcirco apprehensum cruciatibus ad mortem usque vexavit. Alius, qui sacerdos et qui cum muliere ad fornicandum intra ecclesiam delapsus erat, paralysi dimidia membrorum parte captus est. Hunc igitur ad sanctum attulerunt; qui, adhibitis precibus, eum oleo unxit atque sanavit, conditione imposita ne sacerdotio per reliquum vitae tempus fungeretur.

Multas huiusmodi sanationes aegrotorum et infirmorum patravit sanctus ille. Ei apparuerunt daemones externo angelorum habitu, suavi melodia concinentes et felicitatem illi adprecantes, sed eorum fallacia per virtutem Christi agnita, signaculo crucis consignatos in fugam convertit. Quo autem tempore voluit Deus ei requiem ab huiusce mundi laboribus concessam, gravi morbo correptus, spiritum in manus Domini tradidit; convenitque ad eum multitudo populorum qui ex praedicationibus ac doctrinis eius utilitatem capiebant, et magnum fletum ediderunt qui, patre hoc egregio amisso, orphani facti erant. Fuit summa vitae eius centum annorum, ex quibus quadraginta in saeculo, in deserto decem, quinquaginta in perfecta solitudine degit.

Oratio eius nos custodiat. Amen.

*Mensis Ṭūt dies decimus quintus. p. 24.

Hodie translationem corporis sancti Stephani, archidiaconi et protomartyris, celebramus [1]. Quae translatio sic se habuit. Elapso ab obitu eius tempore diuturno, et quidem trecentis annis maiore, postquam solium obtinuit pius imperator Constantinus et fides in Christum Dominum divulgata fuit, in pago ubi venerandum corpus sepultum fuerat et qui Kefr Gamalielis (Ġamālyāl) appellabatur, haud procul ab Hierosolymis, viro qui Lucianus vocabatur in somnis pluries apparuit sanctus

[1] C add.: « Sunt autem qui huic diei martyrium eius adscribant. Quod qui praetulerit, martyrium e prima die mensis ṭubah legat et hanc *translationem* in primam mensis ṭubah diem reponat. »

Stephanus, locum *sepulcri* indicavit et proprium manifestavit nomen. Cum itaque se contulisset vir ille ad episcopum Hierosolymitanum et eum de re certiorem fecisset, surrexit episcopus et, assumptis secum duobus aliis episcopis et clero ecclesiae, locum adiit, fodit in eo, et tunc, magno terrae motu facto, apparuit arca qua sacrum corpus continebatur atque inde odor suavissimus diffusus est, simulque auditae voces angelorum laudantium Deum et dicentium: « Gloria in excelsis Deo, in terra pax et inter homines laetitia! » Quae ter [1] ita dicta fuere. Sese igitur prostraverunt principes sacerdotum coram arca qua purum corpus continebatur; tum illam cum cantibus et cereis usque in montem Sion detulerunt.

Postea vir cui nomem Alexander (el-'Iskandarūs), ex incolis urbis Constantinopolitanae, Hierosolymis pulchram aedificavit ecclesiam, ad quam sacrum corpus asportavit, et, annis quinque interiectis, obiit Alexander, quem uxor iuxta sepulcrum sancti deposuit. Transactis dein octo annis, contigit ut Alexandri uxor vellet Constantinopolim migrare et corpus mariti secum
p. 25. auferre. Venit igitur ad locum *et arcam qua corpus sancti Stephani inclusum assumpsit, existimans eam esse arcam qua coniux contineretur; quod Deo disponente factum est. Tum illud Ascalonem attulit, ubi navem ascendit, inde Constantinopolim navigatura; et, dum in medio mari versaretur, audire coepit cantus multos et Dei laudes ex arca erumpentes. Quod admirans, surrexit, et, arca attente considerata, agnovit eam esse in qua sancti corpus, intelligensque id Deo, cui sit laus! providente evenisse nec sibi licere reverti, Deo propter eam causam gratias egit. Nave Constantinopolim appulsa, adiit mulier imperatorem, eumque de re certiorem fecit. Itaque egressus est imperator una cum patriarcha, multitudine sacerdotum et populo civitatis, atque arcam suis humeris aedibus imperatoriis intulerunt. Per eam autem, tum in transvectione, tum in imperii palatio, Deus insignia miracula patravit, inter quae hoc connumeratur: dum lecticae impositam iugo mulorum deveherent, ventumque esset ad locum qui Constantinius (Qosṭanṭīnyūs) appellatur, in quo volebat sanctus se deponi, muli, etsi propellebantur, non iam progressi sunt,

[1] C: Decies.

cumque verberarentur, audita est vox alterius eorum, dicens: « Hic deponendum corpus sancti Stephani. » Unde, factum admirati, intellexerunt omnes qui audierant, ab illo qui asinae impuri Balaam loquendi facultatem tribuerat, eamdem et mulis corpus sancti vehentibus datam esse. Quare huic *sancto* iussit imperator ecclesiam aedificari, eique pulchram aedificarunt ecclesiam, in qua reposita gemma pura, corpus, *inquam*, sancti apostoli Stephani.

Benedictio orationum eius nobis adsit. Amen.

Eadem die, commemoratio patris nostri iusti Petri, ex Aṭrāvah oriundi. Hunc materno utero adhuc clausum Deo devoverant; et postquam mens ad maturitatem adolevit, se constanter exercuit in ieiunio et in perpetua oratione, seque addixit pietati haud exiguae, abstinendo ab omni cibo *ordinario*, nulla re praeter paucas herbas victitando, ac strenue aemulando eam vitae angelorum virtutem qua nullis alimentis utuntur. Unde meruit ut flumen cui nomen Ǧiḥūn plantis pedum non madefactis traiiceret. Corpus imposito gravi ferri pondere ita extenuabat ut umbrae quam homini similior factus sit; et postquam Domino se probavit enitendo in certamine spiritali, ad eum in pace translatus est.

Oratio eius nobis adsit.

*Mensis Tūt dies decimus sextus. p. 26.

Hodie celebramus consecrationem templorum resurrectionis in urbe Hierosolymitana. Sancta nempe imperatrix Helena, anno vigesimo regni filii eius Constantini, postquam iam habitum fuerat sacrum concilium Nicaenum, accepta multa pecunia, filio dixit: « Vovi me ituram ad sanctam resurrectionem [1] et lignum vivificae crucis quaesituram. » Ea re gaudens ille matrem magnis facultatibus atque muneribus plurimis donatam et militibus stipatam dimisit. Quae illuc adveniens, benedictione ex locis sanctis capessita, lignum crucis requisivit et gravi labore inventum magnifice honoravit insignibusque reverentiae significationibus prosecuta est. Tum iussit templa resurrectionis, Golgothae (el-Ǧalǧalah), Bethlehemi, speluncae, coenaculi, Gethsemani (el-Ǧismāniyah), et caetera templa exstrui, prae-

[1] *Sic.*

cepitque ut gemmis insertis, auro et argento ornarentur. Erat autem in nobili Hierosolymorum civitate sanctus episcopus qui ipsam ne illud faceret dehortatus est, dicens: « Mox venient gentes, quae hunc locum servituti subiicient, et evertetur vel auferetur quod feceris; quare tibi potius curandum ut decentia pro more aedificia exstruas, reliquam vero pecuniae partem pauperibus largiaris. » Hortanti obsecuta, eidem pecuniam multam tradidit et opus commisit. Cum dein, ad filium conversa, hunc certiorem fecisset de iis quae a se peracta fuissent, laetatus est et ad eam alias opes atque inspectores operum direxit, eam admonens ut integram operariis mercedem post singulos dies tribueret [1]. Tum, fine aedificandi facto, anno trigesimo regni Constantini, misit hic vasa vestesque pretiosas, eoque praescribente, patriarcha constantinopolitanus, assumptis episcopis suis, Athanasius, patriarcha alexandrinus, atque huius episcopi cum patriarcha antiocheno et patriarcha hierosolymitano convenerunt ut templa aedificata consecrarent. Omnes congregati sunt et simul permanserunt usque ad mensis tūt diem decimum sextum, templaque dedicaverunt [2]; et die decimo septimo eiusdem mensis, cruce per illa loca sancta circumlata, Domino ibi adorato, p. 27. *oblatis sacrificiis, cultu denique et honore cruci exhibito, dein ad suas sedes in pace reversi sunt. Illorum omnium orationes et benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis tūt dies decimus septimus.

Hodie commemoratio gloriosae crucis Domini nostri Iesu Christi. Illa est crux quam revelavit pia imperatrix Helena, mater Constantini, quando, mundato Golgothae (el-Ǧalǧalah) tumulo, eam invenit. Causa autem cur aggestus fuisset magnus ille tumulus haec erat. Cum ad sanctum sepulcrum miracula fierent, ita ut et mortui suscitarentur et sanarentur infirmi, vehementi ira commoti Iudaei, tum in universa Iudaea tum in urbe Hierosolymorum denuntiaverunt omnibus proprias aedes verrentibus vel sordes domi habentibus ne istas alio nisi in Iesu Nazareni sepulcrum proiicerent; et permansit ea rerum

[1] B et C add.: « Ne conquererentur illi et Deus sibi irasceretur. » — [2] De templorum dedicatione hoc in loco silet cod. B. Quod aptius conciliatur cum iis quae de eadem infra, ad diem 17um, occurrunt.

conditio annos ducentis plures, concrevitque tumulus ingens usque ad adventum Helenae imperatricis, quae Iudaeos quosdam apprehensos carcere inclusit donec sibi locum indicarent, crucem detexit et ecclesiam ei aedificavit dedicavitque. Festum porro eidem cruci die decimo septimo mensis tūt celebraverunt; per cuius occasionem coeperunt omnes populi christiani peregrinationem ad ecclesiam haud secus ac die festo resurrectionis instituere.

Accidit autem ut vir cui nomen Isaacus Samaritanus, ipsius comitante familia, iter faceret cum fidelium turma hisque exprobraret defatigationem, laborem susceptum et consilium pergendi ad lignum adorandum; et erat inter christianos sacerdos, vir sanctus et gratiae plenus, Euchîṭes (Auḫîṭes) [1] nuncupatus. Porro itineris partem emensi, cum sitirent, aquam non inveniebant; dein vero ad puteum venerunt, in quo aquam repererunt foetidam et amaram, et vehementer angebatur populus. Quare coepit Isaacus Samaritanus eos irridere; unde sacerdos, zelo divino excandescens, cum Isaaco Samaritano disputavit. Cui dixit Isaacus: « Si miraculum virtute crucis patratum intuitus fuero, in Christum credam. » Tum benedixit sacerdos aquae foetidae, quae facta est dulcis, ita ut ex ea biberent omnes homines et iumenta eorum. At Isaacus, cum sitivisset ipse et ad vasa sua venisset quibus eadem hausta erat aqua, hanc invenit vermibus scatentem atque amarissimam. *Itaque Isaacus Samaritanus, sacerdotem Euchîṭem lacrymans p. 28. convenit, procidit ante pedes eius venerabundus, in Christum Dominum credidit et ex aqua bibit; huic quippe ea indita erat virtus ut credentibus dulcis, non credentibus vero amara esset. In aqua etiam apparuit crux fulgida, et puteo ecclesiam superstruxerunt. Isaacus autem, Hierosolymam ingressus, episcopum adiit, et, veram confessus fidem, cum sua familia baptizatus est, sicque credentibus in Christum Dominum annumerati sunt.

Contigit ostensio crucis die decimo mensis barmahāt. Quoniam tamen eius festum ieiunii sacri tempore celebrare non licebat, illud diei dedicationis ecclesiae affixerunt, qui est

[1] B: 'Auḫîdes; C: 'Auǧîdes; G: 'Auḥîdes.

mensis tūt dies decimus septimus, idemque dies manifestati sepulcri vivifici.

Deo gloria sempiterna! Amen.

Eadem die requievit beata Theognosta. Vixit haec regnantibus duobus imperatoribus iustis Honorio et Arcadio. Quadam autem die, cum ad imperatores venissent regis Indiae legati, munera deferentes, dum reverterentur, hanc virginem Theognostam invenerunt manu tenentem librum, quem legebat, eamque rapuerunt et in suam regionem abduxerunt, ubi familiae et gynaeceo regis praefecta est.

Porro accidit ut regis filius gravissime aegrotaret; quem in ulnas suas illa accepit ac signaculo sanctae crucis signavit, et confestim sanatus est. Percrebuit rumor facti per illa loca, et deinceps non fuit apud eos Theognosta loco famulae, sed dominae. Accidit etiam ut regi, qui bellicam expeditionem susceperat, occurreret nebula pulverea atque obscura; quoniam autem signaculum crucis noverat, a sancta Theognosta edoctus, idem contra ventum delineavit, sicque serenitate redeunte, per virtutem Dei et crucis signaculum hostes devicit. Quare e bello reversus, ad pedes sanctae virginis venerabundus procidit, rogans eam ut sibi et regionis illius incolis sacri baptismi gratiam conferret. Quae iis respondit, non licere sibi ullum baptizare. Quamobrem viros ad Honorium imperatorem legaverunt, certiorem eum facientes de suo ad fidem accessu et orantes ut sacerdotem ad se mitteret, a quo baptizarentur. Misit ille ad eos sacerdotem, eremitam sanctum, qui eos omnes baptismo tinxit et corporis ac sanguinis Christi participes effecit. Gaudium magnum accepit virgo ex sacerdotis praesentia atque ab eo benedictione donata ei vicissim benedixit. Tum ei eiusque nomine nuncupa-
p. 29. tum aedificavit rex *monasterium, in quo habitavit Theognosta et cum ea virgines multae quae ipsam imitari gestiebant. Postquam vero ab eremita reduce didicit imperator incolas regionis ad fidem accessisse, magnopere laetatus est; dein ipsum sacerdotem eremitam assignavit iis episcopum et ad eos remisit, quo facto vehementer exsultaverunt animae illorum. Amplam autem ecclesiam exstruxerant et columnis indigebant, eratque ibi idolorum delubrum in quo pulcherrimae columnae; virgine itaque Christum cum magna lacrymarum vi precata, columnae e locis suis ad ecclesiam translatae sunt; unde fideles Deum

glorificaverunt, et qui hucusque in idololatria permanserant ad cognitionem Dei accesserunt et in Christum Dominum crediderunt. — Virgo in illo monasterio, caeteris virginibus circunstantibus, obiit.

Benedictio orationis eius nos servet et ab hoste maligno custodiat. Amen.

Mensis tūt dies decimus octavus.

Hodie festum sancti Mercurii (Marqūryūs) celebramus. Erat hic eques [1] et christianus prius fuerat [2]. Mortuo Constantio (Qosṭos), Constantini filio, successerat Iulianus apostata, quem sanctus Mercurius occidit [3] et qui, sorore Constantini natus, instauravit cultum idolorum multitudinemque fidelium martyrio affecit. Occurrente autem die natalis sui, instruxit iocos ludosque, et mimos congregavit, e quorum numero fuit hic sanctus. Cui praecepit imperator apostata ut sibi irridentis more christianorum instituta enarraret, et praecipienti ille enarravit; sed cum in narratione sua pervenisset ad sacrum baptismum depingendum et aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius, cruce signaret, oculis mentis eius a Domino illuminatis, gratiam divinam quae in aquam delapsa erat et

[1] Nominis raro occurrentis, خيّال, significatio haud dubia. Cf. Dozy, *Supplém. aux dict. arabes.* — [2] Catechumenus, ut videtur, qui tamen christianismi doctrinas et instituta satis calleret ad ea qualicumque modo exponenda atque irridenda. — [3] Interpretatio haec, quae alicui mira et vix non incredibilis videri possit, ad quam imo vitandam nonnulli a pervertenda unanimi codicum lectione haud refugerunt, egregie confirmatur atque explicatur iis quae de sancto Mercurio prostant tum ad diem 10um mensis hatūr, tum in appendice codicis G′ propria, ad diem eiusdem mensis 25um. Quoniam appendicem hanc, utpote mihi tunc nondum notam, suo loco in editionem arabicam inserere non contigit, partem eius praecipuam latine versam hic annecto, textu primigenio ad calcem hujus voluminis dilato. Est autem latine huiusmodi « Postquam martyrium subiit (Mercurius), temporibus Iuliani, imperatoris impii, qui christianos fideles persecutus est, illum sanctus Basilius enixe multumque rogavit ut ab isto imperatore poenas exigeret. Quare, cum Iulianus imperator ad bellum egressus esset, eum sanctus Mercurius, a Domino missus, lancea percussum ex equo, cui insidebat, deturbavit atque occidit. Qui, priusquam anima ipsum relinqueret, sanguinem suum palma manus exceptum in altum proiecit, dicens: Recipe, o Iesu, animam qua me donaveras. »

p. 30. lucem *quae eandem cooperuerat vidit; tumque sese in aquam ter immergens, ex ea mox egressus vestimentisque indutus, confessus est se esse christianum. Quare ab imperatore reprehensus est, qui et minas terroresque intentavit, et magnificas adiecit promissiones; at ille dicebat: « Ego christianus. » Imperator igitur iussit eum gladio decollari; et *sic*, capite abscisso, meruit martyrii donum, et beatitudinis coronam consecutus est.

Eius intercessio et benedictiones nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria Stephani sacerdotis, et Dicetae (Dīkīṭā [1]) martyris.

Amborum orationes nobis adsint nosque in aeternum custodiant. Amen.

Mensis Tūt dies decimus nonus.

Hodie commemoratio sancti Gregorii ('Aġrīġūryūs), Armeniorum patriarchae, qui absque sanguinis effusione martyr fuit. Is scilicet, in Armeniae regione, aetate Tiridatis (Ṭirdād) regis, qui infidelis erat, sese addixerat servum. Cum rex, in templum idolorum incensi adolendi causa ingrediens, vocavisset sanctum ut thus secum offerret, repulsam tulit. Recusantem igitur variis acerbisque tormentis, igne imprimis, cruciavit, et tandem in puteum vacuum deiecit, ubi Gregorius quindecim annos mansit. Erat autem iuxta regias aedes mulier vidua, aetate provectior, quae in visione nocturna quendam conspexit sibi dicentem: « Para et coque panem, quem in puteum proiicies »; perseveravitque in ea re facienda donec complerentur quindecim anni, usque ad tempus quo rex voluit virgines, nimirum sanctam Aribsīmam et Ġabātam (Ġabātā) atque harum socias, interficere, Gregorium vero e puteo eduxit. Caetera quae ad ipsum attinent reperies ad diem obitus eius, qui est dies mensis kīhak decimus quintus.

Intercessio eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis Tūt dies vigesimus.

Hodie requievit sanctus ac beatus pater Athanasius patriarcha, qui vigesimus octavus est in serie patrum patriarcharum civitatis Alexandrinae. Alexandriae commorabatur hic pater, et

[1] Melius forsan ex aliis codd.: « Nicetae » vel « Nikīṭā »; G: « Meliṭā ».

patre Petro vita functo, unanimi multorum episcoporum et principum consensu, *patriarcha consecratus est propter laudes quae p. 31. religioni et vitae eius vulgo tribuebantur; erat quippe vir bonus ac plenus fidei, et Spiritus sanctus in ipso habitabat. Consecratus autem patriarcha, gregem Christi optime rexit et praedicationibus, institutionibus, precibus, a luporum diabolicorum rapacitate tuitus est. Postquam sede patriarchali septem annos potitus erat, in pace quievit.

Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria sanctae virginis Malatinae. Cuius oratio nobis adsit. Amen.

Eadem die, commemoratio sanctae Theopistae (Tāwobistā). Haec sancta, matrimonio iuncta, filium unicum genuerat. Mortuo autem marito, iuvenili adhuc aetate florens, consilium concepit statum monasticum amplectendi, coepitque vitam spiritalem degere, ieiunio et orationibus continuis incumbens et sese prosternendi actus diu noctuque frequentans. Postremo adiit patrem episcopum Anbā Macarium (Maqārah), episcopum *urbis* Nikyūs, et ad pedes eius provoluta atque benedictione ab eo accepta, petiit ut se, adhibitis solitis precibus, schemate monastico donaret. Cui auctor fuit pater episcopus ut unius anni spatio sui experimentum faceret, pollicitus se deinde eam stola angelica induturum. Unde domum reversa, in augustum secessit cubiculum, cuius portam limo obturavit, relicta parva fenestra; filioque, duodecim annos tunc nato, providente quae corpori necessaria essent, totam se arduis pietatis et vitae monachicae exercitiis tradidit.

Anno autem transacto, pater episcopus, qui promissum de schemate illi sanctae feminae concedendo oblitus erat, eandem sanctam in somnis vidit maximo fulgentem splendore; quae dixit ei: « Pater, quomodo ad hoc usque tempus oblitus es mei, hac ipsa nocte moriturae? » Et mihi visus sum e somno surgere [1], preces benedictionis monacharum super eam persolvere, *eam habitu monastico induere; cumque cucullum non p. 32. invenirem, caput proprio cucullo exui, quem capiti illius imposui, sacrum schema ei circumdedi, et praecepi discipulo meo

[1] Sic in textu, mutata loquentis persona, ex improviso inducitur episcopus ipse res enarrans.

ut mihi alium afferret cucullum, quem indui. Porro manu tenebat Theopista crucem argenteam, quam mihi dedit, dicens: « Pater, crucem hanc ab alumna tua accipe. » Eodem igitur tempore a somno excitatus, in manu mea crucem reperi, cuius formam, quippe quae elegantissima erat, contemplatus atque admiratus, Deo gratias egi. Et mane facto, adii, discipulo comitante, domum illius mulieris benedictae, eiusque filium sedentem inveni. Qui, statim ac me aspexit, assurrexit et obviam mihi processit, et cum magnam profunderet lacrymarum vim, interrogavi: « Quaenam est causa fletus tui? » Respondit mihi: « Hac nocte media, vocavit me mater et, mihi valedicens, haec subiunxit: Fili mi, quidquid consilii tibi dederit pater noster episcopus exsequaris et noli illinc deflectere; equidem hac nocte moriar et ad Christum Dominum migrabo. Tum, mihi benedicens atque *iterum* valedicens, sic me affata est: Quaecumque tibi praescripsi serva, cave ne eadem negligas, et patri nostro episcopo dicto audiens esto. — Et en adsum coram te. »

Tum ad cellam sanctae progressus pater episcopus, pulsata ianua, nullum tulit responsum. Dixit igitur pater episcopus: « Vere obiit benedicta haec monacha. » Iussitque a discipulo suo portam destrui; quod factum est. Et ingressus pater episcopus sanctam feminam mortuam invenit; circumcincta autem erat stola angelica quam ei noctu in somnis induxerat, neque deerat cucullus ille quem ipsi imposuerat. Fudit itaque super eam lacrimas fervidas, Deumque laudavit atque glorificavit, qui sanctam suam voluntatem adimplet. Tum sedens pater episcopus eam puris suis manibus pro more monachorum sepelivit; et advocati ab eo sacerdotes illam ad sanctam ecclesiam detulerunt, ubi pro ea reverenter et honorifice oraverunt.

Erat autem in civitate vir infirmus et spiritibus malignis vexatus; qui, audito cantu sacerdotum sacrum corpus antegradientium, quamvis tunc temporis esset idolorum cultor, iussit sese a domesticis afferri ad eum locum in quo corpus sanctae mulieris. Cum igitur eum ad ecclesiam attulissent domestici, ipseque cum fide ad sacrum corpus accessisset, illico sanatus est, et, a Satana liberatus, surrexit et ambulabat incolumis; ac statim cum tota familia in Christum Dominum credidit, omnesque baptizavit pater episcopus. Quicumque

vero morbo vel infirmitate affligebantur venerunt ad sanctam ecclesiam, *et tangendo purum corpus sanati sunt universi. p. 33. Praefectus, certior factus de mirabilibus quae ex corpore illius sanctae prodibant, ecclesiam adiit, credidit in Christum ipse cum urbis incolis, et sacrum corpus magno cum honore extulit atque humo mandavit.

Domino autem nostro, praefecto salutis nostrae, Iesu Christo, gloria, sicut et Patri eius optimo ac Spiritui sancto, in aeternum! Amen.

Mensis Ṭūt dies vigesimus primus.

Hodie martyrio affecti sunt sanctus Cyprianus (Ġibryānūs) et Iustina. Erat Cyprianus magus impius, qui magiae artem in Occidente didicerat et omnibus occidentalibus praecellebat. Tum induxit eum superbia de propria scientia et magia ut Antiochiam proficisceretur, inquirendi gratia utrum huius urbis incolis esset maior quaedam scientia quam addisceret, secus gloriaturus tanquam ipsis doctior. Cum itaque Antiochiam advenisset et rumor de eo inibi percrebuisset, illum adesse rescivit adolescens ex filiis primorum civitatis, captus amore Iustinae, virginis christianae, quam ad ecclesiam euntem aspexerat et in quam exardescebat, qua vero nec pecuniarum cupiditate excitata, nec morte intentata, nec adhibita magica arte potiri potuerat. Cognito igitur Cypriani adventu, postquam audivit illum magia universis qui in mundo erant hominibus praecellere, eum adiit suumque statum conquestus est, sperans se illius opera consecuturum quod cupiebat. Cui Cyprianus, spem impletum iri pollicitus, omnes artis suae industrias in puellam adhibuit, nec tamen praevaluit ut eam vinceret. Quoties enim ad hanc quandam daemonum cohortem mitteret, eandem inveniebant orantem, neque coram ea consistere, nedum cum ea pugnare, poterant. Cum eum taederet incassum conari, advocatis daemonibus dixit: « Nisi Iustinam mihi praesentem exhibueritis, ad christianismum convertar. » Excogitavit itaque daemonum princeps technam qua eum deciperet, hanc nimirum ut, se agente, daemonum suorum aliquis habitu et forma Iustinae appareret et ad illum veniret; tum puellae adventum Cypriano praenunciavit. Qui dum laetus staret exspectans eam, ecce daemon, huic similis factus, ad ipsum accessit. Gestiens

Cyprianus, assurrexit eam amplexurus, et, prae magnitudine amoris quo eam prosequebatur, dixit: « Faustus sit adventus reginae mulierum Iustinae. » Huius autem nomine tantum enuntiato, daemon qui eiusdem similitudinem induxerat, in fumi speciem conversus, evanuit, foetidusque circumfusus est
p. 34. odor. Intellexit igitur Cyprianus hanc esse *Satanae technam, qui, nedum illam seducere, ne appellationem quidem nominis illius sustinere posset. Quare illico surgens, libris suis combustis, a patriarcha antiocheno primum baptizatus, tum instituto monastico adscriptus, moxque et diaconus et sacerdos ordinatus est. Postquam dein in virtute et scientiis ecclesiasticis profecit, creatus est carthaginiensis episcopus et sanctam Iustinam ad se vocatam monialium asceterio praefecit; ipse vero hic sanctus ex iis fuit qui sacro concilio Carthaginem coacto interfuerunt. At, fama utriusque ad se perlata, Decius imperator, ambos ad apostasiam et ad thus simulacris adolendum hortatus, renuentes acerbis cruciavit tormentis ac tandem acie gladii decollavit.

Eorum orationes nobis adsint. Amen.

Mensis Tūt dies vigesimus secundus.

Hodie requieverunt sanctus Cotylas (Kūtilas) huiusque soror Axua, filii Saporis regis Persarum, et Ṭāṭās, Cotylae amicus. Iste videlicet Sapor, ignis et solis cultui addictus, fideles plurimum cruciabat, ita ut nemo auderet in eius regno nomen Christi memorare. Et erat filio eius Cotylae amicus cui nomen Ṭāṭās, praefectus provinciae el-Mabdisiyīn [1], qui apud illum accusatus est quod religioni christianae adhaesisset; misitque rex legatum [2] Ṭumānsar nuncupatum, ut, facti veritate explorata et agnita, Christi discipulum tormentis afficeret. Qua re audita, Cotylas, regis filius, se contulit et ipse in illam provinciam ad amicum suum Ṭāṭam. Legatus, cum ad hunc advenisset eundemque comperisset esse christianum, iussit fornacem accendi qua ille combureretur; at sancto Ṭāṭa signaculo crucis ignem consignante, recessit hic et exstinctus est. Quod admiratus Cotylas Ṭāṭae dixit: « Unde nosti hanc magiam, frater? » Cui Ṭāṭās: « Hoc non ex magia, sed ex fide in Christum. » Tum Cotylas: « Idemne, si crediderim, faciam? » Respondit ille: « Maius quiddam facies. » Credidit itaque Cotylas, filius regis, in Christum, et ad ignem accedens, eum signavit signaculo crucis; qui *quindecim cubitis recessit. Scripsit igitur p. 35.
legatus epistulam ad regem, qua eum de his certiorem faceret, de iis nempe quae ad Ṭāṭam et Cotylam, filium eius, attinebant; et rex, omnibus arcessitis, Ṭāṭam quidem decollavit, qui ita martyrii coronam in regno caelorum consecutus est; filium vero variis affecit poenis, dein torquendum cuidam magistratui commisit. Ad adolescentem carcere inclusum venit soror Axua, quam miserat rex, tentaturus num ab ea cor fratris emolliretur; sed hic praedicationibus suis animam eius ad fidem flexit, tum eam ad sacerdotem latentem misit, a quo secreto baptizata, ad patrem reversa est, dicens: « Utinam iisdem bonis fruereris, quibus ego et frater! nullus enim Deus nisi Iesus Christus, filius Dei vivi. » Excandescens itaque rex, iussit eam torqueri donec in manus Christi Domini, quem amabat, animam exhalaret. Cotylam autem alligaverunt caudis equorum, quos per montes impulerunt, usquedum spiritum emitteret; ipsum dein, in tres partes divisum, in summum montem proiecerunt, a volucribus caeli comedendum. Sed postquam milites recesserunt, sancti sacerdotes et diaconus, Domino inspirante, noctu clam venerunt, ad sacrum corpus, quod velut nix splendebat, auferendum, et linteis pretiosis involutum in locum quendam abdiderunt ad finem usque temporis persecutionis.

Omnium intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die martyrium subiit sanctus Iulius Aqfāṣensis, scriptor vitarum martyrum, quem Christus suscitavit ut, de martyrum et sanctorum corporibus sollicitus, ea sepeliret et ad singulorum patrias mitteret. Conniventiam autem et indulgentiam cordibus principum infudit Dominus, ne quis verbum adversus illum proferret vel ipsum ad idololatriam adigeret, Deusque eum propter servos suos martyres custodivit. Cui erant trecenti famuli artis scribendi periti, conscribendis martyrum ac sanctorum vitis operam impendentes; ipse vero

[1] Ex aliis codd.: el-Masdisīn, vel: el-Mandisiyīn, vel: el-Madīdsiyīn... — [2] « 'Abīrḫas », nomen lexicographis ignotum, cuius interpretatio dubia, et de quo librarii ipsi dubii haeserunt. Suspicari forsan licet cognationem cum graeco ἔπαρχος vel ὕπαρχος, aut verisimilius cum ἀλαβάρχης, quae est vox graecitatis aegyptiacae propria.

martyribus et sanctis propria manu ministrabat et eorum vulnera curabat. Omnes porro, fausta precantium more, ei dicebant: « Oportet ut sanguis tuus pro nomine Christi fundatur utque numero martyrum accensearis. »

Ubi itaque finem cepit regnum Diocletiani et huic successit imperator pius Constantinus, voluit Christus numero martyrum Iulium, prout eidem praedixerant sancti, aggregare, praecepitque Dominus ut, in urbem Samannūd, ad praefectum Arca-
p. 36. nium, se conferens, Christum confiteretur. Quo facto, *multa subiit tormenta, Domino ipsum incolumem servante. Cum autem preces obsecrationesque coram Deo funderet, terra os suum aperuit et septuaginta simulacra cum centum et quadraginta sacerdotibus eorum servitio addictis, dum illa iubente praefecto ad sanctum afferre vellent ut iis thus adoleret, devoravit. Praefectus igitur, considerato deorum suorum et sacerdotum interitu, in Christum credidit; dein una cum sancto adiit praefectum atribensem, qui sanctum Iulium tot acerbis tormentis affecit ut numerari non possint, Christo Domino eundem excitante et praestante cuiusvis corruptionis expertem. Imo ter mortuum Christus Dominus ter suscitavit incolumem.

Quadam die, occurrente idolorum festo, delubra omni ornamentorum genere, lampadibus, imaginibus, ramis palmarum, decoraverunt, et portas clauserunt ea mente ut postridie venirent ad solemnitatem peragendam. Sed sancto orante, angelus a Domino missus idolorum capita praecidit, facies eorum cinere denigravit, ramosque et omnem templi supellectilem incendit. Incolae autem mane advenientes, pretiosis induti vestibus, ad festum celebrandum, cum ruinam hanc conspicerent, idolorum infirmitatem intellexerunt; et in Christum credidit praefectus urbis Atrīb, simulque ingens atque innumerabilis multitudo. Inde iterum profectus est sanctus Ṭamuah [1], comitantibus praefectis Samannūd et Atrīb, atque Alexandrum, praefectum Ṭuah, convenit; cui, cum nollet eum torquere aut poenis afficere, sancto iubente, huius pueri, gladiis in illum strictis, ita minati sunt: « Nisi nos condemnaveris, te interficiemus; » praecepitque sanctus spiritui immundo ut illum vexaret donec suam suorumque condemnationem scriberet. Decollati igitur sunt acie

[1] Ex al. codd., quorum lectionem et noster infra sequitur: Ṭuah.

gladii sanctus Iulius, Theodorus (Tādoros) filius, huius frater Iunias [1] et servi, itemque praefectus Samannūd et praefectus Atrīb; magna insuper multitudo, cuius numerus mille et quingenti viri, martyrio cum sancto Iulio affecta est. Corpus autem Iulii, haud secus ac duorum filiorum, Alexandriam transtulerunt, quoniam ille erat ex incolis eius, quamvis genere et origine aqfaṣensis.

Oratio eius nobiscum. Amen.

Mensis Tūt dies vigesimus tertius.

Hodie martyrium subierunt Eunātius ('Unātyūs [2]) et Andreas. Hi duo sancti, *qui erant ex filiis magnatum Lyddae, inter se p. 37.
a teneris annis arctissime devincti, vitam monasticam in quodam Syriae monasterio amplexi sunt. Dein sanctum et illustrem virum, Abū [3] Macarium (Maqār) Magnum, adierunt, eique discipuli facti, cum eo commorati sunt, eius directioni subiacentes; sicque triennium manserunt, orationibus atque ieiuniis cum humilitate et caritate dediti, ita ut eorum fama, ascesis et scientia late celebrarentur. Quare Eunātius electus est episcopus, Andreasque sacerdotio insignitus, et ambo gregem Christi optime rexerunt, animas et corpora sua laboribus animae et corporis devoventes. De quibus certior factus, imperator Iulianus apostata eos arcessivit et ab eis expostulavit ut, relicta fide christiana, ad pravam idololatrarum religionem transirent; abnuentesque diversis atque exquisitissimis tormentis cruciavit, et ita animas tradiderunt in manus Christi Domini, qui tres eis contulit coronas: coronam quidem propter vitam monasticam, devotionem, ascesim et reliquum certamen spiritale; coronam quoque propter regimen, sacerdotium et gregis a lupis diabolicis tuitionem; coronam denique propter martyrium et sanguinis pro fide christiana effusionem.

Orationes et benedictiones eorum nobis adsint. Amen.

[1] Ex al. codd.: Yūtyās, vel: Yūqyās, vel: Mātyūs. — [2] Vel: 'Awnātyūs; ex al. codd.: 'Utānyūs, 'Utātyūs, 'Unānyūs, vel Wanānyānūs. — [3] 'Abū, quod tantundem valet atque Anbā seu pater, vocabulum est quod certis quibusdam monachorum vel sacerdotum nominibus propriis honoris causa tam constanter praemitti consuevit, ut vix unquam vel omitti iis incolumibus, vel imo in peregrinam linguam transferri posse videatur. Quare visum est idem quale in textu primigenio prostat ubique referre.

Eadem die, commemoratio sanctae martyris Theclae. Cuius oratio nobis adsit. Amen.

Eadem die, aperta est ecclesia divae Virginis in vico *urbis* el-Qāhirah, cui nomen a Graecis (er-Rūm), anno martyrum millesimo vigesimo septimo, postquam annos undecim cum dimidio clausa fuerat. Virginis intercessio nobis adsit.

MENSIS TŪT DIES VIGESIMUS QUARTUS.

Hodie requievit pater Gregorius ('Aġrīġūryūs) monachus. Erat hic ex regionibus Aegypti superioris oriundus, filius parentum christianorum, qui, opibus et divitiis abundantes, iustique et boni, filium Gregorium omni mentis et corporis cultu educaverunt, metaphysicam et medicinam edocuerunt, et dein, cum scientia ecclesiastica emineret, obtulerunt ei qui suae urbi praeerat episcopo, Anbā Isaaco. Ab Isaaco itaque ordinatus est diaconus minor; hortantibusque parentibus ut uxorem duceret, renuit, et subinde ordinatus est diaconus perfectus. Saepe
p. 38. autem *patrem Pachomium (Baḫūmyūs) conveniebat, et acceptam a parentibus pecuniam plurimam sancto Pachomio obtulit, enixe rogans ut illam in monasteria exstruenda impenderet. Cuius eleemosynam gratam habuit sanctus, id quod offerebat accepit et ipso praesente in aedificanda monasteria patris communitatis impendit. Postea adiit Gregorius sanctum Pachomium, cum eodem commoraturus et, monachus apud eum factus, sese in omni virtutum genere fortiter exercuit, adeo ut ex ipsius forma et aspectu ediscerent perversi ab illicitis abstinere. Sancto Pachomio tredecim annos adstitit; sed postquam ad sanctum Pachomium venit sanctus Abū Macarius (Maqār), hoc recedente, a sancto patre Pachomio petiit ut sibi liceret cum sancto Abū Macario abire. Qua licentia obtenta, biennium apud sanctum Abū Macarium permansit; tum eum rogavit ut se sineret solum habitare, eoque permittente discessit et sibi parvam quandam speluncam in monte effodit, ubi septem annos degit. Quotannis autem Abū Macarium bis conveniebat festis nimirum diebus Nativitatis et Resurrectionis, atque ab eo sciscitabatur Abū Macarius institutam toto anni tempore vivendi rationem, simul et ipsi facienda praescribebat. Postquam vero annos viginti duos in religione meruit voluitque

Deus eum ad requiem vocare, ab angelo Domini praemonitus se post triduum ad Dominum translatum iri, convocatis deserti senibus valedixit, eos rogans ut sui recordarentur, et tribus diebus interiectis in pace quievit.

Oratio et benedictiones eius nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti apostoli Quadrati (Qadrāṭos), unius ex septuaginta discipulis a Domino electis. Apostolus hic, patria atheniensis, ex primoribus civitatis et ex viris in ea doctissimis, in Christum credidit et ei famulatus est. Accepta autem, die Pentecostes, Spiritus sancti Paracliti gratia, evangelium vivificum nunciavit, multas lustrans regiones, et urbem Magnesiam (Maġnīsyah) ingressus, ibi praedicavit, incolas luminis fidei participes effecit, baptismo tinxit et vivifica mandata edocuit. Dein Athenas, in patriam suam reversus, et hic praedicavit. At eum lapidibus petitum multisque affectum tormentis in ignem postremo proiecerunt, et *sic* coronam martyrii adeptus est.

Oratio eius nobis adsit. Amen.

MENSIS TŪT DIES VIGESIMUS QUINTUS.

Hodie requievit magnus propheta Ionas (Yūnān). Sanctus hic, viduae *Sarephtae Sidoniorum (Ṣārifiyah Ṣaydā) filius, quem p. 39.
mortuum ad vitam revocavit Elias ('Īlyās) propheta, hunc prophetam Eliam ('Īlyā') secutus, ei famulatus est atque aerumnas cum eo sustinuit; et per obedientiam ei praestitam meruit gratiam prophetiae. Eum revelatione admonuit Deus — qui benedicatur et exaltetur! — ut in urbem Niniven (Nīnawā) se conferret incolisque denuntiaret, nisi poenitentiam agerent, ipsorum civitatem post triduum eversum iri. Qui haec secum animo reputavit: « Istos si vellet Deus perdere, non praemoneret; quare timeo ne, si eos adiero et rem iis praedixero, nec tamen eosdem interemerit Deus, apud eos maneam mendacii nota affectus, nec iam ullus mihi quidquam asserenti credat, immo neci fortasse tradar eo quod Deum perhibuerim mendacii auctorem. Surgam igitur et fugiam. » Sed hic occurret aliquis: « Num potest quisquam Deum — qui exaltetur! — effugere? Quod si sic opinatus fuerit propheta ex filiis Israel, qualis fuerit opinio plebis reliquae? » Quantum vero equidem sentio, Deus — cuius nomen benedicatur! — illam fugam eum in finem disposue-

rit ut miraculum ederet triduanae commorationis Ionae in ventre ceti et egressionis eiusdem incolumis, idque tamquam signum et figuram Salvatoris, qui post tres dies incorruptus resurrexit.

Surrexit igitur Ionas et fugit ut peteret Tarsum; cumque, conscensa nave, nondum diu navigasset, in eos ita intumuit mare ut haud procul distarent ab interitu. Itaque inspiravit Deus gubernatori navis ut navigantibus diceret: « Coniicite sortes, ut cognoscamus quisnam sit propter quem hoc nobis acciderit. » Illis sortitis, cecidit sors super Ionam prophetam. Quem navis gubernator interrogavit: « Quid peccati admisisti, ut hoc nobis propter te accideret? » Respondit eis: « Proiicite me in mare, ut salvi evadatis. » Veniam a Deo illius ob causam petiit navis gubernator et eum in mare proiecit; proiectumque magnus piscis devoravit et dein, tres dies ac tres noctes in ventre suo commoratum, in maris littus evomuit. Tum surrexit Ionas et, Niniven ingressus, incolas admonuit. Qui poenitentiam egerunt universi, sive rex, sive pauper, sive senex, sive parvulus; infantesque ad ieiunium adegerunt, immo animalia sua fame et siti affecerunt, et a Deo — cuius nomen benedicatur! — misericordiam expetiverunt, qui eorum reipsa misertus est. Illis non interemptis, Ionas surrexit et, in terram Israel reversus, ibi supremum diem obiit. Praecessit autem adventum Messiae pluribus quam nongentis annis, prophetae munere functus temporibus Amasiae ('Amūṣyā) et filii eius Oziae, propeque accessit summa vitae ipsius ad centum annos, ex quibus
p. 40. *plures quam duos et septuaginta muneri prophetico impendit.

Benedictio orationis eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis Ṭūt dies vigesimus sextus.

Hodie Zachariae, filio Barachiae, sacerdoti, praenunciatus est Iohannes Baptista. Senuerat nempe hic Zacharias, praetergressus aetatem liberos procreandi, eratque insuper uxor ipsius Elisabeth sterilis, atque excesserat et ipsa tempus uterum gerendi et pariendi. Assidue vero insistebat Zacharias precibus atque orationibus ad Deum — cuius nomen benedicatur! — ut prolem sibi largiretur; quicumque enim liberis careret, hunc Israelitae despectui habebant et probris insectabantur, eum praedicantes expertem benedictionis quam Adamo Deus impertivit et quae est huiusmodi: « Crescite et multiplicamini. [1] » Idcirco instabat hic sanctus precibus ut Deus sibi prolem tribueret. Eius igitur misertus Deus — cuius nomen extollatur! — precibus exauditis, ad eum misit Gabrielem angelum qui Iohannem praenunciaret. Illum nimirum ad altare ministrantem, referente sancto Evangelio, convenit Gabriel et praemonuit de ortu magni prophetae Iohannis, qui adventum Christi praecessurus esset, prout de ipso scriptum, et praeco ante ipsum futurus. Quoniam autem et proprii corporis debilitatem ille noverat et uxoris sterilitatem, obstitit angelo et dixit: « Quomodo hoc mihi continget, qui consenui et cuius uxor aetate provecta est? » Quem reprehendit angelus, monens se a Deo venisse hanc rem ei nunciaturum neque ipsi de ea dubitandum; illumque mutum effecit usque ad tempus quo, Iohanne praecursore in lucem edito et iamiam circumcidendo, interrogatus est nomen filii pater. Qui, postquam nomen illud tabulae inscripsit, soluta lingua, locutus est, Deum laudavit, variaque de filio suo Iohanne ac de Messia praedixit, et filium quidem prophetam fore et ante faciem Christi Domini processurum.

Oratio eius nobis adsit, nosque omnes in aeternum custodiat. Amen.

Mensis Ṭūt dies vigesimus septimus.

Hodie martyrium obiit cum duobus filiis sanctus Eustathius ('Asṭātyūs [2]). Hic, unus ex *ministris imperatoris Graecorum p. 41.
(er-Rūm), Deum non noverat et Placidus ('Aflāqīdos) primum appellabatur. Qui, cum in tribuendis eleemosynis largum se exhiberet atque misericordem, noluit Deus eius opera inutilia fieri. Quadam die, dum feris venandis operam daret, apparuit ei, inter cervi cornua, imago crucis ad nubes erectae. Cervum persecutus est ut eum apprehenderet; sed eum Dominus, voce inter cornua cervi prodeunte compellans, suum ipsi nomen aperuit, praecepitque ut christianus fieret et baptismum susciperet, monens eum a se ad paupertatem brevi redactum iri. Quibus auditis, e monte descendit et a sancto quodam episcopo una cum uxore et filiis [3] baptizatus, mutato nomine, Eustathius (Asṭāṭyūs) [4]

[1] *Genes.*, I, 28. — [2] Ex cod. G: « .... cum utroque parente sanctus Anastasius ». — [3] G: parentibus. — [4] G: Anasṭātyūs.

appellari coeptus est. Dein, omnibus servis, ancillis, equis et divitiis subito amissis, uxorem duosque filios assumpsit et, ex urbe Roma egressus, navem conscendit. Quoniam autem nihil ei erat quo mercedem solveret, caeteris egredientibus, uxor loco mercedis detenta est. Ipse vero ad flumen sibi traiiciendum cum duobus filiis venit, singulos transportaturus; et unum quidem assumens, cum eo transmeavit; tum rediit ut alterum acciperet, sed hunc leo superveniens rapuerat; et ad priorem reversus, reperit eum quoque a lupo raptum. Ingenti moerore propter amissionem coniugis et natorum confectus, aliquamdiu degit hortum custodiens; sed, interiecto aliquanto tempore, mortuus est Romae imperator et in eius locum successit alius qui, Eustathii desiderio captus, misit qui eum requirerent. Contigit itaque ut exploratorum quidam ad hortum perveniret in quo ille erat; tum ambo se invicem agnoverunt, Eustathiumque alter magno cum honore deduxit ad imperatorem, qui eundem et honoravit et in pristinum restituit gradum. Contigit etiam ut a singulis civitatibus exigerentur duo viri in militiam conscribendi; porro duo filii *Eustathii* [1], qui in una eademque urbe educati fuerant altero alterum non cognoscente, conscriptoribus ab illa urbe traditi sunt [2], et quadam die simul confabulando agnoverunt se fratres esse. Contigit item ut eorum mater, quam mercedis loco apprehenderat gubernator et quam Deus ab eo tuitus erat, cum in horto custodiendo occuparetur, duos filios colloquentes audiret et agnosceret. Praefecti erant gazophylacio patris sui, neque ab eo cognoscebantur; ad hunc igitur ingressa coniux, postquam sese ei agnoscendam praebuit, certiorem eum fecit duos adolescentes filios eius esse; et sic congregati sunt universi, prout ipsis promiserat Domi-
p. 42. nus. *Aliquanto post obiit imperator ille et solio potitus est alius, iniquus atque idololatra; qui Eustathio ac duobus filiis arcessitis idola colenda proposuit, recusantesque iussit torqueri, tum in taurum aeneum coniici et igne succendi. Illi itaque animas

[1] Add. cod. G, quocum C partim consonat: « Dei — qui exaltetur! — providentia duo filii a leone et lupo incolumes servati fuerant, nec quidquam nocumenti experti, simulque in unam urbem ascenderant, ubi diu erant commorati. » — [2] G: Et cum rex viros ad bellum exigeret, regionis incolae hosce fratres urbis patriae nomine tradiderunt.

in manus Domini tradiderunt, coronamque vitae a Domino nostro Iesu Christo consecuti sunt.

Oratio illorum omnium nobis adsit. Amen.

Mensis Ṭūt dies vigesimus octavus.

Hodie martyrium subierunt sanctus Abādīr et soror eius Irene ('Īrānī). Erat ille filius sororis Basilidis (Wāsīlīdos), administri [1] antiocheni, ipseque dux militaris loco patris factus est. Cubiculum habebat in quo solitus erat orare, eique media nocte apparuit Christus Dominus, sic eum alloquens: « Surge, accipe sororem tuam Irenen et in regionem Aegypti proficiscere, ut martyrii coronam consequaris. Ego vero providebo ut homo cui nomen Samuel corpora vestra curet atque sepeliat. » Et precatus ei pacem, Christus ad caelum ascendit. Similiter autem et sorori exhibita est haec visio, dictumque ei: « Obedi fratri tuo et cave ne ipsi praecipienti obsistas. » A somno igitur excitata, contremiscens fratrem adiit, cui visionem enarravit promisitque se ab eo non dissensuram. Ambo itaque mutuam fidem iuramento firmatam dederunt, se profecturos ut sanguinem pro Christi nomine funderent. Qua re audita, Abadiri mater huiusque ancillae, scissis vestimentis, sanctum convenerunt; neque destitit parens ab obsecrando ipsum atque dehortando ne martyr fieri vellet, idque ita praestitit ut ei iuraret filius, Diocletianum a se martyrii causa non compellatum iri; et *sic*, pacato animo, tacuit illa, non enim suspicabatur eum martyrii obeundi gratia in alium locum abiturum. Abadīr vero aliqua nocte, mutatis vestibus, furtim egrediebatur, totamque noctem insumebat in aquam captivis propinandam, monito ianitore ne id cuiquam revelaret. Postea altera visione donatus est, qua de proficiscendo admoneretur.

Itaque, assumpta sorore, Alexandriam venit, ubi milites quidam eum agnoverunt esse Abadirum, exercitus ducem; at ille subridens dicebat: « Abadīrum multi me salutant; revera ei similis tantum sum. » Alibi quoque agnitus est; ipse autem suam dissimulabat personam. Subinde, Alexandria egressi, *in urbem* Miṣr se contulerunt, in qua sanctum *Abakrāḡunem invenerunt, p. 43.
qui Abadīrum agnovit eique benedixit. Illinc el-'Ešmunayn

[1] Ad litt.: v e z i r i.

petierunt et diaconum Samuelem convenerunt, qui cum eis Antinoen (Anṣinā) profectus est. Antinoe, ambo Christum Dominum confessi sunt coram Ariano (Arianā) praefecto, qui eos gravibus affecit tormentis. Porro orante sancto Abadiro Christum ut suam sororisque Irenes fidem mediis in cruciatibus confirmaret, beata huius *Irenes* anima a Domino rapta et in caelestem Ierusalem translata est, cuius summa regna contemplata, ad suum corpus rediit. Postremo, amborum sententia scripta, dixit Abadiro Arianus: « Te per Deum tuum adiuro ut mihi indices quis sis et quo nomine voceris. » Cui sanctus: « Iurasne mihi te ab iis quae scripsisti non recessurum, ita ut me condemnes? » Quod iuravit ille. Tum sanctus: « Ego Abadir, militum dux. » Exclamans praefectus in haec prorupit verba: « Vae mihi, domine mi! Occumbam coram te! Quare, quaeso, me celavisti te dominum meum esse, ita ut illis te afficerem tormentis? » Respondit ei sanctus: « Ne convicieris neve timeas; brevi enim coronam martyrii consequeris, quoniam imperator, me requisito neque invento, audiet me a te interfectum, teque apprehensum cruciabit, et pro Christi nomine morieris. Propera igitur nos damnare. » Supremam itaque tum in Abadirum tum in sororem sententiam dixit, quorum capita abscissa sunt. Amborum corporibus accipiendis pretiosae vestes expansae sunt, iisdemque involuta Samuel diaconus in domum suam abstulit donec, transacto persecutionis tempore, iis aedificaretur pulchra ecclesia.

Utriusque intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Tūt dies vigesimus nonus.

Hodie martyrium subierunt sancta Ripsima ('Arîbsîmā) virgo, Gabata (Ġabātā [1]) virgo, atque caeterae virgines, quae cum illis erant, itemque viri plures; quorum omnium numerus septuaginta octo [2] capita. Factum est nimirum aetate Diocletiani ut quaereret hic puellam formosam quam duceret uxorem. Iussit igitur a pictoribus universas lustrari provincias unamque eligi puellam, cuius imaginem sibi tabula depingerent membraque omnia atque incessum significarent. Cum itaque devenissent illi in regiones Romae vicinas, virginum asceterium

[1] Cod. B: 'Aġātā; C: Ġānā. — [2] Cod. C: septuaginta duo.

ingressi, hanc sanctam Ripsimam invenerunt, cui nulla aequalis erat, eiusque imaginem depictam ad imperatorem perferendam curarunt. Qui, eam intuitus, magnopere gavisus est et misit qui reges et principes ad nuptias invitarent.

Hoc postquam resciverunt virgines, lamentatae sunt et *surgentes monasterium reliquerunt, atque, Deum precatae ut sibi adesset et suam virginitatem tueretur, ad Armeniae regionem, in Tiridatis (Ṭirdād) regnum venerunt, atque ibi intra hortum quendam desertum in torculari delituerunt; constabatque integer *latitantium* numerus viris sex et foeminis septuaginta duabus, inter quas virgines novem et triginta. Porro moerore premebantur et anxietate, quomodo victum quotidianum sibi providerent, nisi quod, una virginum artem vitri conficiendi callente, huius labore omnes alebantur. Imperator vero, cum, Ripsima virgine requisita nec inventa, certior factus esset eam in Armeniae provinciis commorari, ad Tiridatem regem misit qui hunc certiorem facerent de iis quae ad illam attinebant rogarentque ut eam caute custodiret. Qua re audita, virgines sese intra civitatem absconderunt. Iis tamen proditis, iussit Tiridates Ripsimam virginem cum honore ac reverentia acciri, nolentemque vi coegerunt et ad eum adduxerunt. Sanctae huius pulchritudine captus, voluit rex eiusdem temerare virginitatem, et quia sui corporis facultatem facere recusabat virgo, eiusdem matrem Gabatam arcessivit, experturus num ab ea cor filiae forte emolliretur. At illa adveniens, coepit Ripsimam solari, confirmare atque hortari ne verum sponsum Iesum Christum a se dimitteret sineretve virginitatem a profanis violari. Praecepit itaque tyrannus ut Gabatae matris dentes frangerentur. Sanctae autem Ripsimae tantum robur contulit Deus adversus regem, ut eum, etsi celebrabatur tanquam vir in bello fortissimus, in terram supinum proiecerit et iacentem relinquens aufugerit. Quare pudore suffusus quod a virgine adulescentula superatus fuisset, iussit caput eius abscindi; accedentesque milites eam fustibus percusserunt, linguam eius praeciderunt, oculos orbiculatim excisos eruerunt, ipsam denique minutatim discerpserunt. Regem tamen, postquam resipuit ab amentia sua, poenituit illam occidisse, et audita morte eius, iussit omnes virgines interfici. Venerunt igitur satellites, singularum perforarunt mammas, pelleque omnibus detracta, earum membra particulatim dispescuerunt et proiecerunt. Una

p. 44.

ex iis, quae aegrotans alicubi iacebat, clamans compellavit ipsa milites donec ei, non secus ac sororibus, caput abscinderent; et *ita* martyrii coronam adeptae sunt. Occisa est autem et multitudo eorum qui illas circumstabant, itemque eorum qui cum ipsis Roma advenerant, qui omnes simul octo et septuaginta [1] capita; et occisorum corpora derelicta manserunt. Post mortem eorum [2], rex furere coepit, nec pati desiit donec veniret Gregorius ('Agrīgūrīs), qui super eum oravit; a quo sanatus et dein fidem amplexus, collecta sanctarum corpora in locum sacrum reposuit.

p. 45. *Omnium intercessio nobis adsit et nos ab hoste maligno custodiat in aeternum. Amen.

Dies trigesimus, quo completur benedictus mensis Tūt.

Hodierno festo memoriam celebramus miraculi insignis et stupendi quod patravit Dominus Iesus Christus — cui sit gloria! — in sancto et illustri Athanasio apostolico, Alexandriae patriarcha. Sic res se habuit. Imperator Constantius (Qosṭanṭīnyūs), filius imperatoris pii Constantini (Qosṭanṭīn) [3], cum defecisset a Filio unico, quem a Patre ipsius separabat, maledicti Arii praedicatione seductus, virum cui nomen Georgio et quem quingentis equitibus donaverat misit cum litteris, ut Alexandriae ceterarumque sedium patriarcha fieret, utque doctrinam Arii tueretur huiusque adversarios occideret. Postquam in urbem pervenit iste vir immundus et in ea impietatem suam praedicavit, sermonibus eius non adhaeserunt nisi pauci quidam ex civibus, ipseque ex incolis Alexandriae multitudinem innumerabilem interfecit; aufugit vero sanctus Athanasius et sex annos absconditus mansit. Dein, egressus, Constantinopolim se contulit ad Constantium imperatorem, a quo vel in suam sedem restitueretur, vel occideretur et coronam martyrii obtineret. Quem intuitus imperator, iussit eum exiguo navigio absque pane, aqua et gubernatore imponi et sic in mare dimitti, sperans nempe eum, vel immersione, vel fama et siti

[1] B: Septuaginta; C: duo et septuaginta. — [2] B: Sex diebus post mortem eorum. — [3] In *Synaxario* imperator Constantinus Magnus « Qosṭanṭīn » appellari consuevit; eiusdem vero filius, « Qosṭanṭīnyūs ».

periturum, quoniam ipsum eiusque propter suam haeresim reprehensiones timebat. Illa itaque sancto viro facta sunt quae praeceperat imperator; sed, si pane et aqua caruit, cum eo fuerunt panis Dei qui de caelo descendit et illa vitae aqua propter quam expulsus erat; itemque si nullus navigio praefuit gubernator, in eo tamen fuit qui caelum et terram gubernat. Quare eodem, quippe quod angelorum alis sustentabatur, tranquillus atque incolumis devectus est, et tertia die [1] ad urbem Alexandriam appulit. De quo ut rumor ad populum fidelem perlatus est, magnopere gestientes, ei cum taedis et cantu obviam egressi, eum in ecclesiam introduxerunt, inde expulsis Georgio haeretico et sociis. Instituit sanctus *Athanasius festum solemne, Domino illa die, quae eadem cum hodierna est, celebrandum, et permansit festum ad nostram usque aetatem. p. 46.

Gloria Domino nostro Iesu Christo, qui sanctos suos gloria auget, nunc et omni tempore et in saecula saeculorum. Amen.

Ad finem pervenit mensis benedictus tūt cum pace, quae a Domino sanctissimo ortum habet et quae omnes fidelium, sive vivorum sive mortuorum, animas complectatur usque in saecula saeculorum et aeternitates aeternitatum. Amen.

[1] Ex cod. C: hora tertia diei tertiae.

---

p. 47. *In nomine Dei unius, Patris, Filii et Spiritus sancti, cui perpetua sit laus.

Mensis bābah benedictus.

Horae ipsius *diurnae* undecim. Dehinc minui incipiunt *dies* usque ad diem septimum mensis kīhak [1].

Mensis bābah dies primus.

Hodie martyrio affecta est sancta Anastasia. Haec, *Deo* fortiter militatura, inter antiquae Romae incolas parentibus christianis progenita, ab iis optime educata est atque edocta, ingenuisque litteris et artibus ac scientiis ecclesiasticis exculta. Postquam adolevit, parentibus non assensit cogitantibus de ipsa in matrimonium collocanda, sed elegit vivendi institutum illud spiritale quod monachica professio vocatur. Ad Deum itaque a teneris anhelans, monasterium quoddam virginum, ex iis quae Romae erant, ingressa est, ubi vestem angelicam induit, corpus exercitiis monasticis et afflictationibus extenuans, animamque ab omnibus mundi voluptatibus servans alienam. Totius anni altero quoque die ieiunabat, et sacro quadragesimae tempore ieiunium non frangebat, nisi die sabbati et die dominica, post horae sextae orationem. Cibus ei plerumque erat panis aridus cum sale, nec unquam, vitam monasticam iam amplexa, quidquam cocti comedit.

Contigit autem ut in virginum asceterio, quod ab ipsius monasterio haud procul aberat, festum celebraretur, cui interfutura monacharum praeses perrexit, assumptis secum quibusdam sororibus, inter quas fuit haec sancta. Quae, dum iter faceret, vidit milites Decii, imperatoris infidelis, operam dantes christianis cruciandis. Quare, amore Christi vehementer incensa,
p. 48. *illos his verbis increpavit: « O viri duri corde atque impii, haeccine in eos peragitis quos Deus ad imaginem suam et similitudinem creavit et pro quibus se ipse tradidit? » Itaque eam apprehensam unus militum ad principem adduxit, quo sciscitante: « Verene christiana es et Crucifixo adhibes cultum? »

[1] Add. cod. C: Hic est mensis alter, cuius noctes horis quatuordecim constant.

id illa aperte professa est, neque ullatenus dissimulavit. Quamobrem eam acerrimis cruciavit tormentis, ignem corpori adspergens, ipsam dein cruci affigens et crucifixae fumum subiiciens. Cum vero nulla horum tormentorum vi a fide abduceretur, iussit eam decollari. Illa itaque, diuturna praemissa oratione, cervicem carnifici dedit, ita ut mirarentur adstantes tantam animi fortitudinem, et capite a carnifice percusso palmam martyrii consecuta est.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis bābah dies secundus.

Hodie venit magnus Severus, patriarcha antiochenus, in regionem Aegypti; quod regnante Asṭātiano [1] imperatore factum est. Hic quippe imperator adversabatur sancto Severo, quem contra amore prosequebatur et cui plurimum fidebat imperatrix fidelis atque orthodoxa. Cum igitur imperatorem sanctus adiisset, multos sermones inter se de fide habuerunt, neque ille a sua sententia discessit, sed mox consilium cepit sancti Severi occidendi. Hic autem imperatrici roganti ut fuga suae saluti consuleret obsistebat, affirmans sese paratum ad mortem pro fide orthodoxa obeundam. Importunis tamen imperatricis et piorum fratrum precibus victus, urbe relicta, in Aegypti fines aufugit. Ipso itaque frustra requisito, imperator cohortem peditum strenuorum et equitum explorandi causa misit; sed Deus eum ab illis abscondit, neque in locis ad quae devenerunt eum quamvis sibi proximum et lateri prope adhaerentem repererunt. Severus autem, postquam in Aegyptum se contulit, e loco in locum et e monasterio in monasterium migrabat, Deo miracula et prodigia multa per manus eius operante. Quadam igitur die, *cum in deserto Scetensi (Šīhāt) ecclesiam ingressus p. 49.
esset, sacerdos hostiam eucharisticam elevavit et populum circumiens incensavit; tum, post Scripturarum et Evangelii

[1] Sic prostat in cod. nostro nomen ('Asṭātyānūs), quod in B Nasṭāsyūs, in C Yusṭatyānūs, in G 'Anasṭātyūs legitur. Quemnam scriptor indicare voluerit incertum, cum, ut aliunde constat, Severi fuga anno demum 518°, Anastasio imperatore mortuo et Iustino I in eius locum suffecto, adscribenda sit.

lectionem atque oblationis [1] elevationem, in patena hostiam quaesivit; quae evanuerat. Unde, lacrimans et ad populum conversus, dixit: « Fratres nescio utrum propter peccata mea an propter vestra factum sit ut hostia a me in loco suo non inveniatur, sed evanuerit. » Cum itaque et plebs fleret, statim apparuit angelus Dei, qui dixit: « Neque tuis neque populi peccatis hoc imputandum, sed audaciae qua hostiam adstante patriarcha elevare praesumpsisti. » Cui sacerdos: « Ubinam est, domine mi? » Tum angelus digito angulum ecclesiae indicavit, et sic sanctus per gratiam *Dei* agnitus est. Quare patriarcha, a sacerdote conventus et magno cum honore ad altare deductus, iussit compleri missam, conscensoque altari, sacerdos hostiam in loco suo reperit. Postea Severus, inde digressus, se contulit in urbem Saḫā, ubi apud principem pium, cui nomen Dorotheo, divertit donec morte quievit.

Ipsius preces nos omnes ab hoste maligno tueantur. Amen.

MENSIS BĀBAH DIES TERTIUS.

Hodie festum celebramus sancti Gregorii (Aġrīġūryūs), episcopi Armeniae. Qui precum suarum benedictione nobis adsit. Amen.

Eadem die, commemoratio sanctae Theodorae, filiae Arcadii imperatoris, filii imperatoris Theodosii Magni. Ipsius preces nobis omnibus adsint. Amen.

Eadem die quievit pater purus Anbā Simeon (Sīmāwon), urbis alexandrinae patriarcha. Hic sanctus, Alexandriae natus et filius parentum orthodoxorum ex primoribus civitatis, lacte fidei a teneris potatus et scientiis ecclesiasticis eruditus fuerat. Cum sibi delegisset vitam monasticam, Alexandria egressus,
p. 50. montem Scetensem (Šīhāt) petiit et monachus factus est *in coenobio [2] patriarchae Anbā Iacobi, sui *in sede patriarchali* decessoris, ubi plures annos degit, corpus diutinis religiosi

[1] Huic nomini الابرسفارين (el-'abrosphārīn), quod apud omnes lexicographos desideratur, coniicimus subesse, cum significatione sibi propria, vocem graecam προσφορά. — [2] Ad litt.: in cella. Arabice enim legitur: قلّاية, quod nomen a graeco κελλία per syriacum ܩܠܝܬܐ derivatur. Cf. DOZY, *Supplém. aux dict. arabes.*

instituti exercitiis et orationibus quamplurimis extenuans. Eum pater noster Anbā Marcus iunior, *ad patriarchatum* promotus, quia virtutes eius egregias et eximium vitae genus noverat, e contubernio patris Anbā Iacobi eduxit et apud se ad suam usque mortem retinuit. Cum dein promoveretur pater Anbā Iacobus, pater eius spiritalis, Simeonem et ipse sibi adiunxit, magnamque ab eo utilitatem atque consolationem accepit. Mortuo autem Anbā Iacobo, convenit coetus sacerdotalis, episcopis, presbyteris et senioribus constans; qui de hoc patre eligendo consenserunt propter exempla quae viderant ab eo exhibita tempore quo duorum praedictorum *patriarcharum* contubernalis fuerat. Itaque illum apprehensum ligaverunt et patriarcham consecraverunt, vitamque degit Deo dignam ac divinam. Voluit vero Dominus ei requiem concedere, nec sedem tenuit nisi menses quinque cum dimidio, quibus elapsis in pace obdormivit.

Ipsius preces et intercessio nos ab hoste tueantur. Amen.

MENSIS BĀBAH BENEDICTI DIES QUARTUS.

Hodie ab Antiocho rege crudeli martyrium passus est sanctus Bacchus (Wāḫos), sancti Sergii comes. Ambos sanctos imperator Maximianus comprehenderat et acerbis tormentis affecerat, eorum cingulis prius abscisis, siquidem milites erant. Dein eos in Syriam misit, ad Antiochum regem, qui, sancto Sergio in carcerem detruso, iussit sanctum Bacchum trucidari et lapide ad collum alligato in Euphraten demergi. At Dominus sacrum servavit corpus, quod fluminis aqua in ripam proiecit. Porro haud procul aberant duo sancti fratres, monachi et eremitae, quorum alteri Anbā Māmā, alteri Anbā Bābā nomen erat. Quibus apparuit angelus, praecepitque ut corpus martyris auferrent. Quare, illuc profecti, corpus invenerunt, cui adsistebant iamque diem et noctem adstiterant, custodiae causa, aquila nigra et leo; his quippe animalibus, quae nonnisi carne vescuntur, superna providentia iniunctum fuerat ut sacrum corpus custodirent. *Corpus igitur illi duo viri sancti magna reverentia, p. 51.
psalmos decantando, ad speluncam suam attulerunt ibique sepelierunt.

Ipsius intercessio nobis suffragetur. Amen.

Mensis Bābah dies quintus.

Hodie requievit sanctus pater Anbā Paulus (Būlos), civitatis constantinopolitanae patriarcha. Discipulus fuerat patris Anbā Alexandri (el-'Iskandarūs), patriarchae constantinopolitani, et in huius demortui locum evectus. Sede patriarchali potitus, ex urbe Constantinopoli et regionibus adiacentibus Arii asseclas eiecit. Postquam autem Constantino (Qosṭanṭīn) imperatori vita functo successit filius eius Constantius (Qosṭanṭinyūs)[1] in civitate constantinopolitana, fratre Constantii summum Romae principatum obtinente, iste Constantius, qui cum Ario sentiebat et nefandam ipsius doctrinam fuerat amplexus, graviter tulit rationem agendi patris Pauli cum iis qui sectae suae adhaerebant. Rogavit igitur ut eos excommunicatione atque anathemate levaret et recusantem iratus Constantinopoli expulit, quemadmodum antea patrem Athanasium Alexandria expulerat. Duo exules Romam se contulerunt, ad sanctum Anbā Iulium papam, qui amicissime habitis litteras dedit ad imperatorem, quibus, eorum virtute ac religione laudata, illi iniungebat ut utrumque reciperet. Cum itaque Constantinopolim venissent, imperator, perlectis papae litteris, eos ex reverentia papae recepit et paulisper benigne habuit; at eos mox iterum eiecit. Qui Romam ad papam reversi ab eo admissi sunt et ad Constantem (Qūnsṭā) imperatorem adducti, apud quem eorum sortem conquestus est pontifex. Quare dedit eis Constans imperator epistulam ad fratrem suum, qua iubebat illos recipi, minatus, nisi reciperentur, concordiam mutuam finem habituram seseque arma adversus eum moturum; alteram insuper epistu-
p. 52. lam eis conscripsit papa. *Acceptis epistolis fratris sui et papae, eos imperator suis sedibus restituit. Sed postquam accidit ut, Romae, Constans imperator interficeretur, frater eius Constantius patrem Paulum in regionem Armeniae, ubi aliquandiu commoratus est, tertio eiecit, tum cuidam ex Arii in Armenia sequacibus mandavit imperator ut sanctum occideret. Quem

[1] Sic in omnibus codd.; quod enim in nostra textus arabici editione قسطنطينوس, Qosṭanṭīnūs, legitur, id typothetae mendo adscribendum. Cf. quae supra, pag. 50, ad diem tūt 30um, notavimus.

noctu aggressus iste strangulavit, et *sic* in pace quievit sanctus vir, quattuor annis in patriarchae munere transactis.

Oratio eius et benedictiones nobis prosint. Amen.

Mensis Bābah dies sextus.

Hodie requievit sancta prophetissa Anna, Samuelis (Ṣamuil) prophetae mater. Ex tribu Levi oriunda, nupserat Helcanae, filio Barḫumi[1], cui erat et altera uxor, Phennā vel etiam Phenaṯah[2] nuncupata. Annae, quae sterilitate laborabat, nulla enata erat proles; quod ei Phennā perpetuo exprobrabat; flebatque Anna et, a cibo sumendo abstinens, cum ipsam Helcana maritus solaretur, huius consolationes respuebat. Temporibus autem Heli sacerdotis, ad domum Domini ascendit, orationesque cum lacrimis coram Domino fundens, voto se obstrinxit, dicens: « Filium, si quo donata fuerim, Domino consecrabo. » Heli sacerdos, qui ipsam intuebatur stantem silentemque — quippe quae corde tantum orabat, — putavit eam temulentam esse et idcirco eam reprehendit atque vituperavit. Cui, cum respondisset se vinum non bibisse, sed animo tristi esse, eidem sic bene precatus est: « Vade in pace, concedatque tibi Deus Israelis quod postulasti. » Precationi confisa domumque reversa, filium concepit et in lucem editum Samuelem (Šamuāl) appellavit, quo nomine significatur p e t i t i o; postea ablactatum ad domum Domini, sicut voverat, adduxit et Heli sacerdoti obtulit, admonens sese illam mulierem esse quae huiusmodi prolem precibus expetierat, suam porro orationem a Domino exauditam fuisse ac sibi datum quod postulaverat, filium igitur a se Domino offerri ut ei in templo deserviret. Tum Deum laudavit cantico[3] quod ei auctori adscribitur et tertium est canticorum, ac subinde vitam degit Deo acceptam et in pace quievit.

Ipsius oratio nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria sancti Antonii martyris, episcopi urbis Nanae (Nanā)[4]. Cuius oratio nobis adsit.

[1] Sic codd. A et G; B vero: Nāḥūm; C et F: Barḥūm. — [2] Ex G: Phānah. — [3] I Sam., II, 1-10. — [4] Hanc memoriam nonnisi duo codd. C et E perhibent.

p. 53. *Mensis Bābah dies septimus.

Hodie requievit sanctus Anbā Paulus (Būlā), ex Ṭamuah [1] oriundus. Cum in Aegypto superiore montem Antinoes ('Anṣinā) incoleret, comite discipulo illo integro et perfecto qui de eius virtutibus testimonium perhibuit, ex ardenti Christi amore et studio religiosae mortificationis, se ipse morti septies tradidit. Et primum quidem seipsum arbori alligavit, capite deorsum verso, mansitque quadraginta dies suspensus, donec sanguis omnis naso atque ore efflueret, ipseque in manus Domini animam exhalaret. Vita ei a Domino reddita, aliquanto post sese in profundum fluminis demersit, a crocodilis, ut optabat, devorandus; qui tamen eum nullatenus attigerunt, et ideo aquis immersus et in faciem pronus dies plurimos iacuit, donec moreretur. Tertio, cum se ipse in arenam defodisset, mortuus est, discipulo adstante et ipsius sortem deflente; sed Deus angelum suum misit, qui eum suscitavit et consolatus est. Quarto praecipitem se dedit e summo monte, cuius lapides, cultris haud absimiles, ita corpus eius ac latera dilaniarunt ut confestim exspiraret. Quinto ex rupis excelsae cacumine in petram ingentem sese deiecit, cui margo gladio similis, et in duas partes disruptus est. Sexto caput et pedes una colligavit et, postquam quadraginta dies in eo statu perseveravit, mortuus est. Singulis vicibus eum suscitabat Christus Dominus. Postea apparuit ei Dominus, ipsum confortavit, et dixit: « Satis tibi sint, amice mi Paule, labores et mortes quas obivisti. » Cui Paulus: « Sine me, Domine, nominis tui causa pati, quemadmodum pro genere nostro passus es, siquidem tu, Deus et Filius Dei, pro peccatis nostris, etsi indigni sumus, mortuus es. » Tum Dominus eum consolatus est et roboravit. Adveniente autem patre nostro Abū [2] Bišayah ad montem Antinoes, illi adhaesit sanctus Anbā Paulus, cui praedixit Christus Dominus, fore ut ipsius corpus iuxta corpus sancti Anbā Bišayah iaceret. Postquam igitur Anbā Paulus e vivis septimo excessit, corpus eius, prout ei praedictum fuerat, corpori sancti Abū Bišayah appositum est;

[1] Cod. B: Ṭamūyah. — [2] *'Abū*: honoris appellatio, de qua cf. quae supra, pag. 41, annotavimus.

et cum voluissent corpus sancti Abū Bišayah *ad montem Scetensem (Šihāt), in monasterium scilicet sancti Abū Macarii (Maqār), transferre, et, relicto Abū Pauli corpore, corpus Abū Bišayah accepissent, haesit nec loco moveri potuit navis cui alterum impositum. Quare id intelligentes accidere propter patris nostri Pauli corpus, hoc simul assumpto, ambo Scete detulerunt, ubi corpus Pauli una cum sancti Abū Bišayah corpore hucusque asservatur. p. 54.

Amborum orationes nobis adsint. Amen.

Eandem diem martyribus Mīnae [1] et Ḥāsīnae [2] sacram celebramus. Utriusque orationes ad extremum usque spiritum nobis adsint. Amen.

Mensis Bābah dies octavus.

Hodie martyrium subierunt sanctus senex [3] Maṭrā et complures martyres. Sanctus ille, ex urbis Alexandriae civibus, fidem christianam profitebatur. Cum autem Decius, imperator hypocrita, solio potitus, cultu idolorum instaurato, in universum populum fidelem saeviret et, decretis eius ad fines Tamiathis (Damiāṭ) atque Alexandriae perlatis, incolarum multi persecutionibus opprimerentur et sanguis eorum funderetur, accusatus est sanctus Maṭrā quod christianus esset. Arcessitum itaque praefectus ea de re interrogavit, et professum fidem in Christum, Deum verum de Deo vero, iussit cultum idolis adhibere, multis adiunctis pollicitationibus, quas ille respuit, tum etiam intentatis suppliciorum minis, quibus idem a consilio et recta sententia nihil dimotus, respondit: « Ego Christum, caelorum et terrae Creatorem, adoro; et quomodo deceret me, Christo derelicto, idola ex lapide et ligno manufacta, quae nec audiunt nec vident, adorare? » Iratus igitur praefectus iussit eum verberibus affici. Qui atrociter caesus, dein brachio suspensus, tum carceri tenebroso ac foetidum odorem emittenti dies complures mandatus est; inde postea eductus, denuo ita caesus fuit ut baculo adunco [4] vultum eius et duo latera dilaniarent: tandem extra urbem capitis poena affectus est.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

[1] Ex cod. G: Mīšā. — [2] Nomen in variis codd. diversissime scriptum: in A, B et F: Ḥāsīnā; in C: Ḥāšīnā; in E: Ḥāsītā; in G: Ğāsītā. — [3] Cod. F: martyr. — [4] Ex C et G: baculo arefacto; B: virga tenui.

p. 55. *Eadem die, memoria tum sancti Abbā Huri, tum Susannae et filiorum eius martyrum in urbe Ṭamuah [2], tum Anbā Agathonis ('Aġāton [3]) eremitae. Quorum omnium orationes nobis adsint. Amen.

Mensis bābah dies nonus.

Hodie requievit pater Liārīus [1], papa Romanus. Vir fuit purus atque pius, et, militiae monasticae a teneris annis adscriptus ac singulis ordinum ecclesiasticorum gradibus progressus, electus est ut munere patriarchae in urbem Romam fungeretur. Sede apostolica potitus, vitae institutum iniit Deo — qui exaltetur! — gratum, assidue versans in plebe edocenda, transgressores vero atque aberrantes reprehendens. Mortuo autem Constantio, filio Constantini imperatoris, Iulianus Apostata, eius consobrinus et in regno successor, delubra idolorum aperuit, populum christianum persecutus est, multosque fideles cruciavit. Cum igitur sanctus hic, Roma Caesaream se conferens, sanctum Basilium convenisset, utrique visum est sibi petendam Antiochiam et adeundum atque ab errore revocandum Iulianum imperatorem, quem, in ludum litterarium ventitantes, ambo noverant. Profecti itaque, Antiochiam venerunt et Iulianum adierunt. Quos coram se constitutos et cupientes ea proloqui quae nata erant errorem eius depellere ille interrogavit: « Ubinam filium fabri lignarii reliquistis? » Respondit sanctus Basilius: « Eum reliqui operam dantem loculo tuo compingendo. » Ambobus iratus, iussit Iulianus illos in carcerem detrudi; ibique hic sanctus, dum cum Basilio clausus detineretur, vidit in somnis sanctum Mercurium dicentem: « Profecto non sinam illum impium in Deum meum blasphemare. » Expergefactus, somnium sancto Basilio manifestavit, qui et ipse idem somnium somniaverat. Imperator vero dormiens [5] interfectus est. Ubi dein innotuit occisio Iuliani, solium excepit Numerius (Nūmāryūs [6]), et, christianus cum esset, duos sanctos e carcere eduxit, qui ad suam quisque sedem redierunt. Itaque Romam reversus, hic sanctus

[1] Ex cod. B: Ṣūsanā; ex C et G: Ṭūsīnā; ex E: Ṭūṡyā; ex H: Ḍūsīnā. — [2] F: Ṭamāwah; G: Ṭamūyah. — [3] C et G: 'Aġātū; F: Ġātūn. — [4] *Sic* in cod. A. Ceteroqui diversissima nominis lectio, in B: 'Abwāryūs; in C et G: Liwāryūs; in D: 'Anūryūs; in E: Līwaryās; in F: Līwāryos; in H: Līwāwyos. — [5] B, C et G om. — [6] *Sic*. At vero C: Yūmyānūs; F et G: Yūmānūs.

multum pugnavit *contra Arianos, quos insecutus est et ex suae sedis territorio eiecit, vitamque degit Deo gratam; tum, principatu sex [1] annos functus, morte quievit. p. 56.

Ipsius orationes nobis omnibus tutelae sint atque custodiae. Amen.

Eadem die, commemoratio Simeonis (Sim'ān) episcopi. Cuius oratio nobis adsit. Amen.

Hac etiam die, anno martyrum nongentesimo quinquagesimo octavo [2], regnante eṣ-Ṣāliḥo Ayyubo, principatum *ecclesiasticum* obtinente patre nostro Cyrillo, accidit in mundo res mira atque stupenda, qua attoniti fuere quicumque eam viderunt vel de ea audierunt. Sol videlicet paulatim obscuratus est ad perfectam usque obscuritatem, et tenebrae interdiu offusae, quales noctu solent; stellas quidam adspexerunt, lampadibus et facibus accensis homines usi sunt, magnoque perculsi terrore, ad Deum — cui sit laus! — supplices toto corde accesserunt, ab eo promissam clementiam atque misericordiam implorantes; et revera Deus sese iis clementem misericordemque praebuit, et terrori finem fecit, siquidem, caligine non sensim, quemadmodum aspersa fuerat, sed subito evanescente, sol de more splendidus apparuit et mundum illuminavit, lampadesque exstinctae sunt. Per unius horae spatium sol tenebris obductus fuerat, et res evenit ab hora octava dimidia ad horam nonam dimidiam. Exinde adauctum in hominibus studium laudandi et extollendi Deum, qui eos non propter peccata perdere, sed mox misericordia atque patientia complecti voluerat.

Domino nostro perpetua sit gloria. Amen.

Mensis bābah dies decimus.

Hodie martyrium subiit sanctus Sergius, Bacchi (Waḫos) socius. Erat ille ex satellitibus [3] Maximiani [4] et ex palatinis

[1] In mea textus arab. edit. mendose cusum: تسعة, novem. — [2] I. e., anno Christi 1242. — [3] Quae a nobis sic vertitur vox, coniectura contextui et comparationi cum relatione de martyrio S. Bacchi (cf. d. 4um bābah) innixa, arabice est: السرختية, in cod. B tamen: السرجينية. Cum utraque forma in omnibus lexicis desideretur, altera forsitan haberi possit cognata cum nomine سرّاج, quod, teste Dozy (*Supplém. aux dict. arab.*) militem, satellitem praetoris seu iudicis designat. — [4] C et G: qui in palatio Maximiani imperatoris erant

seu aedium regiarum domesticis. Cum ambos *amicos* perse-
p. 57. queretur imperator, eos in Syriam misit *ad Antiochum, qui sanctum Bacchum acerbis verberibus cruciavit, donec efflaret animam, et corpus in flumen Euphraten proiici iussit. Sed, Deo protegente, corpus in fluminis ripam delatum est, misitque Dominus aquilam nigram et leonem qui idem custodierunt, quoad instinctu divino a quibusdam sanctis et fidelibus viris [1], qui ibi aderant, auferretur. Sanctus autem Sergius, qui amissum tristis lugebat, donatus est fratris sui Bacchi, formosae cuidam lecticae impositi et fulgida luce circumdati, visione; unde magnum accepit solatium. Dein vero praecepit iudex ut duobus pedibus eius clavi ferrei et longi infigerentur, tum eum cum equitibus Rosafam (er-Rosāfah) misit, equorum caudis alligatum, ita ut cum currentibus curreret, sanguine in terram defluente. Iter facientibus occurrit puella virgo a qua distantiam sciscitati sunt [2], et cui dixit sanctus: « Sequere me usque ad Rosafam, ut corpus meum auferas; » illaque Rosafam cum eo perrexit. Et quemadmodum praescripserat iudex *ille prior*, ut, nisi mandato suo paruisset Sergius, sacrum eius caput amputaretur, decollatus est [3] a iudice illius loci (Rosafae), qui veniam facti ab eodem prius petiit, quia amicitia ei iunctus et ipso agente munus suum erat consecutus. Accessit igitur praedicta puella et floccis laneis, quos secum attulerat, sanguinem e sacra cervice manantem excepit. Sanctum autem corpus usque ad finem persecutionis asservaverunt, tum ei Rosafae pulchram ecclesiam aedificaverunt, in quam quindecim episcopi, qui convenerant, sacrum corpus deposuerunt. Ecclesia illa adhuc existit, et e corpore urna marmorea incluso fluit suave quoddam oleum, cuiusvis morbi medela.

Eius protectio et benedictiones nobis omnibus adsint. Amen.

Mensis Bābah dies undecimus.

Hodie requievit pater Anbā Iacobus, patriarcha antiochenus.
p. 58. Hic *sanctus calamitates plurimas expertus est. Exsulare propter fidem orthodoxam coactus, in exsilio aliquandiu mansit; et cum incolae civitatis, legatis communi consilio missis, eum

[1] G: a sanctis fratribus. — [2] B, C et G: a qua potum petierunt. — [3] C et G inserunt: utpote praecipienti parere renuens.

revocavissent, iterum praevaluerunt Arii asseclae et sanctum denuo eiecerunt. Qui secundo exsulans septem annos perseveravit, ac dein in pace quievit.

Ipsius intercessio et benedictio nobis adsint. Amen.

Eadem die requievit sancta Pelagia (Belāğyah [1]). Veneranda haec mulier, Antiochiae, parentibus infidelibus progenita, mentis erroribus morum turpitudinem coniunxerat, in taberna saltationibus, ludo et fornicationi assidue indulgens. Sed cum a sancto quodam episcopo, cui nomen Paulus, inventa fuisset, plurimis huius exhortationibus mota, eo persuadente in Christum Dominum credidit, illique quaecumque fecerat confessa est. Qui ipsius cor confortavit, admonens ne de poenitentia desperaret; tum eam baptizavit in nomine Dei unius, Patris et Filii et Spiritus sancti, illaque, gratia baptismi illuminata et ad Deum corde firmo atque ardenti affectu accedens, corpus suum affligere et dure habere coepit. Dein, habitu virili induta, Hierosolymam se contulit, in variis urbis ecclesiis Deum adoravit et patrem Alexandrum, patriarcham hierosolymitanum, adiit, qui eam in monasterium quoddam extra civitatem situm misit, ubi quadraginta annos solitaria [2] degit et tandem ad Dominum migravit.

Ipsius orationes et benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis Bābah dies duodecimus.

Hodie martyrium passus est sanctus Matthaeus, evangelista et apostolus, postquam praedicatoris munere functus est in regione hariolorum [3] eosque ad cognitionem Domini adduxit. Dum nempe proponeret in civitatem *illorum* ingredi, obvium habuit adulescentem, qui eum sic affatus est: « Non poteris in hanc urbem intrare, nisi capillos ac barbam raseris manuque palmae ramum praeferas. » Id fecit quod monebatur; remque hanc attentius consideranti apparuit Christus Dominus in ea quam *noverat forma — erat autem ipse ille adulescens quem p. 59.
modo viderat, — et illo roborato atque confortato evanuit. Urbem igitur ingressus perinde ac si fuisset unus ex hariolis,

[1] G: Delāğyah. — [2] Vocem hanc om. B, C et G. — [3] Vel: sacerdotum. Utramque enim significationem prae se fert nomen arab. الكهنة, neque ullo certo indicio definire licet utra sit hic praeferenda.

aedem petiit Apollini sacram et cum occurrente hariolorum principe sermonem conseruit de diis, hosce exponens auditu carere, Deum autem unum *christianorum* [1] esse numen omnipotens. Putabat vero ille Deum *nostrum* esse e numero deorum qui idolis coluntur. Eo praesente et intuente, patravit sanctus apostolus prodigium quo lux splendens adstantibus circumfusa est et mensa de caelo demissa. Quod cum vidisset Armius ('Armyūs) [2] hariolus, apostolum interrogavit: « Quodnam est nomen Deo tuo? » Cui Matthaeus: « Dominus Iesus Christus. » Credidit igitur ille in Christum, eiusque exemplum permulti secuti sunt. Re audita, rex civitatis iussit eos comburi; sed en filius eius mortuus est, quem apostolus, Domino invocato et precibus super puerum fusis, ad vitam revocavit. Quare crediderunt rex et caeteri urbis incolae, eisque baptizatis constituit atque consecravit Matthaeus presbyteros et episcopum, ecclesiamque aedificavit; tum ad regiones exteras se contulit, quarum homines adduxit ad cognitionem Dei. Interea vero ipse sublatus fuerat ad sedes beatorum et viderat Christum Dominum, qui his perpetuo adest, et cum illo animas centum quadraginta quattuor milium infantium; iis nimirum quovis die festo adest Dominus Christus, angelis comitantibus.

Postea venit apostolus Hierosolymam et in terram Iudaeae, atque evangelium suum hebraice conscripsit; subinde ad provincias exteras exiit, et in urbe quadam, dum captivos inviseret, virum invenit carceri mandatum, utpote aere alieno obstrictum domino suo, cuius merces sibi negotiationis causa commissas naufragio amiserat. Ei manifestavit locum ubi pecuniam reperit ille sacculo inclusam, qua domino suo tradita liber evasit. Rei fama per civitatem percrebrescente, multi in Christum Dominum crediderunt. Festus (Fasṭos) vero, de iis certior factus, iussit caput apostoli amputari et corpus volucribus obiici; sed, sacro capite amputato, venerunt fidelium turmae et ablatum sancti corpus in locum sacrum deposuerunt.

Ipsius preces et benedictiones nobis adsint. Amen.

Eadem die requievit vir sanctus, virginea puritate insignis,
p. 60. oppugnator libidinis et naturae domitor, pater *Demetrius, patriarcha alexandrinus, qui hanc sedem patriarchalem duodecimus obtinuit.

[1] C et G add.: qui caelum et terram creavit. — [2] C: Harmīs.

Fuerat hic sanctus agricola et idiota, ignarus artis scribendi, uxoremque duxerat quacum, antequam patriarcha fieret, vixit quadraginta septem annos, utroque virgineam castitatem servante et nemine propositi eorum conscio praeter illum qui cordium secreta novit. Porro patri Iuliano, decessori eius, appropinquante mortis tempore, apparuit angelus Domini, qui revelavit hunc sanctum ipsi in patriarchatu suffectum iri, deditque de eodem signum, his usus verbis: « Crastina die te conveniet vir, uvae racemum afferens; quem apprehensum consecra patriarcham. » Expergefactus, sanctus Iulianus somnium enarravit omnibus episcopis et sacerdotibus qui aderant. Mane autem facto, hic sanctus in vinea, extra consuetum uvarum tempus, racemum invenit ac patri Iuliano attulit, ut benedictione eius donaretur. Cuius manu apprehensa, circumstantes alloquens, Iulianus: « Hic erit, ait, vobis post me patriarcha »; tum ei benedixit [1].

Demetrius autem, caelesti gratia repletus, plurimas scientias sibi comparavit, libros ecclesiasticos horumque interpretationes memoriae mandavit, ac de argumentis et disciplinis multis disseruit. Ipse etiam computum epactarum ⌜et ieiunii [2] subduxit. Inter fideles nimirum, usque ad huius patris aetatem, constans viguerat mos celebrandi festum baptismi *Christi*, postridie ieiunandi atque, diebus quadraginta completis, agendi festum paschatis, tum, adveniente azymorum hebdomada, hanc memoriae passionis *dominicae* seorsim dicandi. Demetrius vero, Spiritu *Sancto* illuminatus, de epactis disseruit, computum ieiunii subduxit, et ea de re ad singulos praesules Romae, Antiochiae, Ephesi, Hierosolymorum epistulam misit, quam approbaverunt et regulae loco ad hoc usque tempus imposuerunt. Huic patri propter eius munditiem Deus aderat, et hora sacrificii eucharistici, Christum videbat subministrantem [3] pro-

[1] Cod. C add.: Apprehensum igitur catenis devinxerunt donec pater Iulianus obiret, et *hoc mortuo* illius benedictionem *seu consecrationem* compleverunt. — [2] Duae voculae ex C et G insertae. De hac autem computi paschalis instauratione, cf. Makrizii *Historia Coptorum Christianorum*, edit. Wetzer, pag. 24. — [3] Operae pretium est conferre quae de eadem re prostant apud Severum ben el-Moqaffa' (*Hist. Patriarch. Alexandrinorum*, ed. Seybold; edit. Beryt, pag. [illegible], edit. Hamburg. pag 14). Inde enim huius nostri loci sensus fit omnino perspicuus.

pria manu communionem illis qui ea digni essent, peccatores vero repellentem. Hos itaque ipse reprehendebat et, eorundem peccatis palam denunciatis, arcebat a sacra synaxi, dicens: « Recedite, poenitentiam acturi, et dein huc accedite, sacrorum mysteriorum futuri participes, ne, cum haec in peccatis vestris perseverantes sumpseritis, in gehennam pessum eatis. » Quapropter illo regente grex rectam insistebat viam, neque ullus p. 61. peccare audebat, *ne sua hominibus culpa manifesta fieret; imo ex fidelibus alii alios admonebant, reformidantes dedecus ex peccatis oriturum. Cum autem suspicio de eo quibusdam laicis exinde oborta esset quod matrimonio iunctus foret, apparens ei angelus Domini praecepit ut secretum sibi cum uxore commune fidelibus patefaceret, ne ob eam causam perirent; unde illis rem aperuit.

Dum ecclesiae suae praeesset, prodierunt heterodoxi, ex quibus Clemens ('Aqlīmes), Origenes [1], 'Ayās [2], aliique, qui scripta mendacia ediderunt; istos anathemate perculit et excommunicavit, neque ullo sui patriarchatus tempore sese remissum exhibuit in plebe fideli edocenda et quotidie adhortanda. Iam senex et debilior factus, lectica deferebatur et in ecclesia deponebatur, ubi ab horis matutinis ad vesperam usque in docendo versabatur, hominibus ad eum absque intermissione confluentibus. Pervenit ad centum et quinque annorum aetatem, ex quibus quindecim effluxerant antequam matrimonium iniret, quadraginta septem priusquam fieret patriarcha et quadraginta tres in patriarchae munere exercendo; dein in pace quievit.

Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

Mensis Bābah dies decimus tertius.

Hodie requievit sanctus pater Anbā Zacharias [3] monachus. Istius athletae parenti nomen erat Cario (Qāryūs), atque in huius mentem inciderat cogitatio de instituto monachico capessendo; cui sibi patefactae uxor assensum praebuit. Quare ad desertum montis Scete (Šīhāt) ascendit, ubi duce sancto quodam sene

[1] A: 'Urīgās vel 'Awrīgās; B: 'Aringānes; C: 'Aritgānes; G: 'Aringās. — [2] Sic A. B vero: 'Anās; C: 'Aryās; G: 'Arfakās. — [3] In edit. arab.: زاخايا; mendose. Lege: زاخاريا, vel, cum B, C, G: زخريا.

monachus factus est, gemina prole, puero nempe et puella, apud matrem relicta. Haud multo post, cum ingruisset fames magna in illam regionem, assumptis duobus liberis, mulier venit in desertum ad patrem eorum Carium, quocum conquesta est angustias quibus propter ciborum inopiam premeretur, tum liberis dixit: « Ite ad patrem vestrum. » Iis autem paulisper progressis, puella mox ad matrem reversa est. Cui tunc Zacharias: « Geminos liberos Deus inter nos divisit; accipe tu filiam, filio apud me remanente. » Illa, assumpta filia, recessit; ipse vero filium assumpsit, qui erat hic sanctus Zacharias, et in desertum ad seniores adduxit, qui puerulo benedixerunt et praenunciaverunt eum *fore monachum perfectum. p. 62.

Educatus igitur Zacharias in deserto quibusvis eximiae institutionis praeceptis, omni virtutum genere profecit. Erat vero summa faciei pulchritudine insignis, ita ut in deserto propter eum murmur obortum sit dicentium: « Quomodo huiusmodi puerulus in deserto inter monachos commorabitur? » Qua re audita, sanctus Zacharias lacum Nitri petiit nemine conscio, et cum vestem exuisset, ingressus est in stagnum, cuius aquis trium horarum spatium immersus permansit, et *ita*, toto corpore pustulescente [1] et nigrescente, elephantiaco similis evasit. Inde egressus et vestimentis denuo indutus, venit ad patrem, qui, eum intuitus, non statim, sed demum praemissa aliquanti temporis consideratione, agnovit; et interroganti quidnam aspectum mutavisset enarravit quae fecerat. Die dominica, cum parente ad ecclesiam se contulit ut communionem reciperet; Deus autem patri Isidoro ('Īsīdārūs), presbytero scetensi (Šīhāt), egregium patris Zachariae facinus revelavit, et hunc sibi praesentem ille admiratus, monachis dixit: « Die dominica superiore, Zacharias sacram Eucharistiam ut homo accepit, nunc vero angelus factus est. » Postea hic pater universas virtutes acquisivit ope humilitatis, cuius perfectionem attigit, ita ut ipsius parens dictitaret: « Multam equidem navavi operam, neque tamen gradum filii mei Zachariae assecutus sum. » Perseveravit hic pater *Deo* militans et vitam monachicam exercens quadraginta quinque annos, cum in desertum septem annos natus ingressus

[1] B et G: dilabente.

esset. Summa igitur vitae eius quinquaginta duo anni, quibus elapsis in pace quievit.

Benedictio orationum eius nobis adsit. Amen.

Mensis Bābah dies decimus quartus.

Hodie requievit sanctus apostolus Philippus. Erat hic apostolus ex incolis Caesareae palaestinensis, et, Domino Iesu Christo illac transeunte et docente, audivit doctrinam eius atque, eius praeceptis obsecutus, ipsi statim adhaesit. Quo tempore autem ex iis qui se sequebantur elegit Dominus septuaginta discipulos, quos ad annunciandum evangelium et aegrotos sanandos mitteret, inter illos connumeratus fuit hic discipulus; eundemque duodecim apostoli in censum septem diaconorum a se constitutorum retulerunt; quare, in civitatibus Samariae prae-
p. 63. dicans, baptizavit Samaritanos, itemque Simonem *Magum, qui, cum tentasset donum Spiritus sancti pecunia comparare, a Deo perculsus interiit. Postea ei apparuit angelus Domini, praecipiens ut in viam Gazae se conferret [1]; quo confestim progressus, invenit eunuchum, ministrum Candacis (Qandāqis), reginae Aethiopum, quaedam ex libro Isaiae prophetae legentem. Et sectio quidem quae legebatur haec erat: « Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se [2]. » Sensum itaque loci legenti explicavit, agi nimirum de Christo Domino qui libera voluntate, salutis humani generis causa, passus est. Credidit eunuchus, apostolo suadente, a quo baptismum et expetiit et suscepit; illoque baptizato, Philippus ab angelo Domini in urbem Azotum (Ašdūd) raptus est, ubi praedicavit; tum Asiae regiones perlustravit atque in eis evangelium vivificum annunciavit; erantque ei quattuor filiae [3], quae praedicationis munere cum ipso fungebantur. Plurimis Iudaeorum, Samaritanorum aliarumque gentium ad fidem adductis, in pace quievit.

Benedictio orationis eius ad extremum usque halitum nobis adsit. Amen.

[1] Sic ex B, C et G. A haec tantum habet: Apparuit ei angelus Domini in via Gazae. — [2] Is., LIII, 7. — [3] B et C add.: prophetissae.

Mensis Bābah dies decimus quintus.

Hodie requievit sanctus et inclytus vir Pantalaemon (Bandalāymūn) [1]. Hic sanctus, ex urbe Nicomedia oriundus, patrem habuit idolorum cultui addictum, matrem vero christianam. Qui eum sollicite educaverunt et artem medicinae ab eo addiscendam curaverunt. Dein adhaesit presbytero cui nomen Hermolaus ('Armūlāwos), a quo fidem in Christum edoctus et baptizatus, ad altum virtutis gradum profecit, Deo per manus eius magna miracula patrante. Ex quibus *illud memoratur*, virum luminibus orbatum ipsum adiisse, arte medica ab eo curandum, eum autem ambos oculos cruce signavisse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, oculosque ita sanatos ut iis vir res acute cerneret. Imperator, de huius caeci sanatione certior factus, eum arcessivit et interrogavit remedium quo sanati fuissent ipsius oculi. Qui respondit, eos a sancto Pantalaemone sanatos esse, imponente eis manum et nomen Patris et Filii et Spiritus sancti invocante; tum coram imperatore confessus se esse christianum, capite statim truncatus est. Dein, advocato sancto Pantalaemone, Imperator, doctrinam eius sciscitatus, confitenti se esse christianismi sectatorem plurimum blanditus
est et praemia magnifica proposuit; * at quia nulla ex his rebus p. 64.
ille flectebatur [2], eum dies complures acerbis affecit cruciatibus, sive verberando, sive suspendendo, sive in mare et ignem proiiciendo. Quare martyri apparuit Christus Dominus, speciem praeferens Hermolai sacerdotis qui eum baptizaverat, animumque addidit, et videbatur singulorum tormentorum cum ipso particeps fieri. Cum autem decollandum ducerent, preces supplex ad Christum Dominum direxit; et venit vox ad eum, praenuncians gratias caelestes quae ipsi paratae essent. Qua voce audita, milites crediderunt et, imperatorem adeuntes, fidem professi sunt in Christum Dominum; unde una cum illo decollati sunt.

Oratio omnium nobis adsit. Amen.

[1] B: Bīdlāymūn; C: Bīnlāymūn; E: Bintalāymūn; F: Bitīlāymūn; G: Bintilāun. — [2] C haec inserit: Durioribus eum increpavit verbis variisque intentatis suppliciis territavit, et cum nec sic ullo modo moveretur . . .

Mensis Bābah dies decimus sextus.

Hodie requievit pater noster sanctus Anbā Agatho, patriarcha urbis Alexandriae, qui trigesimus nonus est e serie patriarcharum. Electus, post mortem sancti patris Beniamini, ad praecelsam illam patriarchae dignitatem, ideoque apprehensus, ligatus et patriarcha consecratus, multas propter fidem adversitates expertus est. Inter quas accidit ut ipsius temporibus vir cui nomen Theodosius (Tāwodāsyūs), Melchita religione, Damascum peteret et califam in ea civitate sedentem, Iezidum (Yazīd), Moaviae (Muʿāwyah) filium, adiret, a quo, oblata magna pecuniae vi, litteras obtinuit quibus urbis Alexandriae, Alboherae (el-Buḥayrah) et Mariutae regimini praeficeretur. Exinde coepit potestate dure abuti in patrem nostrum patriarcham, huic, sicut et discipulis eius, indicta capitatione, ita ut a patriarcha et a discipulis triginta sex denarios quotannis sibi pendi iuberet. Eum insuper coegit ad ea omnia suppeditanda quae navibus classis quotannis necessaria erant, quotannis exigendo septem denariorum millia. Adeo autem improbus erat ut eius consuetudo vel ab hominibus eiusdem religionis consortibus vitaretur, qui ipsum propter agendi rationem in patriarcham aversabantur. Nec poterat pater *Agatho* e domo sua egredi, dictitante illo: « Quicumque patriarcham in platea obvium habuerit, occidat
p. 65. eum », mansitque *aedibus suis clausus donec Deus hypocritam istum morte afficeret.

Huiusce patris temporibus completa est ecclesiae sancti Abū Macarii (Maqār) aedificatio. Quadam autem nocte apparuit ei angelus Domini, qui certiorem eum fecit, in regione Faeumensi (el-Fayūm) degere virum sanctum, cui nomen Iohannes, ex monachis ecclesiae sancti Abū Macarii, praecepitque ut misso nuntio illum accersitum sibi adiutorem assumeret in populo exhortando et doctrina tradenda, atque praedixit eundem in patriarchae munere successurum. Misso igitur nuntio, illi ad se vocato commisit ecclesiarum curam ac regimen, institutionemque et exhortationem fidelium, magnaque oneris parte ab eo levabatur. Completis in principatu exercendo septemdecim annis, hic pater placide quievit.

Benedictio precum eius nobis adsit. Amen.

Eadem die, commemoratio [1] sancti Tarbi (Tarbū [2]), sancti Apollo (Abollū [3]) et sancti Petri, discipuli sancti Isaiae. Quorum omnium orationes nos tueantur et in aeternum custodiant. Amen.

Mensis Bābah dies decimus septimus.

Hodie commemoratio sancti Gregorii, fratris Basilii, cum tamen non haec sit dies mortis eius [4]. Benedictio orationis illius nobis adsit. Amen.

Eadem die, commemoratio mortis patris Dioscori, qui, Anbā Iohannem (Iūḥannā) excipiens, sedem patriarcharum urbis Alexandriae trigesimus primus obtinuit. Erat hic pater indole mitis, labore et scientia insignis, inter aequales perfectus [5], ita ut nemo tunc temporis ei aequiparandus occurreret. Ex Spiritus sancti instinctu provectus, initium fecit a conscribenda ampla quadam epistula, quam Antiochiam ad patrem sanctum et doctorem Ecclesiae Severum misit, et in qua confitebatur sanctissimam Trinitatem essentia et divinitate aequalem, tum, altero loco, incarnationem ita exponebat, ut Deus Verbum corpus humanum omnibus dotibus perfectum, anima intelligente et rationali praeditum, assumpserit et cum eo per unionem factus fuerit unus Filius, unus Christus, *unus Dominus, haud p. 66.
capax divisionis in duas partes, utque sancta Trinitas sit, ante et post unionem, una eademque divinitas [6], cui nihil per incarnationem accreverit. Epistula ad se perlata et a se lecta, pater Severus summo gaudio affectus est, cumque eam populo Antiocheno recitavisset, eadem universi laetati sunt. Dein vero, rescripto litteris Dioscori dato, huic sanctus Severus gratulatus est tum regimen christianum tum fidem orthodoxam, hortatusque ne ab hac sive dextrorsum sive sinistrorsum declinaret, sed ut in omnibus dictis atque operibus doctrinae insisteret quam Patres trecenti decem et octo Nicaeae definiverunt, et regulis ac legibus quas constituerunt. Denique stimulos addebat ad populum edocendum, multumque hac in re urgebat. Epistulam accepit hic pater *Dioscorus*, qua reddita gaudens, eam

[1] Inserit C mentionem « sancti martyris Antonii. » — [2] B, C, E et G: Qarbū; F: Bartū. — [3] B: 'Abdalū; C et F: 'Abābolū; E: 'Abāylū; G: 'Ilū. — [4] C add.: Mors enim eius die mensis ṭubah 21ª accidit. — [5] In B legitur: In vita sua perfectus. — [6] In B et G legitur: ... una eademque Trinitas; C incisum omittit.

iussit e suggestu recitari. Erat porro idem pater assiduus in plebe erudienda et in concionibus ad eam habendis; sacerdotes cuiusvis loci excitabat ad id officii praestandum, eosque hortabatur ad custodiam gregis ipsis commissi. Opus suum cum perfecisset, in pace quievit.

Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

Mensis Bābah dies decimus octavus.

Hodie requievit sanctus pater Theophilus, patriarcha urbis Alexandriae. Hic sanctus fuerat discipulus patris Athanasii apostolici, in huius domo [1] educatus et ab eo omni animae et intellectus cultu instructus. Mortuo sancto patre Timotheo, suffectus est hic pater in eius locum. Erat porro hic pater [2] scientia praeditus, libros ecclesiasticos memoria tenens gnarusque explicationis eorum, et ea qua floruit aetate conscripsit conciones plurimas atque amplas commentationes de exhortatione ad caritatem et misericordiam, de mysteriis divinis nonnisi caute adeundis et hominibus male dispositis, de resurrectione et de poenis quae peccatores maneant: itemque alias edidit commentationes utiles. Filium sororis habuit sanctum patrem nostrum Cyrillum, de quo sese valde sollicitum exhibuit. Hunc misit ad patrem Serapionem (Sarābyūn) in monte Scete (Šīhāt) commorantem, a quo in vita spiritali recte edu-
p. 67. caretur, eumque reipsa Anbā Serapion *omni cultu spiritali donavit, effecitque ut libros Ecclesiae memoriae mandaret. Postquam autem *Cyrillus* scientia et opere perfectus evasit, ab avunculo in huius domum evocatus, praelectionibus coram eo ad populum habendis assiduam navavit operam.

Quo tempore pater noster Theophilus apud patrem Athanasium commorabatur, hunc audierat dicentem de tumulis quos suis aedibus praeiacentes intuebatur: « Si tempus suppetat, his aggeribus sublatis, in eorum loco ecclesiam sancto Iohanni Baptistae et Elisaeo prophetae sacram aedificabo. » Patriarcha factus, tumulorum recordatus est. Erat autem in urbe Roma mulier quaedam dives, cui, defuncto marito, superstites erant duo liberi. Hisce divitiisque, una cum imagine illustris angeli

[1] Ad litt.: cella. — [2] Sic in textu pluries recurrit eadem, etsi nihil perspicuitati sensus conferens, appellatio.

Raphaelis, assumptis, Roma discessit et Alexandriam petiit: ubi, cum audivisset patrem Theophilum mentionem iniicientem duorum tumulorum, divino ardore incensa, data pecunia auferendum curavit utrumque aggerem, tuncque subiacens apparuit thesaurus, coopertus lapide cui littera *thēta* (Θ) ter insculpta. Quod intuens pater Theophilus, Spiritus sancti instinctu signorum mysterium intellexit, et testatus est iam advenisse horam revelationis thesauri huius, eo quod uno eodemque tempore littera *thēta* ter concurreret, nimirum *in nominibus* Θεοῦ, seu Dei, Θεοδόσιου imperatoris — nam imperator ea aetate erat Theodosius iunior, filius Arcadii et Theodosii Magni nepos, — et Θεόφιλου patriarchae, i. e. sui ipsius. Invenit porro thesaurum absconditum fuisse temporibus Alexandri, filii Philippi macedonii, ac proin septingentos circiter annos iam effluxisse: tum, misso ad imperatorem nuntio, ei eventum manifestavit, rogans ut veniret et rem oculis usurparet. Qui, cum venisset, thesaurum intuitus, huius partem dedit Theophilo patriarchae, qui plures aedificavit ecclesias, et primum quidem ecclesiam exstruxit, nominibus Iohannis Baptistae et Elisaei insignitam, in quam utriusque sancti corpora transtulit et quae hodie ed-Daymās [1] nuncupatur; tum *alteram* erexit ecclesiam, almae Virgini Mariae, matri Iesu Christi, dicatam, quae nunc a Melchitis in orientali civitatis parte possidetur; item ecclesiam nomini angeli Raphaelis [2] sacram, in insula: aliasque ecclesias molitus est, feruntque septem ab eo conditas. Dein filios viduae [3], *de qua supra,* episcopos consecravit. *Imperator autem, patris p. 68.
patriarchae studium atque ardorem in exstruendis ecclesiis admiratus, ei attribuit opes delubrorum quae idolis per universam Aegyptum sacra erant; quorum plerisque eversis, in horum locum ille ecclesias et peregrinorum hospitia substituit, perpetuis reditibus assignatis. Postquam vitam hanc honestam et Deo gratam degit, ad Dominum cuius amore flagrabat translatus est.

Benedictio orationis eius nobiscum sit. Amen.

[1] I. e. spelunca, crypta. — [2] C: Michaelis. — [3] C: mulieris.

Mensis Bābah dies decimus nonus.

Hodie, in urbe Phaeuma (el-Fayūm)[1], regnante Diocletiano (Diqlādyānūs), martyrium passi sunt sanctus Theophilus et uxor eius. Hi apud praefectum Phaeumae accusati sunt quod christiani essent, ipsosque accersitos interrogavit quid crederent, et, cum fidem coram eo aperte confessi essent, iussit ambobus fossam profundam parari eosque in eam demitti, tum lapidibus obrui; quod factum est, et sic illi martyrii coronam consecuti sunt.

Benedictio orationis amborum nobiscum sit. Amen.

Eadem die, in ecclesiam Antiochiae coactum est concilium adversus Paulum samosatenum. E populo samosatensi oriundus, infelix iste, renuntiatus patriarcha urbis Antiochiae, amplexus erat sententiam, cordi eius atque animo a diabolo insitam, Christum merum hominem esse, quem Deus Pater creaverit atque elegerit, ut per eum salutem hominibus afferret; principium autem totius Christi ex Maria repetendum, et divinitatem non ei unitam, sed ipsum comitatam, in eodem voluntate sua habitavisse, Deum quippe unicam personam esse. Neque enim in Filium, neque in Spiritum sanctum credebat. Illius igitur causa adunatum est sacrum hoc concilium in civitate antiochena, regnante Valerio (Walāryūs)[2] imperatore, sedem patriarchae alexandrini tenente sancto patre Dionysio, sedente item Dionysio in cathedra romana, annis quadraginta quinque antequam concilium nicaenum celebraretur. Pater Dionysius, Alexandriae patriarcha, qui senuerat nec poterat communi episcoporum coetui interesse, ad eos epistulam direxit qua haec complectebatur: Christum esse Dei Verbum et Filium, ipsique aequalem in essentia, in divinitate, in antiquitate et aeternitate; Trinitatem tres esse cum suis proprietatibus personas, unius divinitatis consortes;
p. 69. unum *e Trinitate, qui est Filius, incarnatum esse in homine perfecto et huic unione naturali unitum. Tum haec testimoniis multis et Antiqui et Novi Foederis confirmabat. Epistulam autem per presbyteros[3] ex populi sui doctoribus misit. Tredecim

[1] Nomen plerumque regionis, aliquando tamen, ut hic, urbis quam scriptores graeci Arsinoen passim appellant. — [2] B: Nūlāribūs (vel Nūlāryūs?). — [3] Sic ex plerisque codd.; A, mendose: presbyterum.

itaque episcopi cum presbyteris congregati Paulum memoratum adstantem interrogaverunt de ipsius impietate; quam non negavit, sed confessus est; ideoque improbarunt Patres eius doctrinam, ei recitaverunt epistulam patris Dionysii, eique opposuerunt Apostolum affirmantem, Christum esse Verbum Dei, Filium eius, splendorem gloriae ipsius et substantialem personae eius imaginem[1]. Cum vero nec eorum dicta reciperet nec ab impietate recederet, eum absciderunt, anathematizarunt, excommunicaverunt et e sede expulerunt, iis simul excommunicatis qui cum ipso sentirent. Porro condiderunt illi Patres, in eodem concilio, canones quos in manibus suis positos consueverunt fideles legere[2], utilitatem exinde percipientes.

Benedictio precum huius patris nobis in perpetuum adsit. Amen.

Mensis Bābah dies vigesimus.

Hodie requievit magnum illud lumen Abū Iohannes Curtus[3]. Erat hic ex incolis loci Tabṣā[4] nuncupati, in Aegypto superiore. Ipse et frater, honestis piisque parentibus progeniti, nihil possidebant divitiarum huius mundi, fide *tantum* et operibus bonis locupletes. Ille autem, annos duodeviginti natus, gratia Dei motus est ut desertum Scete peteret et vestem spiritalem atque angelicam, quae vitae monasticae propria est, ambiret. Quare ab occurrente sibi sene, experientia docto, cui nomen Anbā Bamuyah, ex incolis Saḫā, coram eo prostratus, petiit ut sibi liceret apud eum commemorari. Qui, cum vellet ipsius experimentum capere, sic eum affatus est: « Non expedit tibi, fili, ut hic remaneas; molestum enim est desertum hoc, ubi manibus laboratur et simul tamen ieiunia multa tolerantur, humi cubatur, parcissime et durissime vivitur; revertere igitur in mundum, tu, ibique felix vivito. » Respondit Abū Iohannes: « Per Deum, o pater, ne a te me repellas, qui veni ut tibi obedirem et orationis tuae umbra fruerer; quod si me admiseris, spero cor tuum a Domino ad me inclinatum iri. »

[1] Cod. A: et substantialem eius personam atque imaginem. — [2] B: ex officio adimplere; C et G: ad virtutes exercendas sequi. — [3] Idem est qui apud Graecos passim Iohannes Kolobos nuncupatur. B add.: hegumenus. — [4] C: Tansā; G: Bīšā; in B nominis proprii locus vacuus prostat.

p. 70. *Anbā Bamuyah, qui nihil praepropere agere solitus erat, Christum Dominum rogavit ut sibi quid facto opus esset revelaretur. Ei itaque apparuit angelus Domini, dicens: « Dominus tibi praecipit ut illum fratrem accipias, erit enim vas electionis. » Introduxit igitur Abū Iohannem, rasit capillos capitis eius, et, assumptis vestibus monachicis, eis trium dierum totidemque noctium oratione benedixit; tum apparuit angelus Domini, qui signo crucis easdem signavit iisque Iohannem induit. Inde coepit hic plurimas vitae religiosae virtutes et opera bona exercere.

Quadam autem die, Anbā Bamuyah, ut Abū Iohannem experiretur, eum a se abiecit, dicens: « Tecum habitare non possum. » Qui septem dies extra portam mansit, magistro quotidie egrediente ut illum virga palmea verberaret, et Abū Iohanne sese verberanti prosternente. Septimo vero die, senior Anbā Bamuyah, egressus ecclesiam adeundi causa, septem angelos vidit afferentes septem coronas capiti Abū Iohannis imponendas; quem ex illa hora reverentia et honore prosecutus est. Alia quadam die, Anbā Bamuyah lignum aridum a se inventum Abū Iohanni tradidit, dicens: « Hoc assume et irriga [1]. » Qui, praecipienti dicto audiens, coepit lignum singulis diebus bis irrigare, cum aqua duodecim milliaria ab eorum cella distaret. Triennio elapso, lignum germinavit et evasit arbor fructifera, cuius fructum senior *Anbā Bamuyah* ad *alios* seniores circumferens, dicebat: « Accipite et comedite hunc obedientiae fructum. »

Aegrotavit porro Anbā Bamuyah, et, infirmitate duodecim annos detentus, sibi famulantem Abū Iohannem habuit, qui nulla unquam die dixit: « Vires non suppetunt; » erat enim senex experientia exercitatissimus; quem Deus morbo ita extenuavit ut, ligno quod ignis adusserit similis, fieret hostia egregia. Morti proximus, seniores congregavit et, manu Abū Iohannis apprehensa, eum illis commendatum voluit, dicens: « Hunc magni faciatis, quippe qui non homo, sed angelus est. » Tum, Abū Iohannem hortatus ut in eo loco maneret ubi arborem plantaverat, in pace quievit. Posthac Iohannem convenit ipsius frater natu maior et, vitam religiosam apud eum professus,

[1] B add.: donec germinet.

monachus eximius evasit [1]. Quando autem autem Abū Iohannem ecclesiae archipresbyterum [2] crearunt, dum manus ei imponit patriarcha, venit e caelo, omnibus audientibus, vox dicentis: « Dignus, dignus, dignus. » Quoties porro sacrum missae sacrificium offerebat Abū Iohannes, dispiciebat eos qui digni Eucharistiae sumptione, itemque eos qui indigni forent.

Anbā Theophilus *patriarcha ecclesiam tribus pueris in ci- p. 71.
vitate alexandrina aedificaverat, cumque optaret huc trium puerorum corpora ex Chaldaeorum urbe Babylone afferri, rogavit sanctum et pium Abū Iohannem ut, illuc se conferens, eadem asportaret. Qui, diuturnis precibus demum cedens, ex aedibus patriarchae egressus [3], nube quadam sublatus et Babylonem transvectus, vidit urbem, flumina et castella eius, corpora etiam trium sanctorum puerorum et eis proxime adiacens corpus Nabuchodonosor (Boḫtnasr) regis [4]; e corporibus autem prodiit, ad eum directa, vox qua monebant sancti, sese loco illo ante iudicii diem non cessuros, hortari tamen se ut curaret ecclesiae lampades oleo implendas [5], igne non admoto, seseque tunc adfuturos et illis ad miraculum patrandum usuros [6]. Nec secus factum; siquidem, Abū Iohanne reverso et re cum patriarcha communicata, statim ac lampades oleo impleverunt, omnes sponte accensae sunt.

Quadam die, ingressus frater in cellam Abū Iohannis, hunc invenit dormientem, angelis ei flabellorum more aerem cientibus et singulis dicentibus: « Sine ut ala mea eum

[1] C, cui partim consonat G: Iohannem convenerunt fratres multi et vitam religiosam apud eum professi, monachi eximii evaserunt. — [2] B: Hegumenum. — [3] G, explicatius: E domo patriarchae Theophili exivit, iter facturus Babylonem. — [4] G ins.: Et coram eis se prosternens, causam aperuit cur, praescribente patre patriarcha, ex Alexandriae finibus adveniret; ac priusquam secretum exposuisset... — [5] Sententiam sic ampliat G: Attamen, *inquiebant*, ex amore patriarchae Theophili atque etiam propter tuam defatigationem, ne laborem a vobis susceptum frustremur, patriarcham monemus ut, populo in ecclesiam congregato, iubeat a famulo lampades apparari... — [6] Quae subsequuntur, in G sic se habent: Postquam pacem ei precati sunt, ipse Babylone profectus et Alexandriam reversus, patrem patriarcham de iis certiorem fecit quae mandaverant sancti. Ea re gavisus est patriarcha et praecepit ut lampades appararentur, igne tamen non admoto; et cum universus populus convenisset, adfuerunt sancti in ecclesia atque *lampades* accenderunt, quemadmodum Anbā Iohanni praedixerant.

obtegam. » Postea, Berberis desertum Scete invadentibus, Abū Iohannes ad Antonii montem, haud procul a Qolzom (el-Qolzom) [1], migravit ibique commoratus est, non quidem ex timore mortis, sed ne, uti aiebat, « adveniens Berberus, me interfecto, mei causa ad gehennam detrudatur; neque enim placet in quiete me versari et alium propter me tormentis addici; nam etsi mihi in re religiosa non consentit, humana tamen forma frater meus est. » Habitavit igitur in confinio urbis, huiusque incola quidam fidelis, Deo providente, ei famulabatur. Adveniente vero tempore quo statuerat Dominus eum vinculis huius mundi solutum quiete donare, ad eum duos sanctos suos Abū Macarium Magnum et Antonium misit, qui ipsum de profectione certiorem facerent et consolarentur. Levi itaque morbo affectus est, et, famulo ad rem quamdam ex urbe comparandam dimisso, nocte diei dominicae adfuerunt angeli et sancti complures, qui acceptam beati Abū Iohannis animam ad caelum deduxerunt. Quare rediens famulus vidit animam illam multitudine sanctorum circumdatam, et angelos qui canentes praecedebant, aliquem quoque qui omnium primus cantans gradiebatur, solis instar fulgentem. Et cum aliquantisper haereret attonitus, accedens angelus ei singulorum sanctorum nomina revelavit, his usus verbis: « En Anbā Pachomium, communitatis patrem; en Abū Macarium Magnum; en alium quendam »; simulque singulos digito indicabat. Porro interro-
p. 72. gavit famulus: « Et quis est primus ille, *qui solis splendorem adaequat? » Cui angelus: « Ipse est Antonius, universorum monachorum parens. » Cum autem ad speluncam pervenisset famulus, sanctum invenit humi adorantis more prostratum, et, plurimis super eum fusis lacrimis, properans urbis incolas rei certiores fecit; qui convenientes defunctum magno cum honore asportaverunt, et e corpore civitatem ingredientis multa prodierunt miracula. Posthac accesserunt filii eius idemque corpus abstulerunt, quod nunc, in eius monasterio depositum, omnibus ad illud confugientibus portus [2] loco est.

[1] Qolzom vel Qolzūm, eadem urbs quae in documentis graecis Klysma, apud nostrates Suez vocatur. — [2] Manifesto hallucinati sunt qui, praeeunte Wüstenfeld, nomen مينا, « portus », proprium alicuius monasterii nomen esse putaverunt. Haec tamen « portus » metaphora, ex qua error obortus, plus semel in *Synaxario* occurrit.

Intercessio huius sancti et benedictio orationis eius nobis adsint. Amen.

Mensis Bābah dies vigesimus primus.

Hodie festum celebramus translationis ossium Lazari, quem Dominus a mortuis suscitavit. Haec ad urbem Constantinopolitanam transtulit quidam imperatorum christianorum. Cum enim rescivisset eadem in insula Cypro asservari, illuc misit viros fidos ex primoribus sacerdotum, istique sacrum corpus invenerunt humo subiacens et urna marmorea inclusum, cui insculptum erat: « Hoc est corpus Lazari, quem sibi amicitia devinctum Dominus Iesus Christus a mortuis post quattuor dies suscitavit. » Repertum igitur corpus gestientes in urbem Constantinopolim asportarunt, et sacerdotes advecto obviam egressi idem honorificentissime, cum precibus et laudibus plurimis atque thure, exceperunt; depositumque est in sacello donec *peculiaris* ei aedificaretur ecclesia, ad quam tunc delatum est et in qua festum eius celebratum.

Benedictio orationis eius et intercessio eius nobis faveant. Amen.

Eadem die festum agimus mortis prophetae incliti Ioelis. Suo prophetae munere hic functus est regnante Asa, filio Abia, filii Roboami [1], filii Salomonis. Conciones ad populum habuit atque eum reprehendit; praenunciavit descensum Domini *in Sion et p. 73.
passionem eius, item descensum Spiritus sancti Paracliti in discipulos purissimos, die Pentecostes eventurum; monuitque eos vaticinaturos, atque una cum iis filios, senes et iuvenes eorum, mulieres quoque quae inter ipsos essent. Quod si dixit propheta [2] in vaticinio suo: « Spiritum meum *ego* effundam in omne genus humanum », neque tamen in alios effusus est *Spiritus* nisi in sanctos discipulos, hos ille, propter perfec-

[1] Tria regum nomina verto iuxta probabiliorem textus primigenii, non idcirco tamen veritatis historicae, restitutionem. De variis autem immutationibus quas eadem nomina experta sint ex amanuensium imperitia vel negligentia videsis editionem meam arabicam. Cuius notulis et hoc addi possit, in cod. G legi: ... regnante 'Abīsīmā, filio 'Arābyā, filii Rāğī'ām! — [2] G: Quodsi obiecerit quispiam, prophetam dixisse.

tam [1] in ipsis humanitatem, vocavit omne genus humanum, quia quicumque in humanitate et recta vivendi ratione perfectionem non attingit, homo non vocatur. Altera tamen interpretatio est, ab ipsis discipulis in eos omnes Spiritum effundi qui ipsorum opera usque ad diem resurrectionis credituri sint. Vaticinatus est *hic propheta* etiam de lege evangelica ex Sion egressura, dum dixit: « E domo Domini exhibit fons ad irrigandam vallem Satim (Šaṭīm) [2] »; praedixit bella in terris post adventum Christi Domini futura; de resurrectione locutus est, nuncians solem obscuratum iri, lunam in colorem sanguineum mutandam, stellas lumen suum amissuras. Pluribus quam mille annis vaticinio suo praecessit hic propheta Christi nativitatem; erat autem ex tribu Ruben (Rūbil). Mortuus in senectute bona et Deo grata, in agro suo sepultus est.

Eius oratio nobis adsit. Amen.

Hac etiam die, ex praescripto sanctorum Patrum, inclitae Dominae Virgini Mariae, Dei Genitrici, fidelium patronae, festum agimus, singulis mensibus iterandum, ad recolenda eiusdem beneficia, ut ipsa nostri coram dilecto Filio suo semper recordetur et ab eo nostrorum peccatorum veniam efflagitet.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Bābah dies vigesimus secundus.

Hodie martyrium subiit sanctus Lucas, evangelista et medicus. Fuerat e numero septuaginta *discipulorum* quos sacrum Evangelium memorat, seseque comitem adiunxit Petro et Paulo, atque ea conscripsit quae ad ipsos spectant. Mortuis duobus illis apostolis, perseveravit apostolus Lucas in finibus Romae praedicans. Cultores vero idolorum et Iudaei communi consensu Neronem imperatorem adierunt, querelam adversus discipulum
p. 74. Lucam moventes, eo quod *ad huius doctrinam et magiam omnes homines confluerent. Arcessitus igitur *a Nerone*, cum perspiceret discipulus se ex hoc mundo migraturum, viro grandaevo, piscatori, qui sibi occurrerat, libros dedit et omnia volumina quae secum habebat, dicens; « Haec sollicite asserva, tibi

[1] G add.: Eiusmodi difficultati duabus satisfit explicationibus, quarum prior est, sanctos discipulos, in quos descendit Spiritus sanctus, propter perfectam... — [2] In textu hebr., Ioel., iv, 18: Šiṭṭīm.

enim proderunt et viam Dei ostendent. » Adductum autem Romam et coram se stantem Nero imperator interrogavit: « Quousque homines magia tua decipies? » Cui Lucas: « Equidem magus non sum, sed apostolus Domini mei Iesu Christi, Filii Dei. » Iussit ille amputari anticam brachii eius dexteri partem, his usus verbis: « Abscindatur manus illa quae scripsit. » Respondit Lucas: « Nos mortem huius mundi non horremus [1] »; tum manum amputatam sinistra apprehensam aptavit loco pristino, cui firme adhaesit; dein eam abrupit, et avulsa iacuit. Mirantibus itaque omnibus qui aderant, crediderunt administer regius, huius uxor et multitudo numerosa, ducentis sex et septuaginta capitibus constans [2]. Quare in eos sententiam dixit Nero, ut una cum Luca apostolo et evangelista decollarentur; et huius martyrio ita consummato, corpus strato e pilis contexto involutum est et in mare proiectum; sed fluctibus Deo dirigente ad insulam delatum ibique repertum vir quidam fidelis accepit et pretiosis linteis sepelivit. Hic sanctus, qui stirpe gentilis erat, Evangelium suum Theophilo conscripsit, tum commentarios subiunxit de Apostolis.

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

Mensis Bābah dies vigesimus tertius.

Hodie requievit pater Anbā Yusāb, Alexandriae patriarcha. Ex Manufi [3] primoribus iisque ditissimis progenitus, hic pater, cum illis mortuis orphanus remansisset, a viro pio educatus est. Paulo grandior factus, facultates suas pauperibus eleemosynas distribuere coepit; tum ad Aegypti [4] desertum ascendit, ubi vitam monachicam apud magistrum grandaevum et sanctum amplexus est. Audita autem eius vivendi ratione, pater noster Anbā Marcus secundus, statim ac promotus est *ad patriarchatum*, eum ad se arcessivit et in suis aedibus [5] habitantem aliquandiu habuit. Dein rogavit ille ut sibi liceret solitudinem petere.

[1] B et C add.: ut tamen Domini mei potestatem perspectam habeas... — [2] C add.: et coram Nerone imperatore fidem suam confessi sunt. — [3] Urbs eadem, ut videtur, cui nomen apud Graecos Onuphis, caput nomi Onuphitis. Cf. tamen Amélineau, *op. cit.*, p. 247-252. — [4] In textu: Miṣr; quo nomine forsan hoc loco, ut alibi passim, significari possit ea urbs (vel pars eiusdem) quae tempore posteriori vulgo el-Qāhirah nuncupata est. — [5] Ad litt.: in sua cella.

Quare ordinatum sacerdotem dimisit *Marcus* in desertum, in quo aliquot annos commoratus est, donec, defuncto patre Anbā p. 75. *Simeone (Simāwon) patriarcha, sedes aliquot annos vacavit.

Tum episcopi nonnulli, acceptis muneribus a quodam rerum publicarum procuratore saeculari et coniugato, hunc, consentientibus quibusdam laicis alexandrinis, patriarcham elegerunt. Iis vero obstiterunt reliqui episcopi[1], qui, facto eorum improbato, universi preces ad Deum fuderunt et ipso dante recordati sunt huiusce patris, morum eius optimorum et vitae generis quod insisteret cum apud patrem Iacobum[2] moraretur. Quosdam igitur ex suis adlegarunt, qui eum arcesserent; et qui missi fuerant Deum sic precati sunt: « Rogamus te, Domine, ut sensibili signo nobis manifestes utrum elegeris tu hunc patrem ad illam praefecturam gerendam; sit itaque nobis hac in re, indicii loco, quod, ipsum convenientes, eius portam apertam inveniamus. » Advenientibus igitur porta eius aperta apparuit; ipse enim, dimissis monachis qui apud se fuerant, ianuam iamiam clausurus erat; sed statim ac illos aspexit, consalutatos gaudens excepit et in cellam introduxit. Qui, cum ingressi essent, eum apprehenderunt atque ligaverunt, dicentes: « Dignus *es*. » Ille autem clamans et flens coepit eis defectus suos et culpas ob oculos ponere. Neque tamen ei consenserunt: sed, urbem Alexandriam regressi, manus ei imposuerunt. Ipse, sancti Marci sede potitus, sese de ecclesiis magnopere sollicitum exhibuit, ita ut quidquid sibi superesset ex monasteriorum reditibus, id impenderet in fundorum emptionem quos ecclesiis perpetuo possidendos addicebat. Porro erat assiduus in docendis fidelibus, nec ullum eorum negligebat. Sed invidia prosecutus est eum Satanas, eique causa fuit molestiarum multarum, inter quas haec connumeratur.

Duo episcopi[3] plebem suam opprimebant; quos idcirco saepius reprehendit, rogans ut gregis sui misererentur; neque tamen monenti paruerunt. Quare illos dimisit. Utriusque vero subditi opem ac tutelam adversus ambos ab eo implorarunt, minati se, si causa caderent et regimen illorum confirmaretur, ad aliam religionem transituros. Multam operam

[1] B, C, G: archiepiscopi. — [2] C et G: Marcum. — [3] C add.: episcopus *urbis* Tinīs et episcopus *urbis* Miṣr.

contulit ut pacem utrimque restitueret, nec potuit. Quare misit qui episcopos totius regionis convocarent, ut ipse onere sententiae ferendae levaretur; et episcopi universi ambos excommunicatos voluerunt. Qui, postquam depositi sunt, praefectum urbis Cahirae (el-Qāhirah) adierunt, falsa crimina huic patri imputantes. Ablegavit itaque praefectus fratrem suum cum militibus, qui patriarchae vim inferrent et ad se perducerent; strictoque gladio nisus est frater praefecti illum interficere, *sed cum eundem ense peteret, divinitus aversa percutientis p. 76. manu et in columnam impacta, gladius confractus est. Maiore idcirco ira percitus ille, exempto cultro qui a cingulo pendebat, omni qua potuit vi patris latus perculit; at, vestibus et zona discissis, intactum permansit corpus. Unde, perspicue intelligens princeps patriarchae inesse divinam virtutem quae necem ab eo arceret, illumque suspiciens, ad fratrem adduxit, quem certiorem fecit eorum quae sibi in huius rebus versandis contigerant. Patriarcham igitur praefectus honore prosecutus est et reveritus; tum interrogavit de criminationibus quae in ipsum motae fuerant. Harum falsitate demonstrata, patriarcha praefecto exposuit quomodo se haberet causa duorum episcoporum. Placuit responsum praefecto, qui illum honoravit et diplomate donavit ne quis ei adversaretur, sive praeficienti aut amoventi aliquem, sive quidquam aliud agenti.

Porro patriarcha assiduam navabat operam reprehendendis peccatoribus, haereticis confutandis et omnibus in fide orthodoxa a patribus accepta confirmandis, eis explicando quae intellectu ipsis difficilia essent eosque tum orationibus suis tum doctrina communiendo. Deus — qui exaltetur! — plurima miracula per manus huius sancti viri patravit; isque, hunc suum cursum divinum emensus, in pace quievit, postquam in sede *patriarchali* novendecim annos, in statu monachico triginta novem et antea plures quam viginti exegerat; non procul enim distavit vitae ipsius summa ab octoginta[1] annis.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eadem die, commemoratio sancti et beati Dionysii, Corinthiorum episcopi, qui regnantibus incredulis Diocletiano et Maximiano martyr obiit. Plurimis cruciatibus affectus et postremo

[1] G: octoginta duobus.

acie gladii decollatus, coronam martyrii in regno caelorum consecutus est.

Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

Mensis Bābah dies vigesimus quartus.

Hodie commemoratio patris nostri, athletae puri, sancti Iblarionis ('Iblāryūn) [1], monachi et eremitae. Hic vir sanctus in urbe Gaza ex parentibus infidelibus progenitus erat, qui eum scientiis graecis erudiendum curarunt. In istis cum ita iam
p. 77. *versatus esset ut magistros [2] antecelleret, mentemque cupidiorem earum atque capaciorem experiretur, voluit eas optime callere; nec aderat in patria qui ipsum ad optatum finem perduceret. Idcirco in urbem Alexandriam se contulit, ubi doctorum scholas frequentavit, et, plurimis instructus disciplinis, ardore quodam divino incensus ad scientias christianas addiscendas, eas scrutatus est et persecutus, patre Alexandro ei exponente quae intellectu difficiliora essent; et ita ad fidem in Christum adductus atque a patre Alexandro patriarcha baptizatus [3], apud hunc diu commoratus est. Audita autem morte parentum suorum carnalium, in patriam reversus, ea quae parentes sibi reliquerant accepit distribuitque pauperibus atque egenis; tum quoddam ex Syriae monasteriis ingressus est, in quo omnibus vitae asceticae exercitiis ardenter defungens, hebdomadam totam ieiunabat et oleribus herbisque terrae vescebatur. Quare mens eius illuminata, ipseque gratia prophetiae et facultate miracula patrandi a Deo donatus est. Aliquandiu iam in monasterio degerat, cum in eodem monachi habitum suscepit sanctus Epiphanius. Hunc monasterii abbas tradidit sancto Iblarioni, qui eum scientiam vitae monasticae et disciplinas ecclesiasticas edocuit, tum vaticinatus est ipsum fore Cypri episcopum. Cum pervenisset hic pater ad aetatem octoginta annorum, ex quibus decem in domo paterna, septem in urbe Alexandria, sexaginta tres Deo mancipatus exegerat,

[1] Hanc nominis formam unanimi consensu tradunt octo codices quos examinare et adhibere contigit, nisi quod unus G legit: 'Iblāryūs. — [2] B, C et G: aequales. — [3] C ins.: religioni atque ascesi se addixit, et, vitam monasticam amplexus, ad patrem nostrum Antonium se contulit, apud quem...

in senectute bona Deoque grata obdormivit. Hunc sanctum laudibus extulit Iohannes Chrysostomus, eiusdemque meminit in quadam ex disputationibus suis asceticis sanctus pater Basilius.

Oratio eius nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria sanctorum Pauli et Longini (Lonğīnū) [1], martyrum, itemque sanctae Zinae (Zīnah) [2] martyris. Quorum omnium preces et benedictiones nobis adsint. Amen [3].

Mensis Bābah dies vigesimus quintus.

Hodie requievit Anbā Abīb, athleta Deo devotus. Insuper, usitato Aegypti superioris more, festum agimus Anbā Apollo ('Ablāu [4]). Porro patrem habuit Anbā Apollo, angelis aequalis, Amanium ('Amānī), ex civitate Aḫmīm, et matrem *cui nomen p. 78.
'Īsā [5]; qui erant ambo coram Deo iusti, insistentes viam mandatorum eius, sanctis et peregrinis amici; nec prole donati fuerant. Quadam vero nocte, matri eius in visione apparuit homo lumine circumdatus, secum ferens arborem quam in domo illius plantavit et quae, cum crevisset, fructum protulit, ipseque mulieri dixit: « Qui ederit ex hoc fructu in aeternum vivet. » Mulier fructum comedit et, gustu suavissimum experta: « Proferamne et ego, ait, fructum? » Expergefacta e somno, visionem cum marito suo communicavit, qui respondit sibi quoque eandem ipsam visionem exhibitam fuisse. Tunc, maximis gratiis Deo actis, promptiores adhuc ad virtutem et poenitentiae exercitia facti sunt, pane et sale vescentes et altero quoque die ieiunantes. Uxor autem, concepto fetu, tot fundebat preces quot virorum robur excedunt, siquidem, novem mensibus qui pueri nativitatem praecesserunt, singulis noctibus millies et interdiu millies et quingenties genu flectebat. Filium natum vocaverunt Apollo, multoque plura opera bona deinceps peregerunt. Mox coepit puer vestem monachorum propriam ambire, neque *a desiderio* destitit nisi inventa via *eidem satisfaciendi*. Assumpsit nempe amicum qui Abīb appellabatur, simulque profecti, vitam religiosam in quodam monasterio amplexi sunt, ibique duram exercebant poenitentiam. Paulo post, die vigesimo quinto mensis bābah, obiit Anbā Abīb. Tunc transiit Anbā Apollo ad montem

[1] C: Wātiğītū. — [2] C et D: Rīnah. — [3] H add.: Eadem die requievit sancta Irene. — [4] B et H: 'Abollū; C, E, F et G: 'Ablā. — [5] Vel: 'Aysī?

Ablug ('Ablūğ) [1], plurimosque ad se illuc convenientes in *timore* Dei — qui exaltetur! — et in vitae religiosae fervore erudiebat. Quadam die, dum memoriam agerent sancti Anbā Abībi, dixit eis Anbā Apollo: « Fratres, si quis hodie orationem in nomine sancti Anbā Abībi fuderit, ei Christus Dominus, prout promisit, peccata condonabit. » Illa porro ipsa hora defunctus erat unus *fratrum*, cuius funus ceteri circumstantes celebrabant. Cum itaque quidam ex istis dubii haererent de Anbā Apollo verbis, resedit qui mortuus erat, coepit loqui et dixit: « Quare nonnisi dubiam fidem patri nostro asseveranti adhibetis, cui pollicitus est Dominus illud concessum iri quoties memoria ageretur sancti Anbā Abībi? » His dictis, iterum recubuit et obdormivit, fratresque admirati Deum glorificaverunt.

Vixit Anbā Apollo usque ad senectutem provectam, fueruntque ei multa monasteria et fratres plurimi. Vivebat autem eadem aetate qua pater noster sanctus Abū Macarius (Maqār) Magnus, iisque auditis quae ad illum spectabant, Abū Macarius gavisus est, et litteras ad eum scripsit, quibus ipsum et
p. 79. fratres confortabat atque hortabatur ad labores *Deo inserviendi causa sustinendos; et, dum iste epistulam conscriberet, id ex instinctu Spiritus sancti rescivit Anbā Apollo, fratribusque qui magno numero circumstabant, sermonem de rebus Dei miscentes, dixit: « En scripsit nobis epistulam consolationis plenam pater noster Abū Macarius. » Dimidia hora postquam haec edixerat, advenit frater epistulam deferens, cui obviam egressi, laetantes eum exceperunt, recitataque est epistula coram fratribus, quorum corda confortata sunt ac magno gaudio affecta [2]. Hic est sanctus Anbā Apollo qui sanctum Anbā Amanium adiit, apud quem Sadiğam (es-Sādiğ) vidit, sanctam nempe mulierem [3] *illo nomine insignem*; idemque, cum voluit Christus requiem ei ab huius mundi defatigationibus concedere, in pace obdormivit.

Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

[1] Urbs vel pagus non aliunde notus, a quo mons adiacens nomen traxerit. Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 1. — [2] C add.: propter consolationem et sermones *spirituales inibi* contentos, illique, quemadmodum hortabatur pater noster Abū Macarius, in labore Dei causa sustinendo confirmati fuere. — [3] In edit. arab. mendose cusum: المرآة, cum signo *maddah* litterae *alef* imposito, quasi de speculo ageretur.

Eadem die [1], consecratio ecclesiae sancti Iulii aqfaṣensis, qui, prout in eius historia refertur [2], in Ṭamuaḥ martyrium passus est, et quidem post Diocletiani interitum et coeptum Constantini regnum, paulo antequam hic baptizaretur. Baptismo enim a se suscepto et potestate imperii christiani late diffusa, iamque exstructis ecclesiis quae nominibus martyrum ab infidelibus interfectorum dicatae erant, audivit Constantinus imperator quae ad sanctum Iulianum attinebant et quomodo, a Deo suscitatus, sese sollicitum de martyrum corporibus exhibuisset, eadem iuvantibus famulis suis efferendo sepeliendoque, tum vitas eorumdem conscripsisset ac denique martyr ipse obiisset. Quae huius sancti praeclare facta et vitae institutum laudavit ille, pecuniaque in Aegyptum missa, iussit ei in civitate Alexandrina pulchram aedificari aedem et eius corpus illuc deferri. Ecclesiam consecravit pater Alexander patriarcha cum episcopis suis, et in eiusdem honorem solemne festum hac ipsa die celebravit.

Illius intercessio nobis adsit. Amen.

MENSIS BĀBAH DIES VIGESIMUS SEXTUS.

Hodie martyrium subiit sanctus Ṭimon (Ṭīmūn). Fuit hic e *numero* septuaginta discipulorum quos elegit, discrevit et misit Dominus, collata eis virtute ad morbos sanandos et daemones expellendos; accepitque idem sanctus gratiam et donum cui diaboli et morbi cedere ac parere deberent. Dehinc Domino, quamdiu hic in terris corporeus vixit, inservivit, et post Domini ascensionem in caelum permansit in discipulorum famulatu quoad et sibi et illis infunderetur gratia Spiritus sancti; tum fuit ex septem diaconis quos a se electos Apostoli constituerunt, testati eos Spiritu et sapientia plenos esse; et, ministerio diaconatus aliquandiu defunctus atque manuum impositione consecratus episcopus urbis Boṣrae (Baṣrah) [3] occidentalis, in finibus el-Balqā sitae, illic fidem in Christum Dominum

[1] Consecrationem hanc, quam duo tantum codd. G et H memorant, in edit. arab., hoc loco, imprudenter omissam, non idcirco et in translatione praetermittendam duxi. Textum videsis in appendice nostra. — [2] Ad diem vigesimum secundum tūt, supra, pag. 39-41. — [3] B: Tasrā; C: Basrā; G: Baśrā.

praedicavit, *multosque* ex incolis, tum Graecis, tum Iudaeis, baptismo tinxit. Dein vero, a praefecto civitatis illius apprehensus, cruciatibus multis affectus, igne combustus, martyrio *coronatus* in pace quievit.

Benedictio orationis eius nobis adsit.

p. 80. *MENSIS BĀBAH DIES VIGESIMUS SEPTIMUS.

Hodie requievit sanctus et beatus Abū Macarius (Maqār), episcopus Atconis ('Atkū) [1]. In hoc patre adimpletum Davidis prophetae dictum [2]: « Beatus vir qui nec impiorum sententiam secutus est, nec viam institit peccatorum, nec in consessu derisorum sedit, sed legem voluntatemque Dei noctu atque interdiu meditatur. » Hic est ille *servus* qui, Domino suo admonenti parens, talento negotiatus est atque lucratus, fuitque signorum et miraculorum auctor, quae Deus per manum eius patravit. Fertur ipsum, postquam urbi Atconi praefectus est, quotiescumque cathedram ad populum docendum conscenderet, lacrimari solitum, et quibusdam e discipulorum ac familiarium numero de causa lacrimarum cum adiuratione interrogantibus respondisse, intueri se peccata plebis et mala opera quemadmodum oleum aspiciunt in ampulla vitrea. Alias vidit Christum in altari, angelis ei offerentibus singula populi opera, et vocem audivit sibi dicentem: « O episcope, cur de populo tuo te sollicitum non praebes neque ad eum concionaris? » Respondit autem: « Domine, sermones *meos non accipiunt.* » *Cui illa*: « Episcopo officium incumbit oves adhortandi; quae si monenti paruerint, *sese res pulchre habebit;* sin vero, sanguis earum super capita earundem erit. » Et ideo perennes fundebat lacrimas.

Ad concilium cum patre Dioscoro vocatus, ambobus ad aedes imperatorias advenientibus, propter rudem vilemque vestem qua indutus erat non permissus est [3] intrare, nisi postquam pater noster Anbā Dioscorus testatus est eum esse episcopum. Ingressus autem, audita illorum sententia de Christo Domino, imperatorem coepit in ipso consessu anathematizare, dumque sic loqueretur, sese iam morti fidei orthodoxae causa devoverat. Eum igitur una *cum* patre Dioscoro in insulam Gangren

[1] B, D, F: Qāu; G: 'Ankū. — [2] *Ps.* I, 1, 2. — [3] C add.: a famulis.

relegarunt, unde pater Dioscorus eum, mercatore fideli comitante, Alexandriam misit, dicens ei: « Ibi te manet martyrii corona. » Ipso ad urbem Alexandriam devecto, illuc advenit imperatoris nuntius, libellum afferens professionis fidei de duabus naturis, mandato ab imperatore accepto ut quicumque libellum primus subscripsisset, hunc constitueret *civitatis p. 81.
alexandrinae patriarcham. Erat porro in urbe praefectus sacerdotum, Proterius (Abrūtārī) [1] nuncupatus, qui libellum accepit ut primus subscriberet; verum ei in memoriam revocavit Abū Macarius episcopus haec quae, ad concilium profecturus, edixerat pater Dioscorus: « Tu ecclesiae meae post me praeeris; » et praedictionis commonefactus, a subscribendo abstinuit. Videns itaque legatus episcopum nec assentiri fidei imperatoris nec velle libellum subscribere, exsiliit surgens — ipse, inquam, imperatoris legatus — et pede sanctum Abū Macarium ita percussit ut testiculos attingeret; unde hic, confestim mortuus, coronam martyrii consecutus est. Defunctum sustulerunt fideles et cum corporibus Iohannis et Elisaei deposuerunt; sancto enim *Macario* apparuerant duo illi caelites in visione, dicentes ei: « Corpus tuum corporibus nostris adiungetur. » Ipse igitur ad Christum migravit, virtute patientiae ornatus.

Benedictio et oratio eius ad extremum usque halitum et in saecula saeculorum nobis adsint. Amen.

MENSIS BĀBAH DIES VIGESIMUS OCTAVUS.

Hodie martyrium passi sunt duo sancti inclyti Marcianus et Mercurius, qui erant ambo discipuli sancti patris Pauli martyris, patriarchae civitatis Constantinopolitanae. Haec autem fuit iis martyrii causa. Imperatore Constantio (Qosṭanṭīnūs), filio Constantini (Qosṭanṭīn), qui ad doctrinam Arii defecerat, patriarcham Paulum sibi obsistentem eiiciente in Armeniam, ubi strangulatus interiit, ipso illo die quo patriarcha exsulare iussus est, lacrimati sunt duo illi sancti, imperatoremque conviciis prosecuti, dixerunt eum in rebus fidei cum Ario excommunicato sentire. Quibus conviciis a quodam ex adstantibus, qui sectae arianae adhaeserat, delatis ad imperatorem, *ruri*

[1] B: Atrūbārī.

in aliquo praedio commorantem, mandavit is ut duo *adolescentes* ad se arcesserentur, iussitque eos gladio interimi; quare occisi sunt atque in eo ipso loco sepulti in quo occisi, ubi et manserunt usque ad aetatem sancti Iohannis Chrysostomi. Hic autem, audita eorum sorte, per nuntium praecepit ut veneranda
p. 82. illorum corpora *ad urbem constantinopolitanam afferrentur, atque iis pulchrum aedificavit templum, in quod corpora dein transtulit, festo etiam in eorum honorem celebrato.

Amborum orationes nobis adsint. Amen. Amen.

Eadem die requievit pater noster eximius archipresbyter Abd el-Malāk. Ex urbe Lycopoli ('Asiūṭ) oriundus, cum in domo paterna aetatem quindecim annorum attigisset, corde omnibus huius mundi caduci voluptatibus valedixit et desiderio exarsit vitae monachicae capessendae. Abdicato itaque mundo, ad Deum confugiens, monachus factus est in monasterio el-Muharraq nuncupato, et, hoc vitae institutum amplexus, omnia virtutum genera exercere coepit, Deo cum timore et tremore serviens, silentii ac solitudinis amans, loca fugiens ad quae confluunt homines, in legendis sacris libris assiduus. Ieiunium, pro more in via regia [1] consueto, usque ad horam nonam protrahebat, addito labore manuum; promptus erat ad orationem, promptior ad noctis vigilias, constans in quotidiana psalmorum recitatione et in precibus ecclesiasticis officii loco impositis, fletibus ac gemitibus deditus, obedientiae ac submissionis patri congregationis et coenobii senioribus exhibendae avidus, in aegrotis invisendis indefessus. Seipsum in omnibus religiosis monasterii ministeriis perpetuo defatigabat, diuque mansit in culinae famulatu occupatus.

Cum igitur videret Deus eius humilitatem, opera bona et conscientiae puritatem, ipsius manibus praefecturam monasterii commisit, quam ille, divinae innixus gratiae, sollicite, diligenter et cum solertia spiritali in Dei opere perficiendo gessit, fratres sapientissime regens, filios omnes aequali prosequens dilectione, nullo inter alios atque alios admisso discrimine, limites iuris non praetergrediens, in iudicio nunquam inique agens, sed sententiam dicens inter potentem ét tenuem, aequam, rectam ac iustam. Filios suos totumque gregem hic pater perpetuo admonebat, docebat, exhortabatur,

[1] Scil., in vita monastica.

timens ac tremens propter illud Dei verbum, ore prophetae Ezechielis prolatum [1]: « Fili hominis, ego te isti populo spe culatorem praeposui; ex ore meo sermonem audies et populum meum peccatorum eius admonebis. Si peccatorem monueris nec ab iniquitate sua conversus fuerit [2], . . .; si vero peccatorem neglexeris nec admonueris, et mortuus fuerit peccator in iniquitate sua, sanguinem eius a te [3] requiram. »

Diligentiam porro adhibuit hic pater ut monasterio omnia prospere cederent, curavitque eius libros sua manu innovandos, siquidem ipse *librarius erat. Initio suae praefecturae, pulchram p. 83.
in coenobio aedificavit ecclesiam, nomine incliti martyris Mar Georgii dicatam, eandemque optimo ordine dispositam perfecit. Satanas autem, adversarius *noster*, qui innocentem illius vitam perpetua invidia prosequebatur et ei molestias plurimas ex gentibus exteris conciliavit, in ipsum quondam furore cor cuiusdam Arabis incendit, qui fune alligatum in puteum monasterii demisit. At Deus demersum servavit et e manu illius iniqui incolumem eripuit. Postquam usque ad bonam et laude dignam senectutem eximiis illis operibus et moribus excelluit, annos natus prope octoginta, volente Deo ipsi quietem laborum huius mundi concedere, in gravem morbum incidit. Aegrotanti filii, monachi nempe, prout decet, inservierunt, moerentes de patris amissione atque deplorantes, et vigesima octava die mensis bābah animam in manus Dei exhalavit atque ad Christum Dominum migravit, duplici patientiae et virginitatis corona redimitus. Quem fratres linteis mundis sepelierunt; tum corpus arca lignea ac nitida inclusum ad ecclesiam asportarunt, funus celebrarunt quale sanctos decet, et defunctum adhibitis precibus, cantibus, psalmodia, sonitu campanarum, ad montem honorificentissime extulerunt atque terrae mandarunt.

Benedictio orationis eius nobis adsit.

Mensis Bābah dies vigesimus nonus.

Hodie martyrium gloriosi sancti Demetrii. Fuit, regnante Maximiano imperatore, inter incolas urbis cui nomen Thessa-

[1] Ezech., III, 17-19. — [2] Supplenda apodosis, quae huiusmodi fere sit: Tibi pulchre erit . . ., officio defunctus fueris . . . — [3] Ad litt.: a collo tuo. Qua dicendi forma innui videtur grave quoddam onus humeros atque cervices negligentis pressurum.

lonica, adulescens christianus, *nomine* Demetrius, qui scientias multas, imprimisque omnium pulcherrimam, Ecclesiae *orthodoxae scientiam,* didicerat. Is, in nomine Domini Iesu Christi perpetuo docens et praedicans, plurimos ad fidem adduxit. Unde apud imperatorem infidelem accusatus est, qui iussit eum arcessi. Accidit autem ut, quo tempore imperatorem convenit, cum hoc versaretur luctator [1] quidam, corpore robustus et membris amplus, ea aetate *omnibus aequalibus* robore antecellens, quem imperator diligebat, quo etiam apud omnes *gloriabatur, ita ut magnam* pecuniae vim ei promisisset qui illum superaret. Surrexit itaque ex iis qui tunc aderant christianus cui nomen Nestor et, ad sanctum Demetrium accedens,
p. 84. hunc rogavit ut sibi benediceret *et sanctis manibus crucis signo corpuus suum signaret, eique benedixit sanctus, eum signans cruce illa cui innitens nemo vinci potest. Tum adiit Nestor imperatorem, facultatemque petiit cum illo viro forti quo gloriabatur congrediendi [2]; cui permisit imperator ut luctaretur [3], confisus eum ab altero superatum iri, quemadmodum superati *erant omnes ceteri* aemuli. At illum aggressus prostravit devicitque; unde moerore atque pudore affectus imperator, admiransque quomodo victor evasisset sanctus Nestor [4], milites ea de re interrogavit; qui revelarunt, sanctum Demetrium Nestori benedixisse et crucis signo corpus eius munivisse. Quare, sancto *Demetrio* iratus, imperator praecepit ut verberibus caederetur donec deos adoraret eisque thus adoleret, et renuentem praecipienti obedire iussit hastis brevibus ad mortem usque [5] confodi. Quae res cum sancto praenunciata fuisset ab opinantibus illum *forsitan* a fide in Christum declinaturum et hoc abnegato idola adoraturum, respondit: « Quodcumque libuerit agatis; equidem sive adorationem sive thus non adhibeo nisi Domino meo Iesu Christo, Deo vero. » Eum itaque milites hastis brevibus confoderunt quoad animam puram in manus Christi Domini efflaret. Sacrum corpus humi iacens quidam christianorum accepit et in urnam marmoream deposuit, in qua conditum mansit donec finem habuit persecutionis tempus. Illud

[1] C: cursor. — [2] C: cursu contendendi. — [3] C: velocitate in currendo contenderet. — [4] « Sancti Nestoris » mentio ab omnibus codd., praeter unum A, abest. — [5] C: usque ad corporis dilacerationem et mortem.

tunc manifestavit qui idem asservabat, et in magnam ecclesiam ipsi in urbe Thessalonica exstructam illatum est, ubi prodigia multa et mira operatur, siquidem unguentum quoddam suave et iis medelam afferens qui eodem cum fide utuntur inde quotidie, imprimis vero die festo sancti, effluit. Hoc enim die copiosius manat quam caeteris quibusvis diebus; manat autem et ex ecclesiae parietibus atque columnis, ita ut homines, cum plurimi adsint, id a parietibus abradere et vasculis suis colligere soleant. Miraculum hoc ad postrema usque tempora permanens; et quicumque ex piis sacerdotibus illud oculis usurparunt idem enarrarunt atque testati sunt.

Intercessio eius nobis adsit, nosque ab hoste maligno tueatur. Amen.

*Mensis Bābah dies trigesimus. p. 85.

Hodie requievit pater sanctus, athleta devotus, Abrahamus eremita. Erat hic pater ex urbe Onuphi (Manūf) [1] superiore oriundus, ex parentibus Christum colentibus et conspicuae in mundo conditionis progenitus. Qui, postquam adolevit, vestis monachicae cupidus, ad regionem Aḫmīm ascendit, inclitum sanctum Pachomium adiit, et, habitu monastico donatus, corpus suum poenitentiae et pietatis exercitiis extenuans, apud illum, in ipsius congregatione, annos tres et viginti mansit, ac dein ab eo postulavit ut per eum sibi liceret in spelunca solitariam agere vitam. Qua licentia accepta, quandam speluncam petiit, in quam ingressus suis manibus retia conficiebat piscatoria; paravitque ei Christus fratrem saecularem, qui, ad eum ventitans, rebus ab eo manufactis secum asportatis ac divenditis fabas aridas illi compararet, tum quod reliquum esset in eleemosynas elargiendas eiusdem nomine insumeret. Quotidiani victus loco, sub vesperum quarta parte cyathi fabarum madefactarum ac sale aspersarum utebatur. Huic vivendi formae addictus, in spelunca sexdecim annos perseveravit, et veste quacum e coenobio egressus erat diuturno usu dilacerata, panno grossiore corpus tegebat. Altero vel tertio quoque anno, ad fratres ascendebat, sacram Eucharistiam accepturus. Incipientem commorari in spelunca aggrediebantur daemones, editis clamoribus ac

[1] De variis urbibus hoc nomine designatis, cf. Amélineau, *op. cit.*, p. 250.

strepitibus magnis *perterrendo*; ipse vero eos eiiciebat quemadmodum *homo* canem abigit. Cum mors immineret, fratre saeculari ad monasterium misso, sanctum patrem Theodorum, discipulum sancti Pachomii, arcessivit, et, ad illius pedes provolutus hosque exosculans, rogavit ut sui memor esset sibique benediceret, tum surgens ipse cum sancto Theodoro oravit, dein decubuit facie ad orientem conversa et animam in manus Domini exhalavit. Re itaque, Theodoro iubente, ad monasterium delata, convenientes monachi corpus sancti, preces unanimes fundendo atque benedictionem ab eo aucupando, extulerunt et cum sanctorum *ceterorum* corporibus deposuerunt.

Benedictio orationis eius nobis adsit nosque ad extremum usque halitum custodiat. Amen.

In pace. Domino dante, explicit mensis bābah. Amen.

---

*IN NOMINE DEI PERENNIS, AETERNI, VIVI, IMMORTALIS, SEMPITERNI, CUI PERPETUA GLORIA!

MENSIS HATŪR BENEDICTUS.

Tertius hic est mensium anni coptici. Horae eius diurnae decem, quae dehinc paulatim minuuntur usque ad mensis kīhak diem decimum septimum, a quo tempus diurnum denuo crescit.

MENSIS HATŪR BENEDICTI DIES PRIMUS.

Hodie martyrium subierunt sancti athletae Maximus, Numitius [1], Victor (Biqtoros) et Philippus, aequales Decii imperatoris, quo regnante aufugerunt septem adulescentes ephesini seseque in montis spelunca abdiderunt. Erant porro illi sancti gente Africani [2], spiritu, non corpore fratres, unanimique desiderio ad Christum anhelabant. Cum itaque imperator infidelis christianos persequeretur, surgentes iidem sancti in unum convenerunt et commune consilium ceperunt fidem suam manifestandi. Principem igitur adierunt et professi sunt, a se laudem, cultum atque adorationem Christo exhiberi. Quare, illo iubente, flagris ex corio rudi acerbe dilaniati et insuper fustibus percussi sunt; tum dorsa eorum verubus candentibus assata; tum corpora confricata panniculis ex pilo contextis atque sale et aceto imbutis. Postquam autem *nulla illorum omnium tormen- p. 87.
torum vi a sententia dimoveri potuerunt, et imo quidam adstantium, perspecta sanctorum constantia, in Christum Dominum crediderunt, praecepit imperator ut alii capite truncarentur, obiicerentur alii gladiis sese in dimicando exercitantium; et sic martyrii coronam in regno caelorum adepti sunt.

Benedictio orationum eorum nobis perpetuo adsit. Amen.

MENSIS HATŪR BENEDICTI DIES SECUNDUS.

Hodie requievit sanctus pater Petrus, urbis Alexandriae patriarcha, qui sancto Timotheo successerat. Ad illum sanctum, postquam, electus ad patriarchae munus, sedem apostolicam

[1] De hoc nomine mirus codd. dissensus. A: Nūmītyūs; B et F: Tūmītyūs; D: Tūmītūs; C: Rūmādyūs; E: Dūmaryūs; G: Dūmādyūs; H: Nūsīnūs. — [2] G: Romani.

conscendit, scripsit sanctus Acacius, patriarcha civitatis constantinopolitanae, epistulam, qua, ex sententia sancti Cyrilli et sancti Dioscori, fidem profitebatur in naturam unicam *Christi*, demonstrabatque post unionem vocabulum « duo » non usurpandum, ne unionis utilitas pessumdetur. Ad cuius epistulam rescripsit pater Petrus, illum recipiens in suam fidem et *communionem* [1], responsumque tribus ex episcoporum doctissimis perferendum commisit. Episcopos et epistulam quam attulerant suscepit pater *Acacius,* illos ad communionem suam infra sacram liturgiam admisit, epistulam autem cum suis familiaribus et propriae sententiae participibus communicavit. Tum ipse alteras litteras synodicas conscripsit et ad patrem Anbā Petrum misit, variis refertas doctrinis; quas pater *Petrus* coram episcopis sedis suae convocatis recitavit, iique illis gaudentes, verbaque et sensum earundem admirati, confessi sunt eandem sibi et Acacii assectatoribus fidem esse. Posthac huic patri *Petro* acciderunt multae adversitates ab iis qui illi in rebus religionis et regiminis obsistebant, et, a sede quidem pulsus, aliquanto post rediit. Sive autem absens, sive praesens, sedulam navabat operam gregi erudiendo et tum verbis tum scriptis adhortando. Cum sedem annos octo tenuisset, in pace obdormivit. Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

Eadem die obierunt sanctus Abadīr huiusque soror Irene [2],
p. 88. plurimis tormentis a Maximiano vexati, *qui, cum anceps haesisset quomodo ambos haberet, in puteum eos coniecit, ubi in pace quieverunt.

Eorum intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Hatūr benedicti dies tertius.

Hodie obiit pater inclitus, sanctus Cyriacus. Hic athleta genere corinthius erat et filius parentum christianorum orthodoxorum, qui ipsum disciplinis ecclesiasticis imbutum obtulerunt patri Petro, urbis Corinthi episcopo. Ab hoc itaque, consobrino suo, lector ordinatus, assiduus deinceps fuit in iis perlegendis

[1] C: ipsius professionem fidei recipiens; G: sanctam fidei professionem recipiens. — [2] G: sanctus Athanasius huiusque frater (*sic*) Irene. - Sed et in nostro codice, ad calcem diei tertiae hatūr, haec ipsa recurrit narratiuncula, suffecto tantum Athanasio in Abādīri locum. Cf. infra, p. 97.

et perquirendis quae ad Ecclesiae doctrinas pertinebant atque multos in iisdem antecelluit; iubente autem episcopo, qui ipsius praelectione delectabatur, in ecclesia et in aedibus episcopalibus populo semper praelegebat. Postquam autem aetatem octodecim annorum attigit, recusato quod offerebant parentes matrimonio, hos rogavit ut sibi per eos liceret ad quaedam monasteria ascendere; quo cum saepius ventitasset, cupidine ardens habitum sacrum induendi, ad sanctam urbem Ierusalem se contulit, huiusque episcopum sanctum Cyrillum convenit, cui sensus suos de vita religiosa aperuit. Consilium ille approbavit, et praedixit Cyriacum illustrem fore patrem, multa certamina obiturum et plurimorum adulescentium mentes illuminaturum. Tum illum benedictione donatum misit ad inclitum patrem Euthymium ('Awtīmyūs [1]), monachorum palaestinensium parentem, qui eum gaudens accepit, veste monachica induit, dein cuidam seniorum monasterii commisit educandum, ad pietatem erudiendum et contra Satanae tentationes confortandum. Ipse itaque vitam iniit mortificatione plurima, virtutibus monachorum, humilitate ac religione insignem; gratiaque morbis medendi auctus, eos omnes sanabat qui gravi infirmitate laborantes ad monasterium veniebant, ita ut fama meritorum et sanctitatis eius late divulgaretur. Comes adfuit sancto Cyrillo, episcopo hierosolymitano, adeunti constantinopolitanam centum et quinquaginta episcoporum synodum, adversus Macedonium, Spiritus sancti inimicum, coactam, in qua *sese haeretico adversarium p. 89.
atque oppugnatorem exhibuit. Extrema senectute gravatus, in pace quievit. Deus vero per defuncti corpus multa edidit miracula, et imprimis quidem illud *corpus,* Hierosolymis, in quadam domo asservatum, hucusque incolume praestitit, ita ut, idem conspicientes, qui illuc pergunt putent virum paulo ante decessisse, cum iam anni prope septingenti effluxerint; sanctus enim tempore imperatoris Theodosii Magni, patris Arcadii et Honorii, vixit.

Benedictio orationis eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Eadem die obierunt sanctus Athanasius [2] huiusque soror Irene, plurimis tormentis a Maximiano vexati, qui, cum anceps haesisset quomodo illos haberet, ambos in puteum vacuum deiecit,

[1] B: 'Awġyūs. — [2] Cf. quae supra, p. 96, notavimus.

in quo occlusi animam exhalarunt. Benedictio precum utriusque nobis in aeternum adsit. Amen.

MENSIS HATŪR BENEDICTI DIES QUARTUS.

Hodie festum celebramus duorum sanctorum patrum Iohannis et Iacobi, Persidis episcoporum, qui a Sapore, filio Hormisdae (Hormuz), rege Persarum, martyrio affecti sunt. His ille iniunxerat ut ignem et solem immolatis hora splendentis iam diei victimis adorarent; sed, obedientiam hac in re detrectantes, caeteras imo gentes et nationes edocebant et in fide Christi confirmabant. Quare eos graviter torqueri iussit, cumque nec mediis in tormentis constituti a sententia sua et fide moverentur, finemve facerent proponendi doctrinam, praedicandi populo et eum confortandi, praecepit ut in ignem proiicerentur, ubi, animabus in manus Christi traditis, martyrii coronam cum omnibus sanctis consecuti sunt.

Amborum oratio nobis adsit. Amen.

Eadem die, Thomas, episcopus urbis Damasci [1], Arabibus regiones illas obtinentibus, a rege eorum martyrio affectus est. Disputaverat quippe cum quodam ex doctis viris illorum et eum devicerat; qui ipsum apud principem accusavit quod huius religioni maledixisset. Quare arcessitum princeps interrogavit: « Num revera, quemadmodum de te iste testatur, re-
p. 90. ligioni nostrae maledixisti ? » *Qui respondit: « Nulla quidem maledictio ex ore meo prodiit; sed huic demonstravi Christum esse verum Deum legique eius aliam nunquam successuram. » Cui princeps: « Ergone sentis religionem nostram a Deo esse? » At ille: « Non est. » Iussit igitur princeps caput eius amputari, quo reipsa amputato coronam martyrii obtinuit.

Oratio eius nobis adsit. Amen.

Eadem quoque die, Epimachus ('Abīmāḫos) et Azarianus [2], martyrium passi sunt. Hi, ex urbe Roma *oriundi*, apud praefectum Maximiani vice fungentem accusati quod christianismum profiterentur, et ad eum adducti atque ab eodem de sua fide interrogati, confessi sunt sese christianos esse, tum praefecto

[1] H: urbis Mar'aš. — [2] 'Azāryānūs. Ita codices, quotquot manibus versare atque oculis usurpare licuit, numero septem, ita ut vel invitam subeat mentem dubitatio num aliqua veterum membranarum auctoritate fultus scripserit in germanica sua translatione Wüstenfeld: « Gordianus ».

exprobrarunt quod ipse, neglecto cultu Dei qui creavit caelum, terram et omnia quae in eis sunt, idola coleret manibus fabrefacta, quae nec audiunt, nec vident, et in quibus Satanas habitat, homines iis decipiens. Admiratus igitur praefectus amborum oppugnationem, iussit eos decollari, et coronam martyrii adepti sunt.

Utriusque preces nobis ad extremum usque halitum adsint.

MENSIS HATŪR DIES QUINTUS.

Hodie revelatum est caput sancti Longii (Lonǧyūs) [1], militis lancearii, qui lancea sua latus Salvatoris in crucis ligno pendentis transfixit. Sic autem contigit capitis illius inventio.

Cum, postquam imperator Tiberius Caesar per virum in Cappadociam missum, prout die vigesimo tertio mensis abīb narratur, sanctum decollaverat, caput et corpus proiecta iacerent, miles qui ab imperatore cum mandatis de sancto decollando fuerat allegatus, caput apprehensum Hierosolymam attulit et Pilato tradidit, a quo Iudaeis voluptatem inde capientibus ostensum est. Idem dein, iubente Pilato, in uno tumulorum Hierosolymae circumiacentium conditum. At vero, aliquanto post, evenit, Deo res sic disponente, ut mulier quaedam cappadox, quae opera sancti in Cappadocia praedicantis crediderat et eius decollationi flens adfuerat, caeca fieret. *Quae, assumpto filio, Hierosolymam se p. 91.
contulit, ibi adoratura, benedictionem quaesitura ex sacris reliquiis, opemque ex illo coemeterio vivifico, sperans visum sibi forsan redditum iri. Sed, filio Hierosolymis mortuo, mulier, propter huius mortem, suamque caecitatem et absentiam cuiuscumque qui se in patriam reduceret, maiore quam antea tristitia oppressa est. Postquam lacrimis indulsit, moerore confecta obdormivit, dormientique apparuit, comitante filio *recens* defuncto, sanctus Longius, qui dixit: « Perge ad locum aliquem (*a loquente designatum*), indeque affer caput meum. » Expergefacta igitur et locum sciscitata, illuc perrexit et ea terram fodiente prodiit iucundus ac suavis thuris odor; ubi autem caput ipsum attigit, ex hoc emicuit lux, et mulier, oculis suis apertis, confestim vidit. Laudibus proin Christo Domino persolutis, sacrum caput deosculata, id unguentis conditum cum

[1] B, D et G: Lonǧīnūs.

corpore filii sui reposuit; dein in patriam reversa est, Christum glorificans et sancto Longio gratias agens.

Huius intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria Ṭomanii [1] martyris, itemque memoria adventus corporis Theodori principis ad *urbem* Šaṭab, quae proxima est Lycopoli ('Asyūṭ) [2]. Utriusque intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis hatūr dies sextus.

Hodie obiit sanctus pater Felix, papa Romae. Hic sanctus, parentibus christianis natus, qui ipsum omni disciplina spirituali erudierunt, ad gradus sacerdotales paulatim accessit. Eum enim Asṭatius [3], papa romanus, diaconum ordinavit; postquam autem Kūstos [4] papa Romae constitutus est, videns huius patris profectum ac merita, eum ordinavit presbyterum; dein, mortuo Dionysio, papa Romae, qui aequalis fuit Theonae, papae alexandrini, electus est hic pater *Felix* ad munus patriarchae romani, et, consecratus, gregem Domini optime pavit. Sed, Theodoro Caesare, qui defuncto Yerulo [5] Caesari successerat, magnam persecutionem in Christi fideles moliente eosque acerbis afficiente cruciatibus, ita ut multi martyrium ab illo paterentur,
p. 92. *hic pater, gravissime ab eodem afflictus atque ad tristitiam et angustias redactus, supplices de eo ad Deum, cui sit laus et exaltatio, preces fudit; quare Deus persecutorem altero regni anno interemit. Quo autem tempore Diocletianus impius, solio potitus, persecutione christianorum instaurata, eos cruciare incipiebat, hic pater, Deum precatus ne se sineret tormenta vel unius ex christianis videre, obiit primo Diocletiani regnantis anno. Summa igitur temporis quo sedem tenuit hic pater

[1] F: Ṭūmātyūs. — [2] B: ad urbem patriam Šaṭab, ab australi parte Lycopoleos sitam. — [3] G: 'Anasṭātyūs. — [4] *Sic.* Idem qui Xystus? C: Yustos. — [5] B et G: Berūlos; C: Berūnos. Amborum imperatorum nomina manifesto depravata. Quaenam autem ex scriptoris mente sufficienda sint non satis liquet. Certe qui, praeeunte Wüstenfeld, opinati sunt pro Theodoro Probum, pro Yerulo Carum legendum, haud egregiam συγχρονισμοῦ rationem habuere, siquidem, Felice papa ante finem anni 274 mortuo, Probus anno demum 276, Carus anno 282 solium conscendit. Quamquam non est cur sollicitos nos habeat mens auctoris qui Felicem Diocletiano *imperatore (284-305)* superstitem facit.

quinque anni cum dimidio; conscripsitque disputationes multas atque utilissimas, conciones et tractationes, ex quibus pars de opinionibus et fidei dogmatibus agit [1].

Oratio eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Eadem die [2], Christus Dominus et discipuli in montem Qosqām convenerunt, ubi ille sanctuarium et ecclesiam puris manibus consecravit, ecclesia quidem et altari nomini Virginis Mariae matris suae dicatis. Consecrationem Salvator noster bonus ipse perfecit, angelis Michaele et Gabriele vas aquae deferentibus, prout testantur pater Theophilus patriarcha et pater Cyrillus. Illum autem locum ad finem usque omnium saeculorum permansurum esse promisit Dominus noster Iesus Christus.

Illorum omnium protectio nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis hatūr dies septimus.

Hodie martyrium subiit sanctus Georgius alexandrinus. Pater eius, mercaturam Alexandriae exercens, cum prole careret, in urbe Lydda, die huic respondente, septimo scilicet mensis hatūr, solemnibus consecrationis ecclesiae sancti Mar Georgii interfuit, sanctumque oravit ut, ipso pro se apud Dominum intercedente, prole mascula donaretur. Cuius vota exaudiens Deus filium largitus est, cui nomen dedit Georgium. Porro mater huius *sancti soror erat Armenii praefecti Alexandriae. Parentibus mortuis, apud avunculum remansit *adulescens*, annos p. 93.
tunc viginti quinque natus, eratque misericors et benignus, in pauperes propensus, Ecclesiae amans. Quadam die, filia Armenii unica, cum sodalibus sese oblectandi causa egressa, extra urbem

[1] B et C: quarum pars in hortationibus et doctrinae expositionibus, pars in opinionibus et fidei dogmatibus versatur. — [2] Narratiunculam hanc quidam codices aliter exhibent. Ita B: Deus, Rex et Dominus noster, Salvator Iesus Christus, et discipuli eius puri in Qosqām convenerunt, qui *locus* idem est ac el-Muḥarraq, ibique prima missa *celebrata fuit*, quemadmodum testantur sanctus Philotheus et sanctus Cyrillus. Quorum precibus Dominus nobis peccatorum nostrorum veniam concedat. Amen. — C vero, cui fere consonat G: Salvatore et discipulis eius in Qosqām convenientibus, prima missa ibi *celebrata*, quemadmodum testantur sanctus Theophilus et sanctus Cyrillus, factusque est dies ille propter Domini nostri cum Matre Virgine et discipulis conventum illustris. Porro hunc locum consecravit *Dominus* dextera sua praecelsa. Ipsi gloria aeterna et in nos eius misericordia perpetuo *effundatur*. Amen.

monasterium invenit et in eo reconditos monachos, quorum cantus pulchri atque suaves *altas in ipsius corde radices egerunt.* Quare de sensu verborum interrogare coepit Georgium, consobrinum suum, isque aggressus est ad eadem ei exponenda atque illustranda, explicando quae *peccatores tormenta, quae* vero gaudia iustos maneant. Puella, ad patrem reversa, ei aperuit se fidem in Christum profiteri; qui, blanditiis atque decipiendi artibus usus, cum eam ad assensum *pertrahere* non potuisset, iussit renuentis caput amputari, quo reipsa amputato coronam martyrii illa obtinuit. Praefectus autem, certior factus Georgium causam fuisse cur filia rebellaret, apprehensum acerbe cruciavit, tum Antinoen ('Anṣinā) misit, ubi variis tormentis addictus, sacro denique capite truncatus, martyrii coronam consecutus est. Aderat diaconus, cui nomen Samuel; is acceptum sanctum corpus ad *urbem* Onuphim (Manūf) asportavit. Qua re audita, uxor Armenii, avunculi Georgii, misit qui illud afferent, et allatum Alexandriae, iuxta corpus filiae suae martyris, deposuit.

Utriusque intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die, martyrium passus est sanctus Abbā Naharwah. Is, ex regione faeomensi (el-Fayūm) oriundus et valde pius, cum gesta martyrum audisset, urbem Alexandriam petiit, mortem pro Christi Domini nomine obiturus. Sed in somniis admonitus, necesse esse ut Antiochiam transmearet, erat in illa ipsa visione secum reputans quomodo illuc posset *pervenire*, navemque requirens quam conscenderet. Tum ad eum misit Dominus angelum suum Michaelem, qui ipsum alis suis impositum Alexandria Antiochiam detulit et *coram imperatore* Diocletiano constituit, ubi fidem in Christum professus est. Eum quippe interrogavit *imperator* quod nomen ei esset, quae patria, et eius adventum admiratus, *praemia* vestesque pretiosas pollicitus est, tum omnia respuenti minas intendit; quibus cum nihil p. 94. moveretur *Abbā Naharwah*, iussus est *diversis tormentis vexari, nunc *magnae* serpenti nigrae obiectus, nunc in ardentem ignem missus, nunc prelo pressus et in aheno assatus. Sacro denique capite acie gladii truncatus, ad palmam martyrii pervenit; omnesque martyres qui natione Antiocheni in Aegypto profuderunt sanguinem cum eo compensati sunt, quippe qui ex Aegypto oriundus, Antiochiae martyrium subiit. Eo

autem in loco adfuit Iulius aqfaṣensis [1], qui mortui corpus accepit et in patriam a duobus ex famulis suis honorificentissime transferendum curavit.

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

Eadem die obiit sanctus pater Anbā Mennas (Mīnā), episcopus urbis Tomī [2]. Erat hic ex incolis urbis Samannūd *oriundus*, filius unicus parentibus, qui, Deum pie colentes, ieiunio, orationibus, poenitentia, opera monachorum propria exercebant, ita ut eorum fama inter patres *deserti* percrebresceret. Filium invitum matrimonio iunxerunt; at ille, statim ac uxorem ad se adductam convenit, pactum cum ea iniit de corporibus in castitate conservandis; multaque simul pietatis officia persolvebant. Postea, vestis monachicae cupidine incensus, uxori dixit: « Non decet nos monachorum opera peragere manentes in saeculo; » cilicio quippe e pilis contexto sub vestibus induebantur, totamque noctem pervigiles, orando et sacros Dei libros legendo, ducebant. Mox igitur, coniugi valedicens, monasterium patris nostri Anbā Antonii petiit, eum in finem ut procul abesset a parentibus, qui ipsum adiuvante principe ubique locorum requirebant. Socius ei ibi adfuit in vita religiosa Anbā Ḫāyīl [3], qui *postea* eligendus erat patriarcha alexandrinus, et quocum etiam ex illo loco ad montem sancti Abū Macarii Magni se contulit. Et haec quidem contigerunt temporibus duorum siderum fulgentium Anbā Abrahami et Georgii, quorum filius peculiaris [4] factus est hic pater Anbā Mennas, apud eos commorans, in labore angelico *vitae religiosae* proficiens, ex illorum scientia et pietate *sapientiam* addiscens, adeo ut multos monachorum vita religiosa antecelleret, patribusque Anbā Abrahamo, Georgio atque aliis admirationi esset. Ei idcirco invidens Satanas, virtuti infensus, quadam die eum duorum pedum plaga afflixit, qua humi iacens *bimestre tempus detentus est; dein p. 95. tamen, a Christo sanatus, coepit adversus daemones leonis instar rugire. Postea, Christo Domino ipsum ad gradum episcopalem vocante, a legatis patriarchae conventus, id aegerrime tulit; at moerenti, flenti ac solitudinem relinquendam conquerenti persuaserunt patres rem a Deo esse. Morem igitur gerens legatis, ad patrem patriarcham venit, qui eum urbis

[1] Epitheton ex codd. B, C et G suppletum. — [2] B et G: Nomī; C: Tomā. — [3] I. e., Michael. — [4] B: filius bonus.

Tonī episcopum constituit. A Domino donatus est gratia curationum, ita ut quotquot morbo quodam laborabant ad eum afferrentur et eo apprecante divinitus sanarentur. Obtinuit etiam donum cognitionis rerum absconditarum, quo perspectum habebat quidquid in imis hominum conscientiis lateret; coeperuntque regionum occidentalium [1] episcopi ad eum ventitare, consilii exquirendi causa, itemque turbae undique globatim confluere, ut docentem audirent. Manuum impositione in actu consecrationis conferendae quatuor patriarcharum parens factus est, patriarcharum scilicet alexandrinorum Anbā Alexandri, Anbā Cosmae, Anbā Theodori et Anbā Ḫāyīlis. Quando autem voluit Christus eum ex aerumnis mundi huius fluxi educere, Spiritus *sancti* instinctu diem translationis suae praenoscens, universum dioecesis populum misso nuntio convocatum admonuit atque hortatus est ut firmi perstarent in fide orthodoxa et praecepta evangelica observarent; dein, iisdem vero eorum Pastori, Iesu Christo, commendatis, ex hac vita caduca ad regnum perpetuum et ad Christum Dominum, quem amabat, migravit. Amissum patrem et pastorem suum luxit deploravitque universus populus; tum ei iusta funera persolverunt corpusque in loco quem praescripserat ipse deposuerunt.

Benedictio precum huius patris nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria ecclesiae sideri illi matutino, domino et regi, sancto Mar Georgio Magno, Lyddae, in urbe palaestinensi, consecratae, itemque prodigiorum ac miraculorum stupendorum, terra marique celebratorum, quae in ea patravit Christus Dominus. *Eiusmodi ea fuerunt* ut Diocletianus imperator, iis auditis quae ad *illam* ecclesiam attinebant, ducem cui nomen Auhius cum copiis plurimis ad eam evertendam
p. 96. miserit. Qui, *cum illuc corde superbia tumido accessisset, ascendissetque ad locum [2] in quo simulacrum sancti Mar Georgii, coepit tum christianos tum sanctum irridere, et baculo quem

[1] C: regionum vicinarum. — [2] Vocem hic in textu prostantem القفل apud omnes lexicographos frustra quaesieris. Cogitanti mihi et analogias, vel remotas et quam maxime dubias, pervestiganti unum occurrit nomen graecum κακκαλον, quod « muri » vim habet. Quae in cod. B legitur forma diversa القـنـقل, ea arabica sane est, sed nullius acceptionis capax quae praesenti sententiae congruat. Unde « loci » significationem equidem nonnisi coniectantis, ne dicam desperantis, in modum propono

dextra tenebat percussit fregitque candelabrum *propendulum*, cuius fragmento in caput imprudentis atque incauti delapso, perturbatus et tremore correptus, summo vertice laeso, decidit ipse praeceps in terram. Eum sustulerunt comites, in patriam asportaturi; iis enim persuasum erat totum eventum sancto Mar Georgio auctori adscribendum; at, dum in itinere cum illis versaretur, miserrime et abiectissime mortuus est et in mare ab eisdem proiectus. Quae postquam rescivit imperator, ingenti furore incensus, existimavit sibi a Deo tantum temporis spatium concessum iri quanto venire ipse posset et ecclesiam subruere. Sed Dominus utroque lumine orbum caecitate afflixit, tum in eum regni subditos concitavit, solio ipsum privavit, atque in eius locum imperatorem Deo carum et iustum suffecit, Constantinum, qui, reclusis ecclesiarum portis, fores contra delubrorum idolis dicatorum clausit; quo facto gestierunt atque exsultaverunt orbis universus et ecclesiae, imprimis vero ecclesia incliti illius sancti, sideris matutini, Mar Georgii.

Intercessio eius nobis et omnibus quotquot baptismo renati sunt in aeternum adsit. Amen.

Mensis Hatūr dies octavus.

Hodie memoria quattuor animalium incorporeorum quae thronum Dei sustentant, quemadmodum meminit testis oculatus, auctor Apocalypsis, Iohannes Evangelista, dicens [1]: « Vidi equidem sedem in medio caelo, et colorem insidentis ei vidi quasi crystallinum, et vidi in media sede quattuor animalia plena oculis, quorum primum similitudinem leonis, alterum faciem tauri [2], tertium faciem hominis et quartum faciem aquilae praeferebat. Singulis autem sex alae, et die ac nocte clamabant: ‘ Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth; pleni sunt caeli et terra sacra tua gloria ’. » Isaias quoque propheta dixit [3]: « Vidi ego Dominum Sabaoth in sede excelsa sedentem, totaque domus impleta est gloria eius; ipsum autem, qui altus et terribilis erat, Seraphim circumstabant, quorum singulis *sex alae: p. 97.
duabus facies suas, pedes duabus tegebant, duabus volabant, et clamabant: ‘ Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth:

[1] *Apoc.*, IV, 1-11. — [2] In edit. arab., pro نور legendum ثور. — [3] Is., VI, 1-3.

pleni sunt caeli et terra gloria tua sacra[1]. » Item David propheta dixit[1]: « Vox sedentis super Seraphim terram commovit. » De ea sede haec habet et Ezechiel propheta[2]: « Vidi ventum e caelo flantem et cum eo nubem magnam, in qua ignis, lux atque fulgura; et ex animantibus unum homini simile erat; singulis autem facies quattuor et sex alae, celeriterque progrediebantur, nec die nec nocte a *Deo* collaudando cessantia. » Dixit et Iohannes Evangelista[3]: « Vocem audivi dicentem: Alleluia! salus, honor, virtus et benedictio Deo nostro! Quattuor autem animalia et viginti quattuor seniores Deum adorabant et dicebant: Alleluia! regnavit Dominus Deus omnipotens. Dein audivi vocem e throno procedentem, quae dicebat: Laudate Deum nostrum in parvis et in magnis, alleluia! Tum tonitrui similem audivi vocem multitudinis dicentium: Alleluia! regnavit Dominus Deus omnipotens. » Multi porro ex libris tum antiqui tum novi foederis de nobilitate quattuor illorum animalium testimonium perhibent, quae Dominus sibi propinqua posuerit, ut se pro creaturis deprecarentur. Et facies quidem hominis pro genere humano, facies leonis pro feris, facies tauri pro pecudibus, facies aquilae pro volucribus orat. Eadem sane Deo propiora sunt quam caelestes quaelibet virtutes; unde Ecclesiae doctores, instituta eorum commemoratione, templa ipsis ipsorumque nominibus dicata aedificaverunt, ut pro genere humano universo hodie[4] orationes fundant.

Illorum quatuor animalium intercessio nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis Hatur dies nonus.

Hodie requievit Anbā Isaacus (ʾĪsāk), Alexandriae patriarcha. Is, ex urbe Borlos (el-Borlos) oriundus, parentibus piis simul ac ditissimis natus est, qui, hoc sancto donati cum iam gran-
p. 98. daevi essent, *eo magnopere gavisi sunt. Ab iis allatum baptismi causa dum baptizaret episcopus, supra caput eius crucem fulgentem vidit, et, manu pueruli proprio capiti imposita, praenunciavit Dei Ecclesiam ei commissum iri, parentibusque dixit: « Puerum hunc sollicite custodite; ipse enim vas electionis Deo

[1] *Ps.* XCVIII, 1. — [2] Ezech., I, 4 sqq. — [3] *Apoc.*, XIX, 1 sqq. — [4] Aeque posset temporis hodierni mentio referri ad institutam commemorationem, ita ut sensus foret: eorum commemoratione huic diei adscripta.

erit. » Postquam igitur aliquantulum adolevit, eum scribendi artem et disciplinas spiritales docuerunt, operamque dabat legendis sanctorum vitis. Hinc, parentibus relictis, se contulit ad montem Abū Macarii et monachus apud patrem Anbā Zachariam hegumenum factus est: angelus autem Domini adventum eius nunciaverat seni *Zachariae*, qui ipsum gaudens accepit. Quadam die, vir aliquis sanctus eum in ecclesia vidit et haec de eo praedixit: « Iste est cui Dei Ecclesia committetur. »

Illa tempestate quaerebat patriarcha aliquem qui se adiuvaret et scribae munere apud se fungeretur; cui hunc patrem egregium Anbā Isaacum commendaverunt. Arcessito itaque mandavit scriptum aliquod exarandum; quod ille volens prudensque inepte exaravit, ut sibi per patrem *patriarcham* liceret abire; gloriam enim huius mundi odio habebat. Sed cum pervideret pater *patriarcha* rem consilio depravatam esse: « Recte, inquit, scripsisti, neque hinc discedes. » Intelligens igitur *Isaacus* se non dimissum iri, exhibuit quidquid sibi inerat egregiarum dotium et artis scribendi, magnumque de se gaudium excitavit. Attamen aliquanto post ad desertum reversus est. At vero pater Anbā Iohannes patriarcha, morti proximus, Christum oravit ut sibi revelaret quisnam futurus esset suus in sede *patriarchali* successor; cui in visione dictum: « Discipulus tuus Isaacus. » Populum itaque adhortatus, monuit hunc sibi successurum. Quo sedem tenente, eius splendore collustrata est Ecclesia, dumque res moderaretur, multa instauravit templa, imprimis templum sancti Mar Marci Evangelistae et aedes episcopales[1], plurimas *interim* calamitates frequentesque molestias expertus. Trienni et semestri episcopatu functus, in pace quievit.

Benedictio precum eius nobis adsit. Amen.

Eadem die, in urbem Nicaeam, regnante Constantino imperatore, convenerunt trecenti et duodeviginti Patres, ex quibus praesules quatuor sedium *patriarchalium*: Anbā Alexander, patriarcha Alexandriae, Innocentius (Yūnākindyūs[2]), Sylvester
(Silbaṭros[3]), patriarcha Constantinopolis, et patriarcha *Antio- p. 99.

[1] C add.: itemque ecclesiam in Ḥelwān *sitam*. — [2] C add.: Papa Romae. — [3] C: Salīṭos. Porro tum in B tum in C, secus ac in A, hic ipse Sylvester (Silbaṭros vel Salīṭos) vocatur patriarcha Constantinopolis.

chiae. Idcirco autem convenerunt ut contra Arium agerent, sacerdotem ex clero alexandrino, qui contendebat Filium ex omni parte creatum esse. Sancti illi Patres meritis eminebant; nec inter illos deerant qui habendi essent loco sanctissimorum Apostolorum, quippe qui mortuos suscitaverant, aegrotos sanaverant, magna prodigia patraverant; neque eorum ullus cruciatuum fidei causa tolerandorum expers fuerat; et quorundam quidem ambae manus ambaeque plantae clavis transfixae, et oculi atque dentes molares eruti, vel primores dentes comminuti, vel ungues evulsi, vel costae confractae. In eorum numero fuit episcopus *urbis* Margaš (Marʿaš), Thomas appellatus, quem duos et viginti annos carcere clausum Manichaei? (el-'Amānyah) immisericorditer cruciaverant, aliquod membrum quotannis abscindentes, ita ut ambabus manibus et ambobus pedibus truncato, dentibus maxillaribus et praecisoribus vi evulsis destituto, binis auribus, naribus ac labiis mutilo corpus remaneret ignis ardore nigrum, multi autem homines, mortuum existimantes, eiusdem perinde ac martyrum memoriam celebrarent.

Parato illis magno consessus conclavi, Constantinus imperator suam ipse sedem infra eorum sedes posuit, primumque locum attribuit episcopo margensi, quem veneratus est, singula membra quibus mutilus erat osculatus. Tum tradidit eis imperator sceptrum suum, gladium et annulum, sic eos affatus: « Potestatem vobis hodie et in sacerdotium et in regnum contuli; quemcumque visum fuerit, admittetis, et quemcumque volueritis, eiicietis. » Canones itaque et leges sanxerunt; mediusque inter eos Christus Dominus versabatur; multi enim ex iis quorum mentes *divinitus* illuminabantur illos connumerarunt et invenerunt esse trecentos et novemdecim, cum in sedibus visibilibus quae praeparatae fuerant non essent nisi trecenti et octodecim. Canones tulerunt de sacerdotibus, de laicis, de regibus, de urbibus, de mercatoribus, de plebe et de opificibus; dein sanctum symbolum in publicum ediderunt, Filium Patri in substantia aequalem esse definientes, Ariumque et quotquot doctrinam huius praedicarent vel cum eo sentirent excommunicantes.

Hoc porro exemplar symboli quod condiderunt Patres: « Credimus in unum Deum, Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae, visibilium et invisibilium; et credimus in unum

Dominum Iesum Christum, Filium Dei unicum, a Deo ante omnia saecula genitum, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo *vero, genitum, increatum, Patri in substantia aequalem, per p. 190.
quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem de caelo descendit, et incarnatus est ex Spiritu sancto et ex Maria virgine, et homo factus est: qui pro nobis temporibus Pontii Pilati crucifixus, passus et sepultus, die tertia, prout scriptum fuerat, a mortuis surrexit, ascendit in caelum atque ad dexteram Patris sedet; qui iterum ad iudicandos vivos et mortuos cum gloria veniet, cuius regni non erit finis. »

Postea, coacto in urbem Constantinopolim centum et quinquaginta episcoporum concilio, hi reliquam symboli partem ad finem usque compleverunt, prohibueruntque ne quis quid ei adderet ab eove demeret, et insuper praeceperunt ut idem omnes homines, sive sacerdotes, sive laici, sive senes, sive iuvenes, sive feminae, sive viri, sive servi, sive ancillae, in missis suis et orationibus, legerent, addiscerent atque recitarent. Ecclesia confirmata et religionis face erecta, *episcopi* ad suas quisque sedes redierunt.

Benedictiones eorum et preces nobis adsint. Amen.

*Scitote, fratres, in deserto fuisse [1] virum ieiunio et orationi p. 291.
deditum, qui coepit Deum sic precari: « O Domine, da mihi cor quietum et pacatum, si tibi acceptus fuerim. » Cui apparuit angelus, dicens: « Nondum par factus es olitori [2] qui in illa urbe » (*quam designabat angelus*). Miratus senex intra se dixit: « Eia! in illam urbem me conferam, ut videam cuiusmodi sint istius olitoris opera, ut operibus meis et laboribus quibus multos iam annos premor ita praecellant. » Descenditque senex in urbem, olitorem ab angelo memoratum conventurus. Eum invenit sedentem atque olera venumdantem, et venumdanti aliquantisper assedit. Sub vesperum, viro discedere paranti dixit senex: « Potesne, frater, me apud te usque mane suscipere? » Quem ille gaudens suscepit. Postquam domum ingressi sunt, mensa instructa, dixit hospiti senex: « Hanc mihi

[1] Inseruit amanuensis, inepte sane: die huic respondente. — [2] Ex cod. littera, hoc in loco vertendum fuisset: *asinario*. At tum ex iis quae narrantur, tum ex ipsius cod. in subsequentibus scriptione colligitur, ubique non البغال, ut mendose bis scriptum, sed البقال legendum esse.

humanitatem exhibeas, frater, ut opera tua patefacias; » eoque abnuente, subiunxit: « Dominus ipse *misit me ad te.* » His auditis, olitor, timore perculsus: « Culpam, inquit, mihi condona. Cibo quotidie *hora vespertina* utor. A solito nempe labore discedens, ex iis quae lucratus fuerim tantum mihi servo quanto ad vescendum opus sit; quidquid superest egenis largior. » His auditis, intra se dixit senex: « Bona quidem agendi consuetudo, non tamen eius meriti ut meum multorum annorum laborem tantopere superet. » Tum rursus interrogavit: « Quanam re seu norma, ut primum quotidie mane surgis, in corde tuo dirigeris? » Respondit: « Antequam sedeam laboris manuum exercendi gratia, cogito: universi huius urbis incolae, a minimo usque ad maximum, quia iusti sunt, in regnum *caelorum* admittentur; ego unus propter peccata mea suppliciis addicar. Tum lacrimas fundo, sic orans: Miserere mei, Deus, pro magna misericordia tua. Hisce motus atque directus, totum diem exigo, et sub vesperum lacrimas iterum fundo antequam
p. 202. decumbam. » Haec illo exponente, audivit senex *turbam in vicis canentium et inania verba proferentium; et olitorem interpellans: « Cum ea sit, inquit, frater, tua agendi ratio, quid experiris dum huiusmodi cantum audis? » Tum ille: « Tibi profiteor, pater, me haec audiendo nullatenus sive turbari sive haesitare. » At senex: « Quid tandem in imo corde cogitas, hunc cantum audiens? » Ait: « Cogito illos *canentes* haud dubie ad regnum perventuros, me vero solum suppliciis traditum iri. » His auditis, dixit senex: « Hoc vere est opus *praecellens.* » Dein ad olitoris pedes prostratus: « Veniam, inquit, frater, des mihi, qui illum gradum non attigi. » Tum properans surrexit, neque cibo accepto, neque potu, et ad desertum reversus est.

Omnium preces nobis adsint. Amen.

p. 100. *Mensis hatūr benedicti dies decimus.

Hodie martyrium passae sunt sanctae atque purae virgines monachae quinquaginta, una cum earum matre Sophia (Ṣūfiah). Istae sanctae, quas, ex diversis regionibus ac locis oriundas, coadunaverat Dei amor et vita angelica pieque poenitens, in quodam ex edessenis virginum asceteriis morabantur, easque moderabatur praeses sancta, cui nomen Sophia et quae, omnis

gratiae et sapientiae plena, illas cultu spiritali ita educaverat ut similes angelis terrestribus evasissent, ieiuniis, orationibus et sanctorum vitis legendis perpetuam navantes operam. Earum quaedam septuaginta annos in monasterio exegerant, aliae iuniores erant et suum vitae institutum recens amplexae. Cum autem imperator Iulianus Apostata per Edessam iter faceret, bellum illaturus Sapori, filio Saporis, Persarum regi, cui audierat consilium esse ut se aggrederetur; cum, *inquam,* ad illum Iulianus iter suscepisset atque haud procul a monasterio memorato transiret, interrogavit quid hoc esset. Cui postquam responderunt coenobium esse monacharum, militibus praecepit ut illuc ascenderent, omnes inhabitantes neci traderent et res universas inibi reperiendas diriperent. Conscendentes igitur milites, sanctas illas *monachas* ludibrio habitas gladiis dispserunt, tum *cuncta coenobii bona depraedati sunt. Graves p. 101. tamen poenas Deo dedit imperator apostata; dum enim bellum gereret, a martyre Mercurio [1] lancea confossus atque ex equo deiectus, obiit et ad aeternam gehennam delapsus est, illis contra sanctis *virginibus* ad aeternam felicitatem commigrantibus.

Ex earum precibus nobis contingat benedictio. Amen.

Eadem die coactum est in urbem Romam sacrum concilium, iis temporibus quibus eiusdem urbis Victor (Biqtoros), Alexandriae Demetrius papa erat. Causa cur adunaretur hoc concilium fuit mos tunc apud christianos perstans [2], festo baptismi *Christi* peracto, magnum ieiunium postridie, die nimirum duodecima mensis ṭubah inchoandi, tum ieiunium solvendi die vigesima secunda mensis 'amšīr, dein, interiecto dierum aliquot quibus non ieiunetur spatio, passionem et resurrectionem celebrandi. Pater autem Demetrius, cum consecratus est *patriarcha*, agricola erat neque artis scribendi neque lectionis Scripturarum gnarus; sed, mente ipsius divino charismate illuminata, omnes Ecclesiae libros novit, memoriter didicit, et plerosque eorum explicavit; tum computum epactarum, ex quo derivatur tempus ieiunii et resurrectionis, coptice et graece definivit; dein illius exemplum ad patrem Victorem, papam romanum, exemplum alterum ad patrem Maximum, patriarcham antiochenum, exemplum item ad patrem Agabium hierosolymitanum, misit. Epi-

[1] Cf. supra, ad diem mensis tūt duodevigesimum. — [2] Cf. quae de eadem consuetudine supra habes, ad diem bābah duodecimum.

stulam ad se delatam pater Victor papa legit et valde acceptam habuit, eaque gaudens, convocavit quatuordecim sedis suae episcopos ex doctioribus, una cum multitudine sacerdotum doctorum, atque iis computum recitavit, quem probaverunt et amplexi sunt, aliquot exemplaria eiusdem describentes, quae ille ad universas sedes deferenda curavit. Ita ieiunium sacrum
p. 102. et pascha *gloriosum eo modo digessit quo se hodieque habent; et discesserunt *omnes*, glorificantes Deum, cum Filio eius unico et Spiritu sancto, cui sit laus et honor in aeternum. Amen.

p. 292. *Scitote, fratres, hoc ipso die requievisse sanctum Anbā Marciam (Markyā). Hic vir benedictus, ex urbis Alexandriae finibus oriundus, ad desertum exivit, ubi diu mansit, vitam asceticam gravibus corporis afflictationibus et perpetuis vigiliis exercens. Porro hostis malignus — quem Deus omni ope destitutum repellat! — illum per annos quindecim cupidine fornicationis lacessivit. Quare intra se reputavit et dixit: « O Marcia, en quindecim iam annos ab hoste affligeris. Surge nunc et, urbem Alexandriam ingressus, in ea Dei ergo furere te simula, teipsum dementem exhibens. » Revera surrexit, civitatem ingressus est, et, sese dementem exhibens, coepit per urbem incedere atque universis civibus innotescere. Multos nummos quotidie comparatos egenis largiebatur, orabat, ieiunabat, et quicumque eum videbant existimabant dementem, dementesque plurimi eum per vicos et plateas sequebantur.

Contigit autem ut Anbā Daniel in urbem Alexandriam se conferret, patriarcham tempore festi paschalis de more conventurus. Cui in foro occurrit sanctus hic, nudus, caterva dementium qui sequebantur stipatus, urbem circumiens: domiciliumque in cavernis[1] alexandrinis habebat. Hunc intuitus, Anbā Daniel discipulo suo dixit: « Propera, fili mi, et sciscitare ubinam habitet hic demens. » Egresso discipulo et rogitanti responsum est, *virum* illum in cavernis habitare. Tum, postquam Anbā Daniel patriarcham adiit et Dei magnalium colloquendo
p. 293. meminerunt, exiit senex et inventum Marciam dementem *illico[2] detinuit, clamans: « Concurrite, cives, Dei servum con-

[1] Quas admodum probabile est fuisse sepulcra seu catacumbas.
[2] Facile animadvertet prudens lector quantum et quam inutiliter, in tota hac narratione, abundet illud للوقت, quod a me, alicuius varietatis gratia, translatum: *illico*, confestim, statim, etc.

templamini. » Et ad eum confestim confluentes, urbis incolae dixerunt ei: « Pater, dimitte illum, ne tibi cum dentium stridore succenseat, siquidem insanit. » Quibus Anbā Daniel: « Vos insani, ait; neque in desertis neque in urbe quisquam est huic sancto aequiparandus, et orbis universus non est eodem dignus. » Statimque apprehensum ad patrem patriarcham adduxit, cui dixerunt *Anbā Daniel et qui circumstabant*: « Nemo prodiit nostra aetate huic iusto similis; » et continuo intellexit patriarcha, a Christo *Danieli* revelata esse quae ad illum *Marciam* attinebant. Huic sine mora humilem exhibuerunt reverentiam, eumque cum magnis adiurationibus obtestati sunt ut sibi explicaret vitae rationem qua gravabatur. Cum optaret utrumque rem celare, non potuit, sed dixit: « Ego monachus, et libido fornicationis in me invaluerat; tunc surrexi, urbem hanc ingressus sum, in qua furere me Dei ergo simulavi; et ecce octo annos hic transegi, in orationibus meis et vitae asceticae laboribus perseverans, nocturnas vigilias atque ieiunia perpetuo exercens. » Illico, his auditis, lacrimati sunt senes.

Illa autem nocte sanctus Anbā Daniel in aedibus patriarchae recubuit, et postero mane, discipulum compellans: « I, fili mi, inquit, et Marciam arcesse, ut, eius benedictione donati, ad desertum revertamur. » At discipulus, progressus ad claustra cavernarum, in quibus commorabatur, illum in Domino obdormivisse reperit, et reversus rem patri suo manifestavit. Senex Anbā Daniel patriarcham de obitu certiorem fecit, et confestim, nuntiis ad monasteria missis, monachos congregaverunt. Ex Scete (Šīhāt) monachi venerunt, pulchris vestibus induti, manibus ramos olearum et palmarum gestantes; venerunt et monachi asceterii Vitri (ez-Zuğāğ); et innumerabilibus multitudinibus adunatis, non potuerunt *mortuum* sepelire antequam effluxissent dies quinque, sed funera solemnia ei, adhibito thure suavi et comitantibus urbis incolis qui manibus cereos accensos et aromata deferebant, honorificentissime persolverunt. Flentes extulerunt Dei servum, ex cuius corpore plurima prodierunt miracula ad sanationem morborum, eiectionem daemonum, medelam infirmitatum. *Defunctum* honorificentissime sepelierunt, Deum collaudantes qui tantam tribuit gloriam iis qui eum amant et voluntati eius semper obediunt; ipse enim

eos in terris honore afficit et iisdem *dein* concedit illa regni caelestis bona quae non transeunt nec finem habent, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec hominis mente concipi potuissent.

Per orationem eius Dominus Deus nostri ad extremum usque halitum misereatur. Amen.

p. 102. *MENSIS HATŪR DIES UNDECIMUS.

Hodie requievit pura atque casta matrona Anna, mater praecelsae ac Divae Virginis Mariae, Genitricis Dei nostri. Haec sancta, ex urbe Hierosolyma oriunda, filia fuit Mathat, filii Levi, filii Melchi, ex stirpe Aaron sacerdotis, ex tribu Levi. Mathat enim tres filias habuit, quarum natu maximae nomen fuit Maria, alteri Sophia et tertiae Anna. Maria nuptum collocata genuit Salomen obstetricem, quae Divae Virgini Christum Deum nostrum parienti obstetricantium ritu adfuit; Sophia quoque nuptui tradita Elisabeth, matrem Iohannis, edidit; nupsit et haec sancta Anna Ioachim iusto, ex tribu Iuda, peperitque Divam Mariam. Consobrinae igitur erant Diva Maria, Salome et Elisabeth. De hac autem sancta *Anna*, etsi nihil ad vitam eius attinens novimus quod enarremus, at certo scimus eam cunctis mulieribus nobiliorem fuisse, cum meruerit mater fieri Matris Dei secundum carnem, et, nisi virtutibus reliquas feminas aliquo modo superasset, illa gratia digna non fuisset. Erat eadem sancta sterilis; sed constanter orantem et a Deo efflagitantem donavit Deus filia, qua oculi eius, quin immo totius generis humani oculi oblectati sunt. Unde nobis honoranda est et colenda, propter excelsam illam quam meruit dignitatem.

Utriusque [1] intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria Selaï (Šīlāwos) [2] martyris, itemque memoria Elisaei prophetae. Utriusque preces nobis adsint.

p. 293. *Hodie obdormivit pater sanctus, nobilis episcopus, Anbā
p. 294. Ammonius (ʿAmūnyūs), episcopus urbis Syenes (ʾAsuān). *Hic sanctus vita et certaminibus asceticis admirabilis fuit, monachusque eximius, et contigit ut quadam die in urbem se con-

[1] Annae scilicet et Mariae. — [2] Sic. Dubitare licet an hoc sit Archelai nomen mutilum.

ferret, opus manuum suarum venditurus. Aderant autem ibi, sedentes, duo viri perversi, timoris Dei prorsus expertes, qui consilium inter se inierunt, dicentes: « Monachum istum tentabimus, experiemurque num, virtute vesti quam induit consona, patiens sit et via praeceptorum Evangelii incedat. Quare, illum aggredientes, quae secum portabat violenter ac superbe abripuerunt; ipse vero, iuxta dictum evangelicum, proiecit eis et chlamydem. Tum uni eorum accedenti et alapam impingenti sibi in maxillam dexteram, praebuit alteram. Sed illico procidit scelestus ille in terram, factus mortuis similis, propter audax facinus quod patraverat. Tunc *monacho* reverentiam proni exhibuerunt, veniam petentes. Quibus ille: « Homo peccator sum. » Dein alter collegit paululum pulveris pedibus huius sancti subiacentis, quo aspersit socium humi prostratum; et hic surrexit, visionemque habuerat magnam, formidandam, inenarrabilem.

Quando pater noster Anbā Valerius (Walāryūs) mortuus est, urbis incolae communi consilio sanctum hunc apprehensum adduxerunt ad patrem patriarcham Anbā Thimotheum, qui eum consecravit civitatis episcopum. In urbem suam reversus, Ecclesiam magnopere collustravit, coepitque ad populum conciones habere et eum in timore Domini confirmare, adversarios vero ad Deum reverendum reducere. Ipsius temporibus, peccatores ad poenitentiam conversi, scortatores viam continentiae et castitatis ingressi sunt, furesque a consuetis moribus discessere. Sermo eius scelestorum corda perfodiebat, gladii cui duplex acies instar. Sanationum multarum et prodigiorum auctor fuit. Quadam die, dum transiret, umbra transeuntis incidente in puerum qui a teneris paralyticus iacebat, sanitatem is consecutus est et, liberatus ab infirmitate, surrexit incolumis, rectus et fortis, quemadmodum *olim* contigit opera patrum nostrorum Apostolorum. Dixit autem pater Anbā Ammonius Anbā Macario (Maqārah): « De anima tua sollicitissimum te praebe, nam vidi tibi traditas esse claves. Subindicabat dignitatem episcopalem ei post se conferendam. Hinc, cum aegrotaret, populum suum convocatum adhortatus est et in manus Domini tradidit, tum in cubili ipse *mortuus* decubuit. Funebrem apparatum ei honorifice et reverenter adornaverunt, et libris ecclesiasticis atque canonibus apostolicis super eo recitatis, cum honorifice

et reverenter [1] sepelierunt, flentes digressumque lugentes, quia ipsis et filiis eorum fuerat pastor benignus ac misericors.

Per ipsius preces sibi acceptas Dominus Deus nostri omnium ad extremum usque halitum misereatur. Amen.

p. 102. *MENSIS HATŪR DIES DUODECIMUS.

p. 103. Hodie festum celebramus incliti archangeli Michaelis, *agminum caelestium primi, angeli qui generis humani miseretur, et qui, cum throno maiestatis semper assistat, pro hominibus universis intercedit. Hic ille est quem vidit Iosue, filius Nun [2], magna gloria circumdatum, militi regio parem, et quem, timore inde concepto, prostratus adoravit, dicens: « Amicusne tu mihi, Domine, an adversarius? » Cui angelus: « Ego virtutum caelorum princeps, atque hodie Amalecitas in manus tuas tradam tibique urbem Ierichuntem subiiciam. » Hic ille est qui sanctis omnibus adfuit, eos roborans et patientia muniens donec certamen suum consummassent, cuius memoriam duodecimo cuiusque mensis die celebraverunt, eleemosynas in eius honorem largientes. Ipse enim pro frugibus, pro Nili fluminis exundatione, et pro caeli temperamento Dominum precatur, ut hic illa perfecte moderetur atque iis benedictionem impertiatur.

Unde et contigit ut vir quidam, Dei amans, cui nomen Dorotheus (Dūrūtāwos), huiusque uxor Theopista, memoriam angeli Michaelis duodecimo cuiusque mensis die recolentes, a Domino amplis facultatibus per Michaelis intercessionem donarentur, postquam egestate pressi fuerant. Cum nimirum isti iusti, rerum angustia laborantes atque iis destituti quibus festum *consuetum* [3] celebraretur, vestimenta accepissent, eadem venumdaturi et venditorum pretio festum peracturi, Dorotheo apparuit angelus eique praecepit ut pecuarium adiret, a quo agnum tertia denarii parte, emeret, tum ad piscatorem se conferret et ab eodem piscem tertia denarii parte compararet, nec tamen ventrem piscis nisi se praesente aperiret, itemque frumen-

[1] Velim lector meminerit, ne forte interpreti imputet quae huic imputanda non sunt, eos qui *Synaxarium* compegerunt nullatenus abhorrere a certis quibusdam, iisque tritis, loquendi formulis bis vel pluries, in unius etiam quandoque sententiae tenore, usurpandis. — [2] IOSUE, v, 13. — [3] G revera addit: uti consueverant.

tarium conveniret, copiam frumenti necessariam ab eo empturus, vestimenta vero sua ne venderet. Iis quae iussus fuerat peractis, festo apparato et hominibus de more invitatis, ingressus vir in cellam, exploraturus num in ea inveniret vini cyathum offerendum, mirabundus ac stupens locum reperit vino plurimoque praeterea penu refertum. Postquam autem hospitibus cibum apposuit illique abierunt, ad eos *coniuges* advenit angelus, eadem specie qua se Dorotheo conspiciendum praebuerat, iussitque ab hoc ventrem piscis aperiri. In eo marsupium invenerunt quo continebantur trecenti denarii et tertia pars nummi aurei ter prostans. Tum eis dixit *angelus*: « Hoc pretium agni, piscis ac frumenti; aurum autem istud vobis erit, quia Dominus, vestri atque eleemosynarum quas largimini memor, harum praemium *iam in hac vita confert, in futura regnum caelo- p. 104.
rum mercedis loco daturus. » Illis autem propter ea dicta obstupescentibus, haec subiunxit: « Ego Michael archangelus; ego sum qui vos ex omnibus angustiis vestris eripui, qui oblationes et eleemosynas vestras Deo exhibui; neque ulla re ex bonis huius mundi carebitis. » Ad eius pedes se prostraverunt, ipse vero ab eis discessit, in caelum ascendens. Plurima sunt huius angeli gloriosi purique Michaelis miracula, plurima portenta quae inter filios hominum patravit.

Eius intercessio nobis ad extremum usque halitum adsit. Amen.

MENSIS HATŪR DIES DECIMUS TERTIUS.

Hodie obdormivit sanctus pater Timotheus, episcopus urbis Antinoes (Anṣinā). Sanctus hic vir erat iustus ac pius, et, vitam monasticam a teneris amplexus, in ea omnes virtutis vias iniit. Quia Christum confitebatur et fidem in eum hominibus inculcabat, apprehensum praefectus Antinoes variis cruciatibus affecit et triennio continuo detinuit, nunc in carcerem detrudens, nunc inde educens tormentorum infligendorum causa. Cum eo in custodia versabantur sancti complures propter fidem comprehensi, ex quibus non desiit *praefectus* quosdam educere cruciandos et puro proluendos sanguine, donec pauci tantum, inter quos hic pater, in illius carcere remanerent. Sed impio Diocletiano neci divinitus tradito, imperator Dei amans Constantinus solio potitus mandata dedit ut confessores ex omnibus

universi orbis carceribus dimitterentur, fuitque hic pater e numero eorum qui libertate donati sunt. Qui, ad aedes suas reversus, monachis qui in dioecesi sua erant et sacerdotibus convocatis, preces diuturnas tota nocte fudit, Deum pro salute animae principis qui se cruciaverat sic orans: « Hic est, Domine, qui multa mihi contulit beneficia et effecit ut tecum unirer; o Deus, o Domine, principi huic concede ut tecum ipse uniatur. » Puritatem cordis huius patris qui aderant admirati sunt. Re autem audita, princeps mente obstupuit p. 105. et dixit: « Existimabam quidem me ab illo, eo quod *ipsum cruciaverim, vituperatum iri, eumque mihi male precaturum: et en mihi bene precatur. Religioni huiusce populi christiani vere inest mysterium quoddam divinum. » Tum, legato ad istum episcopum misso, legem christianam ab eo addiscere voluit; quem itaque hic pater docuit causam incarnationis Filii Dei, ostendens quomodo haec ab omnibus prophetis, multis antequam eveniret annis, praedicta, et quomodo illorum vaticinia adimpleta fuerint, evangeliumque ei praelegens. Credidit igitur *princeps* in Iesum Christum, opera huius patris, a quo et baptizatus, praefectura dein abdicata, vitam monasticam amplexus est et gregi eiusdem patris adscriptus. Postquam reliquos vitae suae dies exegit hic pater perpetuam operam dans ovibus erudiendis ac custodiendis, in pace quievit.

Benedictio orationis huius patris nobis adsit. Amen.

Eadem die requievit pater patriarcha Zacharias (Zaḫārīs [1]). Sanctus hic, genere Alexandrinus, presbyter in patria urbe et curator vicis eius [2] praepositus, erat moribus purus, corpore castus, indole humilis, aetate senex. Mortuo patriarcha Philotheo, convenerunt episcopi ut ex Dei sententia virum idoneum deligerent. Quibus in ecclesia Marci, apostoli et evangelistae, congregatis et inquirentibus quis aptus foret, rumor ad eos delatus est, quendam cum litteris quas a sultano gratia et muneribus obtinuerat, adulescentibus stipatum advenire, ut patriarcha constitueretur. Itaque aegre ferentes aliquem propter gratiam et munera praefici, diuturnas preces atque supplicationes ad Deum direxerunt, ut illum sibi praeponeret quem ipse elegisset;

[1] B: Zaḫāryās; C, D et E: Zaḫāryūs. -- [2] Dictio على ارباعها posset etiam verti: domibus eius.

dumque in precibus ad Deum fundendis diu perstarent, ecce hic pater, scalis ecclesiae descendens deferensque urnam olei plenam, pede a summis scalis lapsavit et cecidit ad imas usque devolutus, dein surrexit, urnam cum oleo intactam manu tenens. Quod admirati episcopi et sacerdotes, de illo regionis incolas, tum parvulos tum maiores, interrogaverunt, neque ullus fuit qui eiusdem virtutes non extolleret. Quare consentientibus plebis et episcoporum votis patriarcha electus est et constitutus.

Illo autem munere fungenti multae calamitates acciderunt. Monachus quidam querelas adversus eum movit apud el-Ḥakimum *califam*, qui apprehensum alligavit et feris obiecit; quae tamen nihil illi nocuerunt. Quare succensuit el-Ḥakimus ferarum custodi [1], existimans ipsum patriarchae muneribus corruptum fuisse; tum, triduano ieiunio feris imposito, victimam immolavit et huius sanguine conspersum patrem patriarcham illis obiecit, nec *quidquam ei nocuerunt. Unde, obstupescens, p. 106. iussit eum a feris amoveri; dein alligatum tres menses tenuit, iterum atque iterum comminans ei occisionem et detrusionem in ignem, nisi a religione sua recederet; sed ille eiusmodi minis nullo modo perterritus est. Subinde ipsum magnificis promissis tentavit, imprimis ostentans supremi inter Moslemos iudicis dignitatem; verum neque ulla harum pollicitationum motus est captivus. Dimissus tandem *Zacharias* multas molestias perpessus est, inter quas connumeranda ruina plurimarum ecclesiarum, quae ipsius temporibus dirutae sunt, persecutione novem annos desaeviente. Postea tamen Christus calamitatibus illis finem imposuit, et praecepit el-Ḥakimus patri *patriarchae* ut ecclesias instauraret, itemque iussit iis reddi omnia quae inde ablata fuerant vasa et *sacri* ministerii instrumenta. Restitutae igitur sunt ecclesiae, seseque hic pater de iis exstruendis valde sollicitum exhibuit, ac ipso sultano praescribente campanae in ecclesiis pulsari coeptae sunt, et prosper factus est ecclesiarum fideliumque status; atque exinde permansit hic pater, ecclesias aedificans earumque curam exercens. Annis in prae-

[1] Ut nomen سباع hic signo tašdīd, quod vocant, ornatum legamus (سبّاع), seu de ferarum custode, non de feris ipsis, interpretemur, nulla licet suffragante lexicographorum auctoritate, huius loci contextus omnino exigere videtur.

fectura *saeviente persecutione* duodecim, post sedatam autem persecutionem, vigente tranquillitate et pace, sedecim [1], in tota itaque praefectura viginti et octo transactis, ad Dominum quem diligebat translatus est.

Oratio eius nobis adsit. Amen.

p. 295. *Obdormivit sanctus Anbā Yūsāb, qui in monte el-'Asās [2], in dioecesi Copti (Qifṭ) morabatur. Illius patri nomen Zaḥūs [3]. Parentes, qui ex incolis Faï (Fāu) erant, nullam aliam prolem susceperant praeter hunc sanctum, quem ad Deum timendum instituerunt. Ei porro adhaesit puerulus alter, cui nomen Madāsyūs, quocum in urbis vico educatus est [4]. Qui postquam adoleverunt, in monasterium patris Pachomii ingrediebantur, fratres contemplabantur et religiosa pietate proficiebant. Tunc, zelo spiritali incensi, postulaverunt admissionem ad vitam angelicam, monachos sic allocuti: « Vos precamur accipiatis nos, ita forsan misericordiam in tribunali magni iudicii, coram Iesu Christo, summo caeli terraeque Principe, inventuros. » Quibus responderunt illi: « Nobis praescripsit pater noster ne ullum repellamus, et ut quicumque ad nos accesserit, eum admittamus, eundem leges patris nostri docentes. Quas si susceperit atque servaverit, ei schema imponimus ut nobiscum maneat; sed eius periculum facimus, exspectantes dum regulas nobis praescriptas ipse sequatur. » Institerunt *duo candidati*: « Nos, aiebant, vobiscum admittite, et, orationum vestrarum auxilio, regulas sequemur ac quaecumque mandaveritis peragemus. » Tunc monachi illos cum gaudio admiserunt.

Erat autem in monasterio frater pius, cui nomen pater Paulus, quem *duo novitii* invisebant, cogitationes suas ei patefacientes; illoque inculcante media salutis animarum assequendae, mentes eorum illuminatae sunt, paterque Anbā Yūsāb habitum angelicum assumpsit et ei indita est gratia Spiritus Sancti. Tempore hiemali, sub dio stabant orantes, et tempore aestivo, calorem

[1] De ea temporis praefecturae divisione in duas partes, quarum altera duodecim annis, sedecim altera constiterit, silent codd. B et C. — [2] Seu Fundamenti. Nomen igitur eiusdem est vis et proinde eundem locum designare videtur ac copticum nomen ⲧⲥⲉⲛϯ. Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 62. — [3] Nomen in codd. mss. partim incertum atque evanidum: Baḥūš, Naḥūš, Yaḥūš? — [4] Huius incisi sensus obscurus, interpretatio verisimilis tantum.

tolerabant, in domorum autem tecta [1] nunquam ascendebant. Orationes quadringentas nocte et totidem interdiu fundebant, comestionem a sabbato in sabbatum differebant, et multa miracula edebant, claudos, caecos et cuiuscumque generis aegrotos sanando. Fama eorum late sparsa, hominibus ad se accedentibus bona apprecabantur, Deo iisdem sanitatem conferente.

Cum vero multitudines plurimas ad se accedentes viderent, timuerunt ne laboris sui meritum amitterent; dixeruntque alteri alter: « Regio quaevis cui sol exoritur Domini est. » Stansque pater noster Anbā Yānūb [2] ad orandum, postquam Dominum rogavit ut sibi signum exhiberet, vocem audivit respondentem: « Perge ad locum palatio [3] subiacentem et, fossa cubiti unius percussa, id invenies quod quaeris. » Eo perrexit quo iubebatur, fodit, et vas vitreum reperit olei plenum atque charta involutum, quod in monasterio posuit, *aegrotis medicamento futurum. p. 296. Quando e monasterio *ambo* egressi sunt, parum illius olei secum assumpserunt et, progressi, ascenderunt quoad pervenirent ad montem el-'Asās, ad cuius australem plagam, in monte Bisavi (Bišwāw) commorati sunt. Porro haud procul ab habitaculo sancti Anbā Yūsāb erat idolorum delubrum, et in hoc daemones multi, a quibus sanctus Anbā Yūsāb molestias patiebatur; sed ei inspiravit Deus ut ecclesiam aedificaret, nomine duodecim patrum Apostolorum dicatam; quam ubi primum aedificare coepit, magnam quietem expertus est; ipseque sanctus Anbā Yūsāb vidit angelum Domini flagello igneo eiicientem daemones, qui ex illo loco aufugiebant. Quale vero certamen sustineret sanctus Anbā Yūsāb nemo, praeter caelorum et terrae Dominum, noverat. Qui consummato bono cursu, ex hoc mundo fluxo translatus est ad illum quem amabat, Dominum nempe et Regem nostrum Iesum Christum. Eius corpus deposuerunt in ecclesia quae nunc exstat in concava montis parte, et ex eodem corpore usque ad hanc nostram aetatem prodigia et miracula multa eduxit Deus.

Ipsius oratione Dominus nostri misereatur. Amen.

[1] I. e., solaria. Tecta enim in Oriente plana sunt. — [2] Sic cod. in uno hoc loco. — [3] Vel monasterio (?).

p. 106. *MENSIS HATŪR DIES DECIMUS QUARTUS.

Hodie obiit sanctus Martinus [1], episcopus urbis Thraciae (Ṭarākyā [2]). Sanctus hic, ex civitate cui nomen Sāfāria [3] oriundus, parentibus christianis progenitus, sese exhibuit virum pium, bonum, poenitentiae atque humilitatis amantem. Arii sequaces insectabatur, eos reprehendens confutansque, nomine impiorum ipsis inflicto. Quam ob causam varias ab illis molestias perpessus est. Ei enim in vicis insidias struebant, transeuntem apprehensuri atque vexaturi, illumque apprehensum haud semel verberarunt et talo per civitatem pertraxerunt. A quibus in regiones longinquas aufugiens, ad littus maris salsi [4]
p. 107. venit et *in spelunca annos complures commoratus est, plantis terrae ibi victitans. Fama autem eius late sparsa et nomine celebrato, ad sedem episcopalem electus et urbi Thraciae praepositus, apostolicum in ea vitae institutum iniit, homines plurimos charitate et misericordia antecellens. Eius manibus multa Deus edidit miracula, inter quae hoc connumeratur.

Quadam die, iter faciens, mortuum vidit quem apprehenderat vir durus, contendens illum sibi quadringentorum denariorum debitorem esse, obstansque quominus propinqui ipsum sepelirent antequam sibi satisfactum esset. Sanctus interpellantem multis deprecatus atque hortatus, nec tamen quidquam sermonibus suis assecutus, ad Deum supplex se convertit. Tum vero surgens qui mortuus erat, virum illum durum, qui aliquid a se repetebat, increpavit et mendacii coram adstantibus convicit. Dein, sancto Deum exorante, subito mortuus est exactor ille iniquus, et qui defunctus fuerat domum rediit incolumis, annosque complures superstes fuit. Hic porro sanctus *Martinus*, postquam piam huiusmodi vitam degit, in pace quievit.

Oratio huius patris nobis adsit. Amen.

Eadem etiam die obierunt sancti patres nostri, tres adule-

[1] D: Martinyūs; E: Qornīlyūs. — [2] E: 'Aṭrākyah; F: Ṭarākyah. — [3] Eadem, ut videtur, quae apud Romanos Sabaria vel Savaria appellabatur, Pannoniae urbs; nostratibus Sarvar seu Sarwar. — [4] Neminem fugit, apud Arabes hac appellatione bimembri quandoque distingui mare proprie dictum a magnis fluminibus, quae et ipsa unico illo بحر vocabulo passim designantur.

scentes Hananias, Azarias et Misael, quos, cum in fornacem ignis demissi essent, salvos eduxit angelus Domini, die decima mensis bašons. Quorum oratio nos custodiat. Amen.

*Scitote, fratres, die huic respondente obiisse *feminam* p. 296.
iustam Matronam (Madrūnā). Regum stirpe progenita, optavit ut per parentes sibi liceret in urbe Hierosolyma orare, suumque desiderium iis aperuit. Qui res itineri necessarias suppeditaverunt. Profecta igitur cum divitiis quas monasteriis, monachis et egenis distribueret, postquam Hierosolymam pervenit, *ibi* oravit, et egressa ad monasteria *invisenda*, monachos invenit pios atque sanctos, exoptavitque vitam religiosam ibidem amplecti, neque tamen potuit propter milites patris sui et famulos qui ei comites adhaerebant. Sed Hierosolymam reversa, sedens duas epistulas scripsit, patri alteram, alteram famulis qui comitabantur. Quibus haec dicebat: « Haud procul a morte disto; nolite me requirere; mei enim potestatem non habebitis, cum eo pergam quo me dirigit Deus. » Epistulas inseruit vestibus suis et militum turmam necessario apparatu instructam ante se praemisit, ipsa vero resurrectionis ecclesiam adiit *quasi* oratura et caeteros *deinde* assecutura; at continuo, *Jerichuntem p. 297.
aufugiens, desertum petiit. Eam dehinc direxit Deus ad virum aetate provectum, qui ad suos pedes provolutam et enixe orantem atque obsecrantem induit habitu sancto, et a se discedentem interrogavit: « Quonam, filia, progrederis? » Quae respondit: « Ad locum quem mihi elegerit Dominus. » Tum desertum petiit et solitaria seorsim commorata est. Porro Anbā Iohannes presbyter *scripsit*: « Cum viri pii speluncam nossem, ad illum invisendum, pane mecum assumpto, profectus, mentis stupore ingruente, speluncam non inveni; dumque per desertum vagarer, vestigium perspiciens pedis tenuis, *intra me* dixi: « Hic pes est eunuchi vel puellae; » et Dominus a me exoratus me ad lapidem deduxit, quem cum continuo amovissem, aditum angustum reperiens, constiti, oravi et dixi: « Benedic mihi; » nemineque respondente, ingressus, inveni monachum sedentem, quem salutavi et cuius facies ignis ardentis instar splendens mihi apparuit; atque intra me dixi: « Haec femina est. » Quae, cogitationem meam perspiciens, ita allocuta est: « Quid cogitas? Talis sum qualem reputas. » Tunc eam obsecravi atque obtestatus sum, ipsaque totam vitae seriem mihi sic manifesta-

vit: « Ego una ex filiabus regum viaticorum [1]. Viginti et octo annos hic exegi, mihique *praesto fuit* cibus caelestis, ad me e caelo missus. » Tum offerente me aliquid ex commeatu qui mecum erat, nihil accepit; sed petenti ipsius benedictionem dixit: « Promitte mihi te ad me rediturum. » Discedens igitur ab ea, in meam veni speluncam, ubi dies complures mansi; dein, surgens, hoc die decimo quarto mensis, me contuli ad speluncam *illius*; ad quam accedens cantus audivi angelorum qui ascendentes animam beatae *Matronae* in caelum honorificentissime deducebant, et vocem percepi mihi dicentem: « Pergens ad cellam tuam, quaecumque audisti scribe in memoriam huius *mulieris* purae. »

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 107. *MENSIS HATŪR DIES DECIMUS QUINTUS.

Hodie martyrium subiit benedictus et sanctus Abū Mennas (Mīnā), qui cognominatus est Fidelis (el-'Amīn). Pater eius, cui nomen Eudocius ('Awdokyūs [2]), erat ex incolis Nikyūs et huic urbi praepositus. Quem, invidia motus, frater apud imperatorem accusavit, qui eum in Africam misit atque illis regionibus praefecit. Ea re gavisi sunt earundem regionum indigenae, quoniam ipse vir erat misericors ac timens Deum. Huius porro *sancti* mater, cum non esset ei proles, quadam die divae Virgini sacra, in ecclesiam ingressa, pueros christianos *eleganter* vestitos aspexit, et coram imagine divae Virginis ingemuit flevitque, atque hanc oravit ut ipsa intercedente Dominus sibi prolem concederet. Tum egressa est vox ex imagine, dicens:
p. 108. « Amen, Menna [3]. » *Mulier autem domum reversa, maritum certiorem fecit vocis *a se auditae*; qui dixit: « Fiat voluntas Domini. » Haud multo post eam donavit Deus hoc sancto, quem appellaverunt Mennam (Mīnā), iuxta vocem a se auditam; et paulo grandiorem factum scribendi artem atque disciplinas spiritales docuerunt. Postquam vero annos undecim attigit, obiit pater eius in senectute bona, triennioque ab obitu patris

[1] Sic ex littera arabica. At vero qualis subesse possit sensus? Non immerito forsan quis coniecerit pro الجوايز legendum esse الجزاير, insularum. — [2] C: 'Awdoksyūs. — [3] Nomen in B et C omissum, ubi haec una vox: 'A m ī n ā.

elapso, decessit et mater; mansitque sanctus Mennas ieiunio et orationi solitarie deditus. Propter amorem quo magnates ipsum et patrem prosequebantur, eum in locum patris suffecerunt, nec aliquid de devotione sua remisit.

Ubi autem impie agens Diocletianus edictis sanxit ut idola colerentur, et multi pro Christi nomine martyrium subierunt, reliquit hic sanctus militiam et in desertum secessit, ubi dies plurimos in egregia devotione commoratus est. Quadam die, caelum vidit apertum et martyres pulchris redimitos coronis, et ecce vox ipsi dicebat: « Qui labores pro Christi nomine sustinuerit has consequitur coronas. » Ad urbem proin reversus, nomen Christi confessus est. Quem, quoniam noverant ex nobili prosapia ortum, blande tractarunt, regia etiam dona polliciti; neque a sententia deflexit. Quare iussit dux eum torqueri et, postquam taedio ei fuit torquendi ministerium, *Mennas*, capite acie gladii praeciso, coronam martyrii in regno caelesti obtinuit. Eius corpus, martyrio consummato, iussit praefectus in ignem proiici; quod tamen ex igne intactum extraxerunt fideles quidam ac diligenter sepultum in locum decentem deposuerunt donec regnum impiorum finem acciperet. Illa autem aetate opus fuit Marāïṭis (el-Marāyṭah [1]) militum turmis ex Pentapoli *comparandis*, et corpus sancti patris Mennae secum assumpserunt ut sibi iter facientibus auxilio esset atque custodiae. Et dum mari una cum corpore veherentur, e fluctibus ascenderunt monstra quorum facies faciebus ferarum similes, colla vero camelorum collis similia, et quae coeperunt colla protendere ad corpus sancti lingendum; unde ingentem timorem conceperunt qui navem conscenderant; sed ignis e corpore egressus ferarum ora adussit. Cum dein, Alexandriam appulsi, negotiis absolutis, reditum in patriam meditarentur, proposuerunt corpus sancti secum auferre. Hoc itaque camelo imposuerunt, qui tamen e loco suo non surrexit; idem alteri camelo imposuerunt, qui nec ipse, multis verberibus affectus, se movit. *Inde intelli- p. 109.
gentes rem a Deo esse, illi *sancto* sacellum [2] exstruxerunt, eoque inibi sepulto, abierunt. Porro ubi voluit Deus corpus

[1] Utrum necne hoc nomine, pluralis, ut videtur, numeri, veniant urbis Mareotae vel Mareotidis paludis incolae, doctioribus definiendum permitto. Cod. B: el-Marāniṭyah. — [2] Ad litt.: locum.

sancti manifestare, pastore oves in illo deserto pascente, quondam contigit ut sacellum illud ingrederetur ovis scabie debilitata, in stagnum sacello vicinum immergeretur, in illo loco sese volutaret et subito sanaretur. Quod cum vidisset pastor, admiratione et stupore perculsus, coepit pulvere illius loci aquae immixto omnes oves scabiosas vel infirmas allinere, quae statim sanatae sunt; et factus est pastor compos artis cuiusdam qua adhibita cuicumque aegrotanti medebatur.

Rei fama audita, imperator constantinopolitanus, cui filia unica erat eademque lepra laborans, eam illuc misit. Quae, cum pudore detineretur ne vestibus sese adstantibus hominibus exueret, a pastore artem quam calleret ipse edocta, sibi ipsa aquam et pulverem paravit; et nocte illa, in sacello dormiens, sanctum Abū Mennam vidit sibi dicentem: « Mane surgens, terram hoc in loco defode, et corpus meum invenies. » Tum subito mundata est. Postquam igitur surrexit et in loco fodit, corpus purum reperit ac patrem misso nuntio rei certiorem fecit. Imperator vero corpori ecclesiam superstruxit, et temporibus Arcadii et Honorii, curaverunt *isti* magnam urbem ibi aedificandam. Turbis autem plurimis ad ecclesiam confluentibus, multa miracula atque prodigia e corpore sancti Abbā Mennae prodibant, neque miracula in illa edi desita sunt donec, urbe et ecclesia eversa, corpus translatum fuit in ecclesiam Misri [1] eius nomine insignitam.

Intercessio eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis Hatūr dies decimus sextus.

Hodie consecrata est ecclesia sancti incliti Onuphrii (Abu Nafr), ascetae, extra urbem Miṣr.

Hic primus est dies ieiunii Nativitatis apud christianos Iacobitas, praesertim in regione Aegypti.

Eadem die, memoria sancti Xysti (Kustos), qui, multis cruciatibus toleratis, martyrio a Maximo principe affectus est et, capite truncatus, coronam martyrii obtinuit. Orationes omnium

[1] Nomen hoc et Aegyptum, praesertim inferiorem, et eiusdem urbem praecipuam, a Qahira vix distinctam, designat. Cf. Amélineau, *op. cit.*, p. 223.

nobis adsint, nosque *ab hoste maligno ad extremum usque p. 110.
halitum custodiant. Amen.

*Scitote, fratres, patrem sanctum Anbā Hūb die huic respon- p. 297.
dente ad quietem vocatum. Incolebat hic sanctus montem Tūḫ, in specu commorans, egregia religionis officia ibi adimplens, virtutibus atque exercitationibus asceticis summo ardore incumbens, ieiunio, orationi et puritati constantissime deditus. Qui quondam duarum hebdomadarum continentium ieiunium, nullo sive cibo sive potu usus, sustinuit. Late percrebuerat fama
ipsius, *et de eo, de hoc nimirum sancto Anbā Hūb [1], plurima p. 298.
referuntur portenta, quemadmodum scriptum est memoriam viri iusti huiusmodi futuram bona fama insignem [2].

Huic sancto aliquando contigit ut, dum in spelunca sederet, consuetis orationibus atque exercitiis asceticis operam dans, hyaena, quae in monte haud procul ab illius habitaculo morabatur, catulum ederet, et, cum eum erexisset, non staret ille pedibus firmus, quoniam ex utero matris claudus erat. Quem ore apprehensum et ad hunc sanctum Anbā Hūb allatum proiecit ad pedes eius, ipso gloriam Iesu Christi admirante, coepitque ita innuere ut suum ei desiderium perspicuum faceret. Quare catuli pedem ille statim tetigit sanavitque; unde mater, magnopere exsultans, coepit plantas sancti Anbā Hūb lingere. Ipse vero *catulus*, surgens ac matrem subsequens, ad montem perrexit, incolumitate quam adeptus erat laetus; hyaenaque ac catulus in locum domicilii sui se receperunt. Porro haec omnia effecit Dominus ad gloriam sanctis suis conciliandam. Et ita quidem etiam invenire est feras, quantumvis ferae immites sint, quae sensa atque instinctus decoros experiantur et sequantur. In Danielem enim mirum atque inauditum exhibuerunt amorem, siquidem, indole sua ferina primum deposita, dein, virtute divina capistrum iis imponente, sese converterunt ad plantas sancti lambendas. Quare autem miraremur huiusmodi feras rapaces, Deo iubente et ad eius nutum, in mansuetas mutari atque transverti? Nec ferae tantum, sed etiam ignis incorporeus [3]

[1] Sic, cum emphasi prorsus supervacanea, textus arabicus. — [2] Subindicata voluerit scriptor, ut videtur, quaedam Scripturae effata de iustorum memoria, qualia occurrunt, e. g., *Ps.* cxii, 6-7; *Sap.*, iv, 1. — [3] Ad litteram: insensibilis, qui sensibus non percipitur. Quod sane de ignis natura subtili et fluxa ac prope aeria intelligendum. Porro

divinitus mutatus est, cum, in halitum roscidum conversus, opacum attulit frigus tribus adulescentibus Ananiae (Ḥanānyā), Azariae et Misaeli; erat quippe ignis vi quadam mysteriosa praeditus, qui ex Babyloniis viros quadraginta novem combussit omniaque eorum ossa liquefecit. Insigni Dei miraculo factum est, ut qui intra fornacem erant, eos ignis non attingeret, neque ad eos accederet, et inde incolumes egrederentur, vestibus, crinibus et calceis in eodem statu manentibus in quo prius fuerant, nec odore ignis vestimenta inficiente; ii vero qui procul a fornace stabant, hos ignis absumeret et ad eos excurreret. Gloria igitur Deo, qui prodigia in sanctis suis operatur!

Porro idem sanctus Anbā Hūb sanationes et prodigia patrabat. Quae si enarrare vellem, longiore sermone opus esset. Ea tantum de hoc sancto, de patientia eius, certamine, vita ascetica atque devota, vobis exposui, amici, quibus referendis par erat lingua mea debilis. Fuit nomen eius celebre ac famosum inter monachos qui eiusdem aetatem attigerunt. Quo tempore aegrotavit, ad eum venit angelus Domini, qui *iacentem* sic allocutus est: « Pax tibi, o vas electum, tu qui decertasti et corpus in munditia conservasti. En corona gloriae propter labores tuos et pura pietatis opera tibi parata est. » Quibus angeli verbis auditis, Domino gratias egit, eius nomen laudibus celebravit,
p. 290. et, os suum aperiens, exspiravit. Eum rite adornarunt *fratres, sepelierunt, extuleruntque ad ecclesiam Anbā Petri Magni, in qua eum reverenter atque honorifice deposuerunt.

Ipsius precibus Deus nostri misereatur. Amen.

p. 110. *MENSIS HATŪR DIES DECIMUS SEPTIMUS.

Huic diei, decimae septimae nimirum mensis hatūr, Iohannis Chrysostomi mortem testimonio consono assignant Indices Alexandriae, Index quem conscripsit Anbā Iohannes, Copti (Qifṭ [1]) episcopus, et Index Melchitarum. Melchitarum tamen Index

dictum hoc, in enunciatione, non praedicati, ut aliquis facile opinari posset, sed epitheti seu nominis adiectivi loco usurpari, colligitur vel ex praemisso articulo: النار الغير محسوسة. — [1] Quod in cod. A legitur et in edit. mea arabica fideliter expressum est, فقط, haud dubie mendosum.

testatur illum die decima quarta īlūl [1] obiisse, translatum vero fuisse ad diem decimam septimam hatūr propter Crucis festum. At mortem ipsius ad diem duodecimam bašons referunt codices antiqui universi [2].

Eadem die celebramus memoriam translationis corporis viri sancti et incliti, doctoris orbis, Iohannis Chrysostomi, episcopi urbis Constantinopolis. Hic sanctus Iohannes non probaverat Eudoxiae imperatricis consilium, quo sibi viduae hortum arripere conabatur, verum prohibuerat ne illa huic vim et molestiam inferret. Causabatur imperatrix, hoc in imperatorum moribus positum esse ut, si quis eorum, alicuius plebeii hortum ingressus, hunc sibi placentem vellet comparare, eundem sibi sumeret, soluto possessori pretio; « et equidem, *aiebat imperatrix,* isti viduae pretium horti solvam. » Quia vero nolebat vidua praedium suum dimittere, prohibuit sanctus ne imperatrix illud sibi vindicaret. Quod tamen cum invasisset, ei *episcopus* ingressu ecclesiae interdixit. Quamobrem, furore percita ac superbia, adversus illum coegit concilium episcoporum qui a sancto propter mores improbos ac doctrinas pravas anathemate perculsi fuerant et qui de eo in exilium eiiciendo consenserunt. Itaque eiectus est in insulam Abrākis [3]. Ad sedem dein a Domino reductus, hanc aliquandiu occupavit. Sed episcopi, denuo convenientes, eum in Armeniae fines et exinde in regiones desertas eiecerunt, ibique *in pace* quievit. Ubi Theodosius iunior, *mortuo Arcadio patre, ad imperium per- p. 111.
venit, corpus sancti Iohannis Chrysostomi, annis quinque et triginta postquam exsulaverat, in urbem Constantinopolim translatum voluit. Id magno cum honore et ingenti pompa

[1] Syrorum mensis nostratum Septembri fere respondens, qui ab aliis primus mensium anni, ab aliis duodecimus computatur. — [2] Postremae enunciationis loco haec in B prostant: Duodecimam autem mensis bašons diem, qua illum obiisse testantur codices antiqui universi, opinor equidem diem esse translationis eius ad urbem Constantinopolim. Adscriptus tamen est diei mensis hatūr decimae septimae. Eligat igitur lector. — [3] Insula prorsus, mihi certe, ignota. Aliunde tamen compertum habemus, Chrysostomum primum exsulantem ad navale in ostio Ponti situm, quod Hieron vocabant, hinc vero ad campos Praeneti Bithyniae, quod erat e regione Nicomediae, abductum esse. Cf. DE MONTFAUCON, *S. Iohan. Chrysostomi vita* (Patr. Gr., t. XLVII, col. 203).

transtulit; eiusque adventus, ut legitur in quibusdam Indicibus copticis, die duodecimo mensis bašons, sed, si fides sit Graecorum (er-Rūm) monumentis, duodecimo mensis 'amšīr contigit. In urnam marmoream intra templum depositum fuit.

Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

p. 290. *Requievit pater sanctus, monachus perfectus, Anbā Paulus, in monte Danfīq, intra fines nostros. Magnus hic sanctus Anbā Paulus, ex finibus nostris *oriundus*, natus in vico cui nomen Danfīq, parentes habuit agricolas. Idem porro sanctus fabricam materiariam didicerat. Vitam monasticam amplexus, corporis munditiam pretiosi thesauri instar servavit, moribus simplex, et, montem Benhadab incolens, discipulum se addixit senioribus qui ibi versabantur. Eum ducem fratribus praeposuerunt, ut ipsos in timore Dei regeret, et, sacerdos ordinatus, in spelunca Anbā Petri Magni habitavit. Dicebat hic Anbā Paulus: Nativitas eius...[1] Diuturno autem cruris morbo laborans, claudus factus est, omnesque seniores huius sancti incliti Anbā Pauli virtutes laudibus extollebant. Idem sanctus, in caelum quondam raptus, altissima mysteria contemplatus est, eique angeli arbores paradisi, fructibus bonis ornatas, monstraverunt et eum dein *in terras* reduxerunt. Dixit porro *ipse*: « Equidem audivi angelorum cohortes, suo quamque ordine, *Deum* collaudantes; quorum voces erant melle et favo suaviores. » Visionibus plurimis ac stupendis donatus est. Postea, cum in eo esset ut, Deo ita disponente, in sedem quietis transferretur, fratres ad se convocatos hortatus ut regulas ac canones vitae monasticae servarent, obiit. Conveniens itaque multitudo plebis una cum episcopo eum ad ecclesiam Anbā Petri Magni honorificentissime delatum ibi sepelierunt, iusto funere solemniter persoluto.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 111. MENSIS HATŪR DIES DECIMUS OCTAVUS.

Hodie martyrium subierunt sanctae virgines Aṭrāsīs[2] et Iohanna (Yūnā). Et haec quidem Aṭrāsīs filia erat Adriani[3] imperatoris, idolorum cultui addicti; qui ei interius quoddam

[1] Enunciatio manca vel corrupta. — [2] C: 'Aṭrāys; G: Aṭrūsīs. — [3] B: Tādryānūs.

cubiculum et secessum confecerat, ne quis hominum illam aspiceret. Ipsa vero, secum vanitatem huius mundi et vitam fluxam animo reputans, Dominum die nocteque precabatur ut sese ad rectum tramitem dirigeret. Unde in visione nocturna aliquem audivit dicentem sibi: « Arcesse Iohannam virginem, Philosophronis (Fīlāsofrūn) filiam, quae te viam Domini docebit. » Exspergefacta a somno, magnopere gaudens, legatum misit ad Iohannam virginem, mandans ut ad se statim veniret; et egressa in occursum illius, eam amplexa est et ad pedes eius procidit venerabunda. At illa incoepit Aṭrāsi exponere causam incarnationis et crucifixionis Filii Dei, resque enarrare a tempore quo creavit Deus Adamum, et quomodo hic e paradiso eiectus fuerit. Tum gressum fecit ad memorandum diluvium et creationis instaurationem, causam idololatriae, Deum sese Abrahamo manifestantem, egressum Israelis ex Aegypto, prophetas ac viros illustres prodeuntes, Satanam orbi per idololatriam dominantem, descensum Filii Dei eiusque incarnationem ex Virgine, mundum e manu diaboli maledicti ereptum, gratias caelestes et regnum aeternum illis a Deo concessum qui labores pro eius nomine pertulerint. Itaque vehementi gaudio repleta est anima virginis *Aṭrāsis*, *cui sermo Iohannae virginis mellis p. 112.
favo dulcior erat, et in Christum credidit. Tunc coeperunt ambae virgines, imperatore inscio, multa pietatis officia, tum diurna, tum nocturna, peragere. Quadam vero nocte, conspexerunt Christum Dominum, simulque huius matrem Mariam, quae virgines ad se admissas Filio suo victimarum instar obtulit eisque benedixit.

Erat autem imperator ad bellum profectus; et postquam reversus est, filiam suam conveniens, ei dixit: « Age, filia, thus divo Apollini offer priusquam ad sponsum tuum introducaris. » Quae respondit ei: « O pater, quomodo, Deo caeli derelicto, vilibus idolis cultum adhibes? Convertere, o pater, ad Deum qui te creavit et in cuius manibus est halitus tuus. » Auditis his filiae verbis, qualia ab ipsa nunquam audierat, interrogavit quid novi accidisset. Cui responderunt, a Iohanna, Philosophronis filia, Aṭrāsis mentem esse depravatam. Quare iussit eas comburi. Eductae igitur sunt et, cum palliis atque ornamentis indutae essent, eas non denudarunt, eo quod filiae regiae erant. Flebant porro famuli servique, iuniores ac senio-

res, incolaeque civitatis tristitia afficiebantur propter virginum illarum adulescentiam, et eas rogabant ut imperatori morem gererent. Sed a sententia sua non desciverunt. Scrobe autem effossa atque igne accenso, ambae, manibus invicem apprehensis, in fornacem proruperunt; illasque conspexit ingens multitudo in medio igne stantes, facie ad orientem conversa, et orantes. Dein *in pace* quieverunt. Porro, igne facto rori frigido haud absimili, corpora quidam fidelium acceperunt. Quae invenerunt invicem adhaerentia, vestibus atque palliis intactis, et in locum mundum magno cum honore deposuerunt, donec, tempore persecutionis finem habente, eis ecclesiam superstruxerunt.

Ambarum preces nobis ad extremum usque halitum adsint. Amen.

Eadem die, martyrio affectus est sanctus Philippus apostolus, unus ex duodecim. Huic ea sors obtigit ut, in Africam huiusque tractus profectus, incolis Christi nomen annunciaret. Quos ad Dei cognitionem adduxit, editis inter eos insignibus miraculis, prodigiis atque portentis quibus stuperent eorum mentes. Et postquam eos *in fide* confirmavit, ad exteras regiones transiit, quas etiam ad Dei cognitionem adduxit.

p. 113. Infideles vero consilium inierunt adversus discipulum, *ut ipsum regis causa [1] apprehenderent atque occiderent, quia nulli alienigenae potestatem fecerant urbem suam ingrediendi. Itaque impetu facto in discipulum advenientem, eum alligaverunt; ipse vero praesentes irridebat, dicens: « Quare vitam aeternam a vobis repellitis neque animarum vestrarum saluti consulitis? » Irruerunt igitur in eum et magnis affectum tormentis capite inverso crucifixerunt. Qui, dum cruciaretur, spiritum in manus Domini tradidit. Sed cum vellent corpus eius comburere, hoc ex eorum manibus eripuit Deus, misso angelo Domini, qui illud ipsis cernentibus ablatum in loco quodam extra civitatem hierosolymitanam abscondit. Magnum prodigium conspicientes, voce alta atque unanimi conclamarunt universi: « Deus unus est, isque discipuli et apostoli Philippi Deus. » Tum eos poenituit eorum quae imprudenter atque inconsiderate in illum

[1] (B et C: نهم ... لانهم) نصحًا في حق الملك Dictio haud admodum perspicua, quae hunc quoque sensum forsan fundere possit: juxta praeceptum regis (ut ne potestatem facerent).

commiserant, neque desierunt Deum die noctuque rogare donec ad ipsos corpus sancti apostoli Philippi remiserit. Conversi autem omnes in Christum crediderunt, Deo miracula et prodigia magna ex corpore sancti edente.

Benedictio orationis eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis hatūr dies decimus nonus.

Hodie consecrata est ecclesia sanctorum Sergii et Bacchi (Wāḫos) in urbe er-Roṣāfah. Postquam nimirum sanctus Sergius in urbe er-Roṣāfah martyrio affectus est, eum apprehenderunt fideles quidam et sepultum apud se absconderunt. Lampades autem ac cereos coram eo accendebant. Corpus porro occultarunt donec, elapso impietatis tempore, idem manifestaverunt et super illud pulchram ecclesiam aedificaverunt, ad quam convenit ingens multitudo una cum episcopis quindecim, qui eam die huic respondente consecrarunt, corpore sancti ad ipsam allato. Ex eodem *corpore* adhuc scaturiunt sanationes et commoda *varia* iis omnibus qui illud adierint, emittitque unguentum egregium ex quo sanitatem accipiunt quicumque illud cum fide adhibent.

Intercessio huius sancti nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria sancti Bartholomaei apostoli, unius ex duodecim, itemque praedicationis ab eo in *Oasibus [1] susceptae, p. 114.
quoad incolas ad Christi Domini cognitionem adduceret. Martyrium eius die primo mensis tūt contigit. Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, ieiunium Natalis *Christi* apud omnes christianos, praeter Coptos Aegypti. Domino nostro sempiterna sit gloria.

Dixit quidam ex senioribus monachorum Aegypti Superio- p. 299.
ris: « Filius ego sum viri qui sacerdos idolorum erat, et aliquando in medio templo sedi parvulus, intuens patrem altare conscendentem et victimas idolo offerentem. Quadam die, templum furtim ingrediens, Satanam vidi sedentem omnesque ipsius satellites coram eo adstantes. Ad eum porro accessit unus ex primoribus eius, seque ei venerabundus inclinavit. Cui Satanas: « Unde venisti? » At ille: « In pago illo, *quem definite designabat*, fui, ibique pugnas concitavi, *turbas et sanguinis p. 300.

[1] Vides. notulam supra, pag. 2, appositam.

effusionem; et te conveni, ea tibi narraturus. » Tum Satanas: « Quanti temporis spatio ea praestitisti? » Respondit: « Triginta dierum. » Praecepit igitur *Satanas* ut flagellis caederetur et procul a se abriperetur, his eum increpans verbis: « Tanto tempore nihil aliud effecisti! » Dein alius accessit et ipse quoque sese Satanae venerationis exhibendae causa inclinavit. Quem ille interrogavit: « Unde venis? » Respondit: « Mare lustravi, cuius fluctibus commotis turbatisque et tempestate excitata, naves et homines plurimos submersi; et huc me contuli, ea tibi nunciaturus. » « Quanti temporis spatio, inquit, haec effecisti? » « Viginti dierum », ait. Iussit itaque *Satanas* et hunc verberibus atque contumeliis affectum e conspectu suo abstrahi, propterea quod tanti temporis spatio ista tantum effecisset. Tum Satanam adiit tertius, qui et ipse sese illi venerabundus inclinavit, atque ita interroganti: « Tu vero, undenam progrederis? » responsum dedit: « Mihi in illa urbe, *quam designabat,* versanti et occasionem nuptiarum nacto contigit rixas et pugnas nurum inter et socerum ciere; atque adsum, te de ea re certiorem facturus. » At ille: « Quanti temporis spatium rei impendisti? » « Undecim dierum », ait. Iussit *Satanas* hunc quoque torqueri, quippe quem aequo segniorem habebat. Successit alius, qui, coram Satana se prosternens et ab eodem interrogatus: « Undenam venis et tu? » ita respondit: « In deserto annos quadraginta commoratus sum, unum constanter lacessens monachum, quem hac nocte debellatum in adulterium pertraxi. » Quibus auditis, assurgens loquenti Satanas, eumque osculatus atque amplexatus, tiaram qua utebatur a suo in illius transtulit caput et eum in proprio throno consedere iussit, haec profatus: « Magnum facinus perpetrasti. » Subiunxit senior, sacerdotis filius: « Ista cum intuitus essem, intra me dixi praecelsam profecto esse monachorum conditionem; et haec fuit mihi causa salutis: desertum petivi et monasticam vitam hucusque degi, patre, fratre[1] et omnibus quae possidebam relictis, atque saluti animae meae operam dedi. »

Intercessione purissimae Virginis Mariae Dominus Deus nos e laqueis Satanae, inimici maligni, eripiat. Amen.

[1] Haud improbabile in cod., pro اخي, legendum امي, ita ut mater hic, non frater appelletur.

MENSIS HATŪR DIES VIGESIMUS. p. 114.

Hodie requievit sanctus pater Anianus, qui in serie patriarcharum Alexandriae secundus est. Erat hic ex civibus urbis Alexandriae *oriundus*, parentibus infidelibus progenitus, artemque sutoriam exercebat, calceos subula compingens et sarciens. Cum sanctus Marcus apostolus in civitatem alexandrinam ingrederetur, contigit, Deo providente, ut pedem offenderet et corrigia calceamenti eius rumperetur. Id igitur tradidit sarciendum huic sancto, qui, idem accipiens et subulam infigens atque in alteram partem protrudens, digito vulnerato, lingua graeca exclamavit: Εἷς Θεὸς, quod vertitur: Unus Deus. Quo clamore audito, sanctus Marcus Christo gratias egit quod ab illo audisset nomen Dei memoratum. Tum pulverem terrae assumptum et sputo illitum digito patris Aniani imposuit, qui, statim sanatus, rem admiratus est, sanctum Marcum in aedes suas recepit, nomenque, doctrinam et locum unde veniret interrogavit. Coepit igitur sanctus Marcus ei ex libris prophetarum exponere divinitatem Christi Domini, dispensationes eius, passionem, mortem atque resurrectionem, miracula item in nomine eius patrata. Sanctus Anianus, lumine menti admoto, credidit ipse et tota eius familia, tum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus est, et, gratia divina in eos immissa, doctrinae apostoli una cum domesticis suis firmiter adhaesit, Ecclesiaeque scientiam, leges ac praecepta didicit. A Marco apostolo, in Pentapolim profecturo, hic sanctus per manuum impositionem constitutus est patriarcha urbis Alexandriae; huius igitur civibus evangelium praedicabat, eos secreto baptizabat, credentibus auxilio erat, eosdemque in fide confirmabat. Aedes suas in ecclesiam convertit, haecque eadem est, ut fertur, quae inpraesentiarum sancti Mar Georgii martyris *ecclesia* appellatur, *nunc sita extra Alexandriae fines, ab occidentali parte. p. 115.
Sedem porro occupavit hic sanctus annos viginti duos, et in pace quievit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, consecratio ecclesiae illustris martyris Theodori,

filii Iohannis, Šaṭabiensis [1], et manifestatio mirabilium eius in ea. Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

p. 300. Scitote, fratres, die huic respondente martyrium passos esse sanctos Anbā Sophronium et Anbā Šānāẓūm. Quo tempore Arianus praefectus, regionem australem petens, ad *urbem* Luqsor (el-'Aqṣorayn) pervenit, fumum vidit e delubro ascendentem atque, huius fumi causam sciscitatus, cum audisset homines eo convenisse ut festum ibi celebrarent et idolis thus ado-
p. 301. lerent, gavisus est et dixit: « Urbs haec *in Aegypto Superiore voluptati est cordi meo. » Erat autem in *urbe* Luqsor vir cui nomen Šānāẓūm, miles et Deo a teneris ieiunio et oratione inserviens. Is audacter processit et alta voce clamavit: « Ego christianus. » Ad quem respiciens praefectus, eum sic compellavit: « Si *ceteri* omnes huiusce urbis cives sapientia praediti sunt, tu contra insanus et amens. » Respondit sanctus Anbā Šānāẓūm: « Equidem non insanus sum, sed sapiens; quod si tibi morem gererem, insanus essem. » Tum praefectus: « Accedens, thus *diis* offer. » Dixit ei sanctus: « Nunquam committam ut Satanam adorem; sed Dominum meum Iesum Christum adoro. Hic ipse est qui mihi impraesentiarum assistit, me confortans ut te pudore afficiam. » Praecepit praefectus ut sanctum, catenis collo iniectis, manibusque ac pedibus colligatis, custodiae caliginosae in crastinum mandarent.

Postridie praefectum *pro tribunali* sedentem adiit virgo cui nomen Dāladsīnā, clamavitque: « Ego christiana; » monentique ut idola veneraretur respondit clamans: « Eiusmodi rem nunquam committam. » Quare ira percitus ille iussit eam ore inverso suspendi et palmarum ramis caedi donec moreretur. Quem cruciatum totum pertulit beata Mādāladsīnā [2], Deo gratias agens, et postquam spiritum placide emisit, eam angeli in caelum detulerunt. Martyrium consummavit hora tertia diei decimae septimae mensis hatūr.

Cuius benedictio in nos omnes descendat. Amen.

Posthac praecepit praefectus ut ad se adduceretur Abbā

[1] In edit. arab., الشطني mendosum et in الشطبي corrigendum. Erat porro Šaṭab Aegypti Superioris urbs, ab australi parte Lycopolis. Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 423. — [2] Sic in cod., mutata priore nominis forma.

Šānāẓūm, cui dixit: « Victimas idolis offer. » Respondit ei sanctus: « Rem impiam absurdamque praescribenti tibi nunquam obediam. » Quae dum proferret, ecce coram praefecto adstitit miles nomine Sophronius ex exercitu *stationis* el-Hīfā, qui in vico *urbis* Luqsor Aġrārā nuncupato morabatur; isque magna voce clamavit: « Ego christianus », et cingulum solutum ante praefectum proiecit, dicens: « Equidem non iam permanebo tibi militans; nam rex meus verus est Iesus Christus, cui sit gloria! » Tunc cancellarius principi: « Iube, inquit, domine, conscribi sententiam huius magi Šānāẓūm; nam si eum dimiseris, universum populum magicis artibus decipiet, et nobis propter ipsum molestias afferent. » Et confestim, lata in utrumque damnationis sententia, iussit praefectus sanctum Šānāẓūm et Sophronium adduci ferreisque vinculis constringi, tum ore inverso ab *arbore* l e b ḫ a h [1] suspendi, tum scindi funes quibus appensi fuissent, ut capitibus pronis praecipites subito necarentur. Id in utroque fecerunt satellites quod praefectus mandaverat. Sed angelus Domini sanctum Anbā Šānāẓūm et Anbā Sophronium liberavit, ambosque statim ac nullo negotio demisit, *vinculis p. 302.
ferreis quibus adstringebantur dissolutis cerae igni admotae instar. Nec mora, beati coram praefecto incolumes atque integri adstiterunt, conclamantes: « Oculis apertis nos intuere, o Ariane. » Itaque praecepit praefectus ut equuleo imponerentur; verum de satellitibus sese ad corpora comprimenda defatigantibus nulla ipsis sanctis cura; quippe quibus praesens aderat Dei auxilium. Continuo, iubente praefecto, faces ardentes allatae sunt et eorum lateribus subiectae donec carnes disrumperentur; illi vero cruciatus non sentiebant, quia adsistebat angelus Domini, levamen afferens atque robur. *Iterum* dixit eis praefectus: « Thus simulacris offerte, ne mors crudelis vobis oppetenda sit. » Cui beati magna constantia: « Vita tua eos qui tibi obediunt et praecepta sequuntur ad infernum deducit; mors autem pro nomine Christi tolerata, vita aeterna est. Ipse hic est Christus cuius virtute tua tormenta dissolvuntur. » Deinde praecepit praefectus ut afferretur oleum fervens et eorum gutturibus infunderetur. Quem sancti tum una voce sic compellarunt: « Ne existimes oleum fervidum gutturibus nostris

[1] De hoc nomine, cf., supra, notulam pag. 21.

infusum nobis ullo modo nocuisse; verum quemadmodum aliquis, aestum et ventum urentem perpessus, si inventam aquam frigidam biberit, inde refocillatur ac saturatur, ita oleum illud levamen atque voluptatem animabus nostris et totis corporibus attulit. Itaque noli opinari, praefecte, tormenta tua alicuius esse momenti. Nobis sane nec timorem, nec metum pavoremve qualemcumque incutiunt, cum iampridem nos ita admonuerint sacrae Domini nostri Iesu Christi scripturae [1]: Ne timeatis eos qui corpus occidunt; eum potius timete qui potest et animas vestras et corpora in ignem inferni deiicere. Qui tres pueros electos Ananiam, Azariam et Misaelem e fornace ignis ardentis, misso angelo suo eripuit, minasque regis Nabuchodonosor (Boḫtnaṣr) inanes ac ridendas effecit, ille idem nobis hodie adstitit, opem tulit et nos e manibus illius impii homicidae salvos praestitit. » Respondit eis praefectus: « Vobis non proderit ista loquacitas; sed accedite, sacrificate et hinc abite. » Tum vero sancti uno ore: « Nobis, inquiunt, non licet idolis impuris sacrificare, quia Dominus noster in sancto suo Evangelio ita monet [2]: Nisi quis divitias huius mundi relinquat, crucem suam portet et sequatur me, non est me dignus. Et dixit etiam Salvator [3]: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. » Tunc ira exardescens praefectus iussit illos in delubrum excelsum adduci et inde inverso ore praecipites deiici ut necarentur. Id fecerunt milites quod a praefecto praescriptum; sed sancti ita habiti nihil nocumenti acceperunt,
p. 303. prout scriptum est [4]: *« Angelis meis mandabo te, ut te manibus suis custodiant deferantque, ne ad lapidem pedem offendas. » De sanctis autem illis electis praecepit *tandem* praefectus ut in eos animadverteretur et eorum capita acie gladii abscinderentur. Qui sic laborem suum, certamen forte et gloriosum martyrium insigni constantia absolverunt, die mensis hatūr vigesima; eorumque animabus ad caelum magno cum honore delatis, coronis caelestibus et vestibus splendidis donati sunt.

Cunctorum oratione Dominus nostri misereatur. Amen.

[1] MATTH., X, 28. — [2] MATTH., X, 38. — [3] MATTH., X, 37. — [4] *Ps.* XCI, 11-12.

MENSIS HATŪR DIES VIGESIMUS PRIMUS. p. 115.

Hodie requievit sanctus pater spiritalis Anbā Iohannes lycopolitanus (siuṭensis), faber lignarius, vir sanctitate perfectus. [1] Cuius oratio et benedictiones nobis adsint nosque ad salutem perducant. Amen.

Hodie requievit sanctus Gregorius [2]. Is, ex Graecorum (er-Rūm) finibus *oriundus*, a pueritia sapientiam et philosophiam profanam ita didicerat ut plurimos aequalium antecelleret. Dein sapientiae sacrae operam navavit et christianus in veritate factus est. Postea, mundum hunc transiturum esse et regnum caeleste mansurum meditatus, omnem sollicitudinem animae suae saluti impendit, et cum illius urbis episcopus ab eo peteret ut sibi in munere episcopali auxiliaretur, abnuit, quia a gloria humana refugiebat. Tum, ad desertum aufugiens, coepit multa religionis officia exercere. Mortuo autem civitatis episcopo, conquisitus est qui in huius locum sufficeretur, nec inventus. Dum igitur cum plebe congregata adest et sanctus Gregorius Theologus, ad eos venit vox, dicens eis: « Quaerite Gregorium eremitam, eumque vobis praeficite. » Quem cum perquisivissent nec, dierum multorum labore totum desertum ac montes circumvicinos prescrutando, eum reperissent, communi consilio librum Evangelii acceperunt; illumque, *licet absentem*, sibi praesulis loco [3] consecrarunt, Gregorii nomine eidem imposito; ipsius autem consecrator fuit Gregorius Theologus. Apparuit porro angelus Domini sancto Gregorio *Thaumaturgo*, dicens ei: « Surge et vade; te enim episcopum sibi constituerunt ac consecrarunt. Rem noli detrectare, quae a Deo est. » Itaque cum Domino praecipienti obsistere non posset, e monte descendens, ad eos se contulit. Qui advenienti obviam egressi, eum magno cum honore introduxerunt et consecrationem eius compleverunt.

[1] De eodem sancto relationem multo longiorem videsis infra, pag. 143. — [2] G add.: thaumaturgus. — [3] Ad litt.: supra se. – Quod vero attinet ad totam pericopen, non ita perspicuam, et insolitam certe caerimoniam de qua agitur, notatum velimus, sensum eum a nobis expressum quem probabilissimum habemus ac vix non omnino certum, utpote tum huius loci contextui, tum praesertim narrationi parallelae infra, pag. 141, prostanti multo melius congruentem.

p. 116. Dein vero per manus ipsius Deus miracula et prodigia *innumera edidit. Quamobrem Thaumaturgus appellatus est. Inter illa prodigia hoc recensetur: duobus fratribus fuisse aquae lacum, ex quo ingentem piscium proventum haurirent; quadam autem die incidisse inter eos iurgium, ita ut diceret uterque: Mea est piscina; et cum ad concordiam adduci non potuissent, ab eis conventum esse episcopum, qui litem de piscina dirimeret; hunc proin sententiam tulisse ut res inter ambos divideretur; fratres tamen non paruisse, sed utrumque dixisse: Equidem illam mihi tollam; tunc, patre episcopo Dominum deprecante, piscinam in terram descendisse et fuisse absorptam, in locum vero aquae terram aridam ad hanc usque aetatem successisse. — Fama eius (*Gregorii*) miraculis et prodigiis quae patrabat per universum orbem percrebuit; et, cursu consummato, quiete donatus, ex hoc mundo fluxo ad perpetuam migravit felicitatem.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die requievit et pater Anbā Cosmas (Qosmā), Alexandriae patriarcha. Perpessus est hic sanctus aerumnas multas, ac fideles ipsius aetate plurimis calamitatibus oppressi sunt. Temporibus eius *varia* edita sunt prodigia, inter quae haec quae subsequuntur. Statuae Divae Virginis *Mariae*, qua ecclesiam sancti Severi in deserto sitam adornarant, ita scissum est corpus ut sanguis efflueret; item ex oculis plerarumque imaginum quae in regionibus aegyptiacis erant manarunt lacrimae. Quarum rerum causam intellexerunt viri docti ac sapientes ex calamitatibus molestiisque quas tum patriarcha tum omnes fideles experti erant repetendam. Postea, cum, Domino providente, in locum temporum infaustorum meliora successissent, fuit *Cosmas* assiduus in fidelibus erudiendis, confirmandis, consolandisque. Sedem sancti Marci septem annos et anni partem potitus, in pace quievit.

Ipsius preces nos custodiant. Amen.

Eadem quoque die, memoria martyrum Alphaei (Ḥalfā), Zachaei, Romani et Iohannis; item memoria sanctorum Thomae, Victoris et Isaaci, ex el-'Ašmūnayn. Benedictio orationum illorum omnium nobis adsit, nosque in perpetuum custodiat. Amen.

p. 303. Scitote, fratres, die huic respondente ad requiem admissum

esse sanctum Gregorium Thaumaturgum. Qui, natione Graecus (e genere er-Rūm), a teneris sapientiam atque philosophiam graecam ita didicerat ut plurimos ex sapientibus inter aequales antecelleret; dein et sapientiam religiosam didicit, factusque vere christianus, cum persuasum haberet fluxum esse hunc mundum et stabile regnum caelorum, omnem posuit operam et curam in salute animae suae. Exoptabat autem episcopus civitatis illius se in dioecesi sua ab eo adiuvari, qui sapiens erat, probus, doctus, scientia atque intelligentia spectabilis. At ille abnuit, utpote a gloria humana abhorrens; et, in desertum Aegypti Superioris aufugiens, vitam iniit insignibus religionis officiis deditam. Eum, mortuo Caesareae episcopo, requisierunt, ut episcopum constituerent, neque invenerunt. Populo, cui assistebat Gregorius Theologus, operam huic negotio navante, ab eis audita est vox, quae dicebat: « Gregorium ascetam requirite et vobis praeficite episcopum, quo facto vobis egregie consuletis [1], siquidem ille diligens est. » Itaque investigatione instituta illum non invenientes, statuerunt triduum *ulteriori* investigationi impendere, et desertum ac montes circumlustrarunt; cumque illum non reperissent, eundem, *licet absentem*, assumpto Evangelio, sibi antistitem consecrarunt, nomen ei imponentes *Gregorium, ad instar* Gregorii Theologi; illeque ipse fuit quem consecrarunt [2]. Porro angelus Domini apparuit sancto Gregorio *Thaumaturgo*, cui et dixit: « Surgens, proficiscere, quia te sibi episcopum praeposuerunt ac consecrarunt, neque illud munus iam detrectes, sciens id a Deo esse. » Cum igitur, re angeli verbis certo manifestata, cunctari non liceret, Dei voluntati non restitit; sed ad eos e monte properans descendit. Qui obviam ei egredientes, *illum ingenti gaudio p. 304. exceperunt et solemniter atque honorifice introduxerunt; sed fieri non potuit ut denuo consecraretur, priore consecratione ipsi imputata. Eius opera Deus miracula et prodigia multa pa-

[1] Fieri etiam potest ut incisum hoc non ipsius angeli verba referat, sed exprimat interiectam in modum parenthesis sententiam narratoris, pronunciantis prudens fuisse atque utile praeceptum ab angelo allatum. — [2] Videsis narrationem parallelam supra, p. 139, quacum hanc conferendo, aliqualem verborum diversitatem et sensum proinde haud unius enunciationis hinc illincque paulo alium facili negotio notabis.

travit; propter quae Gregorius Thaumaturgus est appellatus. Ex illorum numero hoc fuit.

Stagnum erat amplissimum, quod duo fratres possidebant et quo alebatur atque iis suppeditabatur ingens piscium proventus. Quadam die, dissidium inter fratres ortum est, utroque sibi stagnum, altero excluso, ut rem suam vindicante; et cum ad consensionem non pervenirent, episcopum adierunt, litem ipsis diremptururn. Qui pronunciavit stagnum inter ambos partiendum. Sed non acquieverunt illi, et uterque totum stagnum sibi, excluso fratre, attribuendum contendebat. Tunc, episcopo preces ad Dominum illius negotii causa fundente, stagnum terra absorptum, nec quidquam aquae in loco reliquum fuit, successitque via salsugine referta et nulli usui profutura, quae ad hanc usque diem permanet. Fama illius _episcopi_ late sparsa est et propter prodigiorum ac miraculorum multitudinem per omnes orbis regiones percrebuit.

Item presbyter fuit in civitate, qui, feminam filiae Herodiadis ornamentis, vestibus totoque amictu nitentem intuitus, illius aspectu ita turbatus est ut et noctes duceret insomnes et nulla interdiu quiete frueretur. Itaque episcopo, dum staret orationi vacans, apparuit angelus Domini, a dextris altaris consistens, et dixit: « Gregori, presbyterum qui te crastina die conveniet [1] admone atque deterre ut ne deinceps ad altare ascendat, ne a Deo interimatur, quia mulierem diaboli vestitu circumamictam in ecclesia aspexit. Ei praescribe ne ministerio _sacro_ dehinc fungatur eive vacare velit; hoc ipsi melius. Tu vero noli plebem negligere, ne rationem de iis a te exposcat Dominus, eosque hortare ut sibi caveant. » Qui, vehementer commotus [2], coepit flere et lacrymas fundere. Postero mane, hora orationis, venit presbyter ille et, accepta benedictione ab episcopo, ad altare accedere voluit. Dixit ergo ei episcopus: « Fili, non decet te, immundus cum sis, ad altare ascendere. » Respondit presbyter: « Equidem mundus sum et te melior. » Cui episcopus: « Fili, tua tibi imputabitur culpa; mihi autem

[1] بحيك, quod in edit. arab. expressum, merum typothetae mendum est. Cod. perspicua lectio: يحيك. — [2] In cod., non فشهي, quod habet edit. arab., sed ي س legitur. Cuius tamen voculae quisnam sit hoc loco sensus nemo, ut puto, certo definierit; eam equidem coniectans interpretor.

officium incumbit te admonendi, quia aliquis rem mihi secreto revelavit. » Cum ille nihilominus ob hominum respectum albam induere praesumpsisset, clamorem continuo edidit, dicens: « Pater, preces ad Dominum mei causa dirige, quia ignis in corpore meo exarsit; pater, ego homo peccator sum, viro enim qui me apud te accusavit flagellum est, quo me verberat. » Et episcopus quidem Dominum pro illo deprecatus est, atque eum angelus propter episcopi orationem e manibus dimisit. Mulier vero, iis quae acciderant auditis, *caesariem praecidit et, vestibus _pretiosis_ depositis, in monacharum coenobium ingressa est. p. 305. Ad episcopum quod attinet, dioecesis suae plebi dixit: « Cavete, filii, ne sinatis mulieres vestras, dum ad ecclesiam veniunt, probro esse Dei creaturis, vestitum gentium exterarum atque ornatum induendo; alioqui et mihi et vobis succenseret Dominus et in infernum detruderemini. O sacerdotes, eos reprehendite qui animarum suarum salutem negligunt, ne ratio de iis a vobis in die magna atque tremenda exigatur. » Postquam vitam ac regendi munus pulchre complevit, ad requiem vocatus, ex hoc mundo fluxo atque caduco migravit.

Ipsius precibus Deus nostri misereatur. Amen.

Eadem die requievit sanctus atque inclitus pater Iohannes in monte Lycopolis ('Asyūṭ). Inde oriundus et parentibus christianis progenitus, vitam egregiam ac pretiosam ambiens, Scete (Šīhāt) petiit, ibique monachus factus, plurima pietatis opera exercuit. Ipsi autem apparuit angelus Domini, qui praecepit ut, ad urbem suam rediens, in _huius_ monte habitaret. Itaque illuc reversus, complures dies mansit montem contra civitatem incolens; dein, ad interiorem montis partem se transtulit, ac monachi coenobii el-Ḥanādah, ad eum ascendentes, magnam ei arcem recte introrsum adornatam aedificaverunt, ubi commoratus est. Illum singulis hebdomadis invisebant, grana afferentes madefacta, quibus vescebatur, neque panem unquam comedebat. Pater noster Abū Šenūdah, eius avunculus Anbā Bağūl et cognatus sanctus Abū Abšāy ad eundem visitandum venerunt. Pater autem Abū Šenūdah ad eum crebro ventitabat, et quoties ad eum invisendum pergebat, iter faciebat per ecclesias sanctorum et martyrum; hosque Dominus et rex magnus Iesus Christus in spiritu mittebat, atque eum confortabant et laeti conveniebant, ut illum ad altum _perfectionis_ gradum promove-

rent. Porro cogitavit sanctus Abū Šenūdah de monte alia via adeundo; verum ei adfuerunt martyres, dicentes: « Cui tu militas, Iesus Christus, verus Deus, misericordia et clementia dives, ille ipse nos ad te misit; proinde quocumque te verteris et quamcumque inieris viam, illuc et nos illo iubente te sequemur ac comitabimur. »

Monachi el-Hanādah, fama patris nostri Abū Šenūdah ad se delata, et comperto illum ad sanctum Abū Iohannem ventitare, montem conscenderunt atque eum rogaverunt ut, secum in monasterium descendens, eorum coetui benediceret. Quibuscum profectus, apud eos missae sacrificium obtulit, sacram communionem distribuit et concionem habuit. Ea re audita, primores urbis Lycopolis, post magni sancti Abū Šenūdah discessum, ad monasterium convenientes, ei in hoc monasterio ecclesiam aedificaverunt, monumentum adventus illius in fines suos. Quae ad hanc usque aetatem permanet, iuxta ecclesiam eorundem nomini Michaelis archangeli dicatam.

Porro primo anni die convenerunt urbis cives universi in duas factiones *oppositas* et, ingressa multitudine factionis
p. 306. *unius in balneum, venerunt factionis alterius asseclae et, ianuis obseratis, ignem ita in hypocausto accenderunt ut perirent quotquot balneo claudebantur. Neque hoc tantum commiserunt; verum etiam stadia atque aedificia decertantibus cursu, pugilatu, vel alio colluctationis modo [1], et iis qui somno meridiano indulgent [2], itemque diversoria filiis peccati *scortis* adornarunt. Theodosius autem, imperator urbis praecelsae Constantinopolis, ubi de illis rumor ad ipsum pervenit, principem magnum ingenti exercitu stipatum misit, ei mandans ut ad civitatem Lycopolim se conferret, hanc dirueret et cum universis eam incolentibus igne absumeret. Quod cum rescivissent urbis incolae, gravi oppressi moerore, ad sanctum ascenderunt et certiorem eum fecerunt omnium rerum molestarum atque pertur-

[1] Forma arab. بقات, de qua silent lexicographi, derivatam coniecto a rad. بقت, et eo modo quo supra verti posse, transitu haud omnino improbabili a notione « miscendi ac subigendi massam » ad notionem « manus conserendi colluctantium in modum. » — [2] Nisi forte, pro للمقايلين, quae est indubia codicis lectio, legendum sit للمقاتلين, « pugnantibus, concertantibus. »

bantium quas fama acceperant. Illos consolatus, dixit eis: « Non peribit capillus unus de capite alicuius vestrum. At vero parati estote ut, principe adveniente, in occursum eius cum evangeliis, crucibus, thuribulis, ramis palmarum et olivarum, egrediamini, eique fausta acclametis, donec ad urbis confinia deductum hortemini ut ad me ascendat, mecum collocuturus ante suum in urbem ingressum. » Qui iussis paruerunt.

Ille autem princeps, postquam Antinoen (Anṣinā) attigit, praefectum Antinoes sibi adscivit socium, et ambo ingentes collegerunt copias ad civitatem *Lycopolim* evertendam. Ast advenienti *cives* occurrerunt gestientes, cantantes psallentesque, et, mentione iniecta sancti patris nostri Abū Iohannis, eius desiderium significarunt colloquii cum principe ante huius in urbem ingressum faciendi. Qui, audito nomine sancti, magnopere gavisus est, quia in fide orthodoxa firmus erat et timoris Dei toto vitae tempore plenus. Ipsi insuper erat filius unicus, a daemone possessus et ita vexatus atque agitatus, ut quemcumque sibi occurrentem verberaret ac vasa quae in promptu essent frangeret; unde vinculis ferreis perpetuo adstrictus detinebatur. Parens autem, ubi cognoverat se in regiones aegyptiacas mitti, magna inde concepta laetitia, filium ferreis catenis vinctum secum assumpserat. Et postquam ad montem pervenit atque ad sanctum et inclitum Abū Iohannem, et, arce sibi patefacta, ad ianuam cellulae obseratae accessit, eum sanctus, per fenestellam per quam homines alloqui consueverat compellans, salutavit et benedictione donavit, dicens: « Dominus Deus sanitatem filio tuo largietur et tristitiam tuam in gaudium convertet. » Rem valde admiratus ille extemplo iussit filium suum adduci; quem adduxerunt vinculis ferreis constrictum. Tum vasculo accepit sanctus paululum aquae, cui aliquantulum olei altaris sancti immiscuit, adulescentemque unxit oleo *et aqua illa aspersit. Dein, diabolo clamante: « Me p. 30
aduris, Abū Iohannes; te per Deum magnum obtestor ne me in gehennam demittas », quiddam fumo simile e daemoniaco exiit, factusque est puer sui compos perinde ac si nihil mali expertus fuisset; et sanitate adulescentulo reddita princeps atque omnes qui cum illo erant gavisi sunt. Pater vero sanctum hortatus est ut aliquid a se peteret. Cui eximius *ille* sanctus: « Omnes quidem Christi misericordia indigemus. Sed Deus ac

Salvator noster in sacro suo Evangelio dixit [1]: Dimittite et dimittetur vobis. Ego igitur a te peto ut huius civitatis incolis te clementem exhibeas. » Respondit ille: « Pater, novit Sanctitas tua me legati munere fungi; quare te rogo ut mihi indices quid consilii amplectar. » Tum sanctus: « Tibi auctor sum ut epistulam ad imperatorem conscribas, certiorem eum faciens, me pro incolis huius urbis intercedere. » Confestim, praeceptum sancti exsecutus, scripsit *princeps* epistulam ad Theodosium imperatorem, quem certiorem faciebat, sese incolumen in Aegypti fines pervenisse et convenisse sanctum Abū Iohannem, qui filium sanaverit et pro urbis civibus intercedat; et *haec quidem ille* absque mora praestitit [2]. Erat porro hora diei nona. Epistulam sigillo suo obsignavit, praefecto Antinoes obsignandam tradidit, eamque pariter obsignavit praefectus Lycopolis. Quam, a se obsignatam, sancto commiserunt. Et dixit ei sanctus [3]: « Ad urbem te conferens, cum exercitu tuo in crastinum quiesce, et *tunc* ad me Christi virtute reverteris. »

Ipsi autem patri nostro *Iohanni*, dum extensis manibus oraret, quarta noctis hora, praesto fuit nubes lucida, quae eundem e cella in qua erat ad imperatoris conclave, in urbem maximam Constantinopolim, transvexit. Et ille quidem imperator, cum sederet, assidentibus ei cum imperatrice primoribus multis ex familiaribus eius, epistula de improviso e camera demissa, oculos sustulit et nebulam vidit fulgentem. Postquam subinde epistulam apprehendit, ac, sigillis quae impressa ei fuerant inspectis atque agnitis, iussit eam ab uno ex domesticis suis recitari, quae acciderant valde miratus est. Tum praecepit ut principi rescriberetur, parcendum esse civitati et a quovis malo ei inferendo abstinendum, sancti Abū Iohannis honorandi causa, eo quod propter huius orationem et eximiam sanctitatem Deus creaturis suis propitius esset; aedificia tamen in quibus ludi instituti fuerant et ad quae conveniebatur continuo destruenda; *tandem* memoriam imperatoris et imperatricis in oratione sancti habendam. Scripsit porro epistulam media nocte e conclavi regio, et, eadem obsignata,

[1] Marc., xi, 25. — [2] Aptius fortasse, habita ratione vis verbi روّح, verti posset:... et illico abiit. Sed de quonam istud enunciabitur? et quo, in hoc contextu, pertinebit enunciatio? — [3] Ad litt.: Et dixit ei adulescens (?).

caput attollens, his oravit verbis: « Deus excelse, mi rex Iesu Christe, dignum me redde qui epistulae huius latorem videam. » Dein eam in altum proiecit, ad nebulam quam aspiciebat versus; et sanctus, brachio extra nubem protenso, epistulam accepit, permansitque manus eius aliquantisper extensa *dum regi p. 308.
benediceret. Nubes vero statim discedens sanctum in ipsius cellam circa auroram antequam dies illucesceret detulit. Postridie, princeps, praefectus Antinoes et praefectus Lycopolis ascendentes sanctum convenerunt ac consalutarunt, iisque epistulam tradidit; qua perlecta, magno affecti gaudio, summum Numen exaltaverunt, Deum Israelis laudibus extulerunt, atque, ad urbem continuo descendentes, theatra destruxerunt, quemadmodum praeceperat imperator; et incolumis remansit urbs cum civibus suis. *Posthac* princeps, sanatione filii sui laetissimus, ad imperatorem reversus est, eique omnia miracula enarravit quae viderat a sancto patre nostro Abū Iohanne patrata.

Vir fuit calcarius [1], qui montem, lapidum excidendorum causa, quotidie conscendens et per sancti domicilium iter faciens, ei dicebat: « Pater, ego, pauper et egenus, tuam Sanctitatem precor ut pro me Christum Dominum ores, qui mihi forsan aliquid ad vitam sustentandam largietur; nam miser sum, in angustiis, certamine ac labore constitutus, et quibusvis destitutus facultatibus. » Tunc pater noster, vir inclitus et sanctus, Mār Iohannes, preces Christo pro illo calcario obtulit, ut ei aliquid suppeditaretur, quia ille, singulis diebus illac transiens, ipsum matutino tempore salutabat et dicere consueverat: « Pater, noli mei oblivisci. » Sancto igitur pro eo multum orare solito, quadam die lapides excidenti patefactus est locus in quo novem vasa [2] nummorum plena. Quibus nummis acceptis, satis ei non

[1] I. e., calcis coctor. Illud enim arabicum جيّار, perraro occurrens, non a verbo جار (iniustus fuit), ut quidam confinxerunt, sed a nomine vulgari جير, quod calcem designat, derivatum cum Dozy censemus; eo vel magis quod e radice جَارَ (pro جَوَرَ), non جيّار, sed جوّار, iuxta omnes analogiae grammaticae regulas, prodiret. — [2] Nominis adiectivi سماويات, quo primitus caeleste quid designatur, ea interpretatio, nullo quanquam exemplo prostante, nullo etiam lexicographo praeeunte, in hoc loco contextu suaderi, imo et exigi videtur.

fuit Lycopolis fines aliosve *privatus* incolere, sed, Constantinopolim profectus, praefecturam obtinuit civitatis Lycopolis et regionum circumiacentium; tum ad hanc urbem regressus, cives gravissime oppressit, ita ut omnes ab eo ad angustias redigerentur non secus ac qui luctantur extremum trahentes spiritum. Quare, ad sanctum ascendentes, eum de iis quae fiebant certiorem fecerunt et dixerunt ei: « A quo tempore iste huic urbi praeest, neminem in ea relinquit, sed eam vastat ac diruit. » Quibus magnus *ille* sanctus respondit: « Nolite moerore confici; sollicitudinem vestram proiicite in regem excelsum Iesum Christum, et ipse vos enutriet. O filii, benignos vos exhibete pauperibus, viduis, orphanis et miseris, quia commoratio nostra in hoc mundo umbrae transeunti similis. Ne congeratis vobis thesauros in terra, ubi aerugo et vermes. O filii, vos admoneo, eum qui fratri propter quisquilias huius mundi vani iratus fuerit ignem gehennae sibi mereri. » Porro ex eis qui ad sanctum principis causa ascenderant, nonnulli erant inter quos exarserat iniusta simultas et magna contentio propter huius mundi fallacis ac fluxi vanitates. Qui, postquam audierunt perspicuas illas exhortationes, ingenti perfusi gaudio, malitia ex cordibus eorum evanescente, pacem inierunt et concordiam mutuam. Paulo post venit princeps quidam magnus, ab imperatore *mis-*
p. 309. *sus,* *in cuius occursum urbis cives magnopere gaudentes properaverunt. Qui confestim iniustum illum oppressorem, *de quo supra,* apprehendit ligavitque et custodibus stipatum *ad imperatorem* transmisit. Eum imperator carceri mandavit; sed, cum vellet illum strangulare, aliis intercedentibus dimisit. Rediit is in urbem suam, artem eandem et idem vitae genus exercens quae prius exercuerat, apud sanctum transiens atque eum salutans. Quam ob causam magnopere laetatus pater noster *Iohannes,* siquidem timuerat ne quid illi accideret, cuius rationem a se expeteret Deus; dixitque *idem* pater noster: « Gloria Domino nostro Iesu Christo, qui regnum suum prout vult moderatur! »

Patravit hic pater prodigia multa atque miranda, variis morbis affectos sanitate donans ac daemones eiiciens. Dein requievit et ad Dominum quem amaverat migravit.

Ipsius precibus Dominus Deus nos ex hoc tempore incolumes educat. Amen.

*MENSIS HATŪR DIES VIGESIMUS SECUNDUS. p. 117.

Hodie martyrio affecti sunt sancti martyres Cosmas (Qozmān) et Damianus (Damyān), una cum fratribus suis Anthimo (Antīmūs), Leontio (Lāndyūs), Euprepius (Abrābyūs) et matre Theodota (Tāwodūdā). Erant hi ex incolis Dayrmae in Arabiae [1] finibus, ex arce quae nomini Filii Dei aedificata fuerat. Ipsorum mater, timens Deum, peregrinorum amans atque misericors, quae vidua cum illis remanserat, eos educavit et timorem Dei docuit. Porro Cosmas et Damianus artem medicinae didicerunt, curabantque omnes, imprimis pauperes et egenos, neque mercede imposita neque dono accepto; tres autem illorum fratres desertum petierunt et vitam monasticam professi sunt. Cum igitur Diocletianus, propter filium regis Persarum, quem patriarchae commiserat, apostata factus, idololatriam amplexus esset, idola iussit a toto orbe coli. Certiorem vero eum fecerunt, a Cosma et Damiano Christum in universa urbe praedicari et idolorum cultum everti. Quare arcessitos tradidit Lasio, urbis praefecto, qui eos variis tormentis, igne et flagellis, cruciavit, tum de ipsorum fratribus interrogavit. Quorum loco cognito, misit qui eos una cum matre adducerent, iussitque quinque *fratres* prelo comprimi, dein in fornace ignis tres dies tresque noctes detineri, inde in thermarum hypocaustum proiici, denique in lectulis ferreis comburi [2]. Porro in his omnibus eos Dominus vivos illaesosque servavit. Illos cum desiit cruciare praefectus, regi tradidit, qui eosdem et ipse cruciavit. Mater autem eos solabatur et confortabat; tum regem praesentem probris lacessivit, immundisque idolis eius maledixit. Cuius iussu, capite truncata, coronam martyrii consecuta est; iacuitque corpus derelictum, nemine audente illud sepelire. Clamabat vero sanctus Cosmas: « O cives huius urbis, nonne ex vobis aliquis erit qui, misericordia motus, corpus istius viduae vetulae abscondat atque sepeliat? » Tunc prodiens Victor (Biqṭor), Romani filius, corpus illius cepit et sepultum terrae mandavit. Quod postquam rescivit rex, iussit eum in Aegypti fines expelli, ubi martyrium subiit.

[1] Non ea regio intelligenda videtur quae hac appellatione vulgo venit, Arabum patria. Huius quippe nomen, in lingua arabica, littera initiali 'a i n, non littera e l i f, ut vocabulum nobis prostans, scriberetur. — [2] C: lectulis ferreis imponi.

Postridie autem praecepit *idem rex* ut sancti capite plecterentur. Qui coronam vitae in regno caelorum obtinuerunt. Iis p. 118. finita persecutione *ecclesiae aedificatae sunt, et miracula Dominus atque prodigia per illos edidit.

Omnium intercessio nobis adsit, nosque ad extremum usque halitum custodiat. Amen.

Mensis Hatūr dies vigesimus tertius.

Hodie requievit sanctus Cornelius. Qui, cum centurionis munere in Caesarea Palaestinae fungeretur, astrorum cultui addictus erat. Audita autem discipulorum praedicatione, conspectis etiam miraculis quae per eorum manus Dominus patrabat, et eiusmodi quidem ut iis edendis vis humana impar esset, neque imo dii paganorum, quibus serviebat, quidquam ex iisdem efficere possent, mente obstupefacta, dubius haesit de numinibus quae venerabatur. Relicta itaque idololatria, coepit ieiunio et orationi die noctuque vacare. Dicebat porro in oratione sua: « O Deus, prima iam initia feci cognitionis tuae [1]; sed dirige me tu et perduc ad te cognoscendum; » perseverabatque in misericordia et eleemosyna. Eius igitur misertus Deus orationem et eleemosynam suscepit, missoque ad eum angelo nunciavit acceptas illas sibi fuisse et ad se ascendisse, ac praecepit ut aliquem in urbem Ioppen (Iāfā) ablegaret atque e domo Simonis coriarii, in littore maris sita, Simonem apostolum arcesseret, qui ipsum doceret quaecumque amplectenda forent. Ille vero misso nuncio Petrum accivit; cumque ad se ascendisset apostolus Petrus, ad huius pedes venerabundus procidit Cornelius. Quem erigens Petrus dixit ei [2]: « Surge; homo ego sum tibi similis. » Introductus autem ab eo in domum eius, apud eundem magnam reperit gentilium multitudinem. Quibus exposuit apostolus, sese legis *mosaicae* prohibitione impeditum fuisse ne incircumcisis commisceretur; « Verum Deus, inquit, mihi in visione revelavit meque edocuit, nullum deinceps hominem impurum mihi immundumve dicendum; et hanc ob causam ad vos veni, a te, *Corneli*, vocatus.

[1] B, C et G: dubius haereo in iis quae ad cognitionem tuam attinent. — [2] *Act. Apost.*, x, 26.

Quid igitur vultis? [1] » Cui sanctus Cornelius respondit [2]: « Dum quartum iam diem hora nona orarem, ecce coram me adstitit vir veste alba atque formosa indutus, ac praecepit ut, aliquem mittens, te arcesserem. Venisti ergo, et ecce omnes nos adsumus ad audiendum quaecumque nobis ex Dei persona praescripseris. » Quare aperiens os suum Petrus apostolus Christum ei evangelizavit, eumque edocuit mysterium regiminis eius, crucifixionis, resurrectionis et ascensionis, atque miracula in nomine eius patrata. Et credidit sanctus Cornelius, cum domesticis suis et omnibus famulis ac plerisque eorum qui ad stipendia cum ipso merenda conscripti erant; baptizatique sunt *universi* in nomine *Patris, et Filii et Spiritus sancti, atque p. 119. in eos confestim Spiritus sanctus delapsus est, prout in libro Actuum Apostolorum narratur. Dein, cum a se abdicasset *Cornelius* praefecturam militum huius mundi, ei commisit apostolus militum Christi regimen, ipsum constituens urbis el-Askisyah [3] episcopum. Ad hanc igitur profectus, in ea Christum praedicavit, civibus idololatriae errorem manifestum fecit, mentes cognitione Dei sancti illuminavit, corda in fide roboravit atque confirmavit miraculis et prodigiis quae ipsis intuentibus patravit; tum, Demetrio praefecto primum baptizato, baptizavit et universos urbis incolas. Postea in pace quievit, coronam Apostolorum, Evangelii praeconum, consecutus.

Ipsius preces nobis adsint, nosque custodiant. Amen.

Mensis Hatūr dies vigesimus quartus.

Hodie commemoratio viginti quattuor presbyterorum qui circa thronum Dei sedent. De spiritalibus istis et incorporeis sacerdotibus veritatis constat, eos altius quam omnes sanctos et spirituum ordines evehi, quia, Deo proximi, pro genere humano intercedunt, Dominoque orationes sanctorum velut incensum offerunt in thuribulis quae manibus gestant, neque ullum nisi per eos Deo exhibetur opus bonum vel eleemosyna, testante sancto Iohanne evangelista et Apocalypsis auctore [4]: « Equidem vidi sedem, et seniores viginti quattuor circa eam, viginti quattuor sedilibus insidentes, quorum capitibus coronae impositae.

[1] *Act. Apost.*, x, 28-29. — [2] *Act. Apost.*, x, 30-33. — [3] B: el-'Askînah; G: el-'Askabsyah. — [4] B, C, G: evangelista, in *Apocalypsi*.

Manibus autem thuribula tenebant in quibus thuris odoramentum, et illa sunt orationes sanctorum in terris *degentium*, quas Omnipotenti offerunt. Et audivi viginti quattuor animalia collaudantia et dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth: pleni sunt caeli et terra sancta gloria tua. Tunc, tiaris depositis, viginti quattuor presbyteri sese in facies suas prosternebant dicebantque: Dignus es tu gloria, honore ac laude. Quod si a Deo emitteretur iudicium quodvis, se denuo coram Deo in facies suas prosternebant, dicentes: Tibi gloria atque potestas; iudicia tua iudicia iusta, Deus noster [1]. » Porro Ecclesiae doctores, ob ea quae in sacris Litteris legebant et ex Apostolorum gestis legibusque didicerant, festum hoc in memoriam praedictorum, presbyterorum nempe viginti quattuor, instituerunt.

Horum intercessio nobis omnibus in aeternum adsit. Amen.

p. 120. Mensis Hatūr dies vigesimus quintus.

Hodie martyrio affectus est sanctus Mercurius. Erat hic ex urbis Romae civibus. Cuius avus et pater artem feras venandi exercebant. Istis quadam die pro more egressis occurrerunt duo viri ex illo hominum genere qui facies caninas prae se ferunt. avoque devorato, volebant et patrem devorare. Verum eos prohibuit angelus Domini, dicens: « Ne tetigeritis eum, quia ex eo fructus pretiosus egredietur. » Tum, saepe ignea eosdem circumdante, cum in ancipiti atque angustiis versarentur, patrem sancti adeuntes, se coram eo venerabundi prostraverunt, et, indole nova mansuetaque a Deo accepta, agnis similes effecti, civitatem cum illo ingressi sunt. Posthac donatus est *pater* hoc sancto, quem Philopatorem vocavit, hoc est, parentis sui amicum. Viri autem faciebus caninis praediti, christianismum amplexi, ibi tamdiu sunt commorati quoad Philopatorem adultum et militiae addictum in bello comitati sunt. Ubi, quoties contingeret ipsorum auxilio eum indigere, priorem illis Deus indolem restituebat, neque ullus erat qui iis resistere posset. Sancto vero contulit Deus robur ac fortitudinem, eumque incolae regni Mercurium appellarunt. Porro ea aetate romanus imperator erat Decius, idolorum cultor, contra quem barbarorum quidam bellum movit. Exercitu igitur comparato, in occursum hostium egressus est. Quos cum vidisset arenae maris numero aequales, timore ac tremore perculsus est. At vero sanctus ei dixit: « Noli timere; Deus enim hostes nostros disperdet, eosdemque in manus nostras tradidit. » Et postquam ab imperatore recessit *Mercurius*, apparuit ei vir luce circumfusus, alba indutus veste, staturae procerae, in cuius manu gladius a Deo illi, *Mercurio nempe*, oblatus, et dixit: « Cum hostes tuos deviceris, memor esto Domini Dei tui. » Hostibus itaque fugatis et victoria ex eis ope Dei reportata, ubi reversus est victor, apparuit ei angelus ille splendens qui gladium dederat, et praeceptum Dominum Deum recordandi in memoriam revocavit. Postquam autem bellum finem accepit, imperatori praescribenti ut ipse et ipsius exercitus thus idolis offerrent restitit sanctus Mercurius. Ea re ad imperatorem delata, hic illum arcessivit et quod a sui amore defecisset miratus est. At *sanctus*, cingulo sagoque ante imperatorem proiectis, sic eum affatus est: « Dominum meum Iesum Christum non abnegabo. » Itaque iratus imperator Decius iussit eum virgis viridibus et flagris caedi; timens vero ne contra se propter illum insurgerent civitatis incolae, ipsum catenis ferreis devinctum *Caesaream misit. utque ibi caput p. 121.
eius gladio amputaretur praecepit. Ita sacrum certamen consummavit ille et coronam martyrii in regno caelorum consecutus est.

Intercessio eius nobis suffragetur. Amen.

Postquam [1] vero, temporibus Iuliani, imperatoris apostatae, qui christianos fideles persecutus est, martyrium suum consummavit *Mercurius*, eum oravit sanctus Basilius atque obsecravit ut poenas ab isto imperatore repeteret. Quare, imperatore Iuliano egresso ad pugnam committendam, misit Dominus sanctum Mercurium, qui illum lancea percussum ex equo cui insidebat deturbavit atque occidit. Antequam autem animam efflaret *Iulianus*, sanguinem suum palma manus collectum in altum proiecit, dicens: « Recipe, o Iesu, quam mihi dederas animam. ita. . . . . [2] nos scriptoremque custodiat. Amen.

[1] Apoc. IV, passim.

[1] Hanc quae subsequitur narratiunculam, ab uno cod. G' suppeditatam et cum praecedentibus non satis cohaerentem, haud omittendam duxi. Textum arabicum videsis infra in *Appendice*. — [2] In codice duae inter-

Mensis Hatūr dies vigesimus sextus.

Hodie martyrium subiit sanctus Valerianus (Bālāryānūs), una cum fratre Tiburnio (Tībūrnyūs [1]). Sanctus Valerianus, patria romanus, parentibus infidelibus natus, filiam cuiusdam optimatum romanorum, cui nomen Cilicia (Kīlīkyah [2]), et quae christiana erat Christumque occulte colens, amavit, atque eius nuptias ambivit. Cum enim illius domum adisset, eiusdem pulchritudine et amore captus est. Quae, ubi novit se ab eo amari, coepit religionem Christi ei exponere, eumque paulatim edocere; et postquam hic, illius opera, credidit et baptismum suscepit, gratia illuminatus, *evangelium* ipse Tiburnio fratri praedicavit. Unde frater quoque credidit et, baptismo tinctus, virtute magnopere excelluit, ita ut angeli eum omni tempore convenientes, cum eo de iis quae vellet confabularentur et mysteriorum arcana ei revelarent. Proinde, cum impius imperator Diocletianus, solio potitus, persecutione adversus christianos instaurata, hos tormentis afficeret ac multos neci daret, circuibant duo illi sancti et collecta martyrum corpora sepulturae atque humo mandabant. Homo quidam perversus, rei certior factus, eam detulit ad Tusium (Ṭūsyūs [3]), conclavis imperatorii praefectum, qui fratres arcessitos et coram se adstantes interrogavit quid crederent. Qui, missis quibusvis ambagibus, confessi sunt se esse christianos. Itaque amplas eis divitias ac regia munera promisit [4]; dein vero cum neque monenti parere neque thus idolis offerre vellent, varia tormentorum genera vehementer minatus est. Sed nec minae nec ullus perterrendi conatus formidinem eis terroremve incussit. Comperta igitur ipsorum constantia ac fortitudine, eos tradidit capite plectendos. Quorum capitibus abscissis, videns eorumdem animas ab angelis splendentibus
p. 122. *in caelum* deductas, *conclavis imperatorii praefectus et ipse

cedunt voces: يصوره تحته, quibus nullus in hoc quidem contextu inest vel tolerabilis significatus, at certo certius corruptio quaedam subest. — [1] Substituendum, ut aliunde constat, Tiburtii nomen, invitis tamen codicibus; nam in A id prostat quod supra typis expressum, nisi fortasse ibi Tībūrīnūs legatur; D vero: Tabnūbyūs, et G′: Bītūrīnūs, vel: Bitūrnyūs. — [2] Verius: Caecilia, repugnante licet codicum unanimitate. — [3] C: Ṭarsūs. — [4] B, C et G′ add.: si, Christo abnegato, idolis immolarent.

in Christum credidit. Quare, custodiae per triduum mandatus, indeque die quarta eductus, una cum Cilicia, sancti Valeriani uxore, decollatus est.

Illorum omnium intercessio nobis ad extremum usque halitum adsit. Amen.

Eadem die, commemoratio Gregorii, episcopi Tanīs [1]. Cuius intercessio nobis suffragetur. Amen.

Mensis Hatūr dies vigesimus septimus.

Hodie martyrium passus est sanctus Iacobus Intercisus [2]. Erat hic ex militibus Isdegerdis (Sakrād), filii Saporis, regis Persarum, qui eum sodalem atque familiarem amicum habebat, eiusque consilio in omnibus negotiis suis utebatur, et ita cor sancti Iacobi a Christi religione avertit. Cum autem audissent mater eius, uxor et soror, ipsum in regis sententiam concessisse, ad eum epistulam scripserunt qua dicebant: « Quare, fide in Christum eiurata, elementis creatis, igni nempe et soli, adhaesisti? Certo igitur scias, si in suscepto proposito permanseris, nos tibi extraneas. » Quibus litteris perlectis, amaras fundens lacrimas, dixit: « Si ea agendi ratione factus sum propinquis et cognatis meis alienigena, quid de Christo Domino a me abalienando? » Itaque coepit libros christianorum legere ac fletus edere, et a regis famulatu discessit. Huius rei certior factus rex eum arcessivit, et, disquisitione instituta, sensus ad quos devenerat cognoscens, iussit eum flagellis crudeliter caedi atque in sententia perseverantem cultris membratim discindi. Ei igitur praeciderunt utriusque manus et pedis digitos, tum femora et brachia, ita ut eum in fragmenta triginta duo discerperent. Ipse vero quoties membrum abscindebatur, canebat ac divinas laudes ea de re celebrabat, dicens: « O Deus christianorum, pro ingenti tua misericordia, suscipe arboris ramum, siquidem vitis, postquam a vinitore putata est, mense aprili (nīsān) floret ac radices agit profundiores [3]. » Cum vero nihil

[1] E: Nīsīs; B, C, F et G′: Nīsos. — [2] « Intercisus ». Ita, pro more (cf. Angeli Maii, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. IV, p. 20), martyris toto Oriente celebratissimi vertimus nomen; quanquam ea est epitheti arabici المقطّع vis quae voce latina « discissus » pressius transferri posset. — [3] C et G′: floret ac ramos dilatat.

ei reliquum esset nisi pectus, caput, venter et truncus, tempus imminere persentiens quo spiritum exhalaret, pro mundo et pro populo Dominum oravit, ut is se misericordem illis ac clementem exhiberet. hisque usus est verbis: « Manus quidem non supersunt mihi, quas ad te attollam; sed en membra mea circa p. 123. me proiecta. Ergo, Domine, accipe *animam meam apud te reponendam. » Cui statim apparuit Christus Dominus, ipsum consolans atque confortans; unde anima illius gaudio exsultavit. Priusquam autem efflaret spiritum, uno militum festinante ac caput gladio abscindente, coronam martyrii consecutus, in lucidas sedes, ad Christum quem amaverat, migravit. Corpus et ossa homines quidam Deum timentes acceperunt ac religiose sepulta in loco decenti deposuerunt. Porro fama martyrii eius ad matrem, uxorem et sororem perlata, gavisae sunt et, illuc convenientes ubi corpus iacebat, hoc deosculatae, collacrimantes linteaminibus pretiosis atque aromatibus involverunt. Eidem temporibus duorum imperatorum piorum Honorii et Arcadii ecclesia et monasterium superstructum. Quae autem circumferebantur de monasterio, de martyribus, de horum corporibus et de miraculis atque portentis quae ex iis ubique locorum prodibant, ad regem Persarum devenerunt. Qui iussit universorum sanctorum corpora comburi, non permittens eorum quidquam in suo regno manere. Sed quidam fidelium venerunt et sublatum sancti Iacobi corpus attulerunt ad sanctum Petrum, episcopum edessenum, apud quem usque ad Marcianum imperatorem permansit. Tunc idem assumpsit sanctus Petrus et in Aegypti fines, ad urbem el-Behnesā, asportavit, ubi ipse aliquandiu una cum fratre suo commoratus est. Quadam die, dum, hora sexta, orarent, corpore *sancti* inter ambos deposito, apparuit ei (*Petro*) sanctus Iacobus, stipatus caterva martyrum Persarum, veste persica insignium, qui psalmos cum illis cecinerunt, eis benedixerunt, tum ab eorum oculis evanuerunt, hisce tamen verbis a sancto prius prolatis: « Hic corpus meum, Domino praecipiente, remanebit. » Posthac, cum statuisset Petrus episcopus in regionem suam redire et vellet corpus secum assumere, id ad mare attulit, *qua in re* monito *praedicto* adversabatur. At corpus, e manibus illius ereptum, ad locum in quo fuerat reversum est.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die, consecratio ecclesiae martyris incliti Mar Victoris (Biqṭor), filii Romani (Rūmānūs), quam *ipsius mater p. 124. Martha aedificavit in arce Bāriqūn[1] et in qua Deus plurima edidit miracula atque portenta stupenda, adeo ut quicumque eam adiret illius *martyris* intercessione sanationem consequeretur.

Eadem die festum agimus consecrationis ecclesiae sancti martyris Abū Baphām. Cuius preces benedictionesque nobis adsint ac salutem afferant. Amen.

Eadem die festum agimus consecrationis ecclesiae martyris p. [illegible] incliti Victoris, illius, *inquam, ecclesiae* quae eius nomini in urbe Antiochia (Anṭākyah[2]) dicata fuit. Postquam Diocletiano imperatori divinitus interempto successit imperator pius Constantinus, consilium cepit Martha, sancti Mar Victoris mater, sese in Aegypti superioris fines conferendi, ut filii corpus ex arce civitatis Antinoes (Anṣinā) asportaret. Ipsa igitur, cum famulis, iis omnibus instructa quae sibi necessaria erant, illuc profecta est, Hariune comite. Quo cum advenissent et ei ostendisset Hariun speluncam in qua iacebat corpus sancti Mar Victoris, iussit *Martha* a famulis suis specus ostium aperiri et, hoc aperto, intro descendens, corpus complexa pectori suo admovit, diuque flens deosculata est, illo fragrantes emittente odores, halitui arboris vitae similes. Tum extractum corpus et navigio impositum ad urbem Antiochiam devexerunt. Cui obviam processerunt cives universi, fuitque dies ille famosus propter matris cum corpore filii sancti Mar Victoris adventum. Dein, corpore puro e navi educto et in capsam suam[3] deposito.

[1] Haud dubium quin in cod. C ac proin in editione mea arabica, pro مرتا يقص, legendum sit: مرتا بقصر. Quod multum confirmatur iis quae de eadem arce « Bārīqūn » vel « el-Bārīqūn » infra p. 158, ex cod. G afferentur. Alteri porro lectioni consona est translatio nostra. — [2] Quaenam urbs hoc nomine hic designetur haud plane liquet. Quod si dixerit quispiam fieri non posse, iis omnibus inter se collatis quae tum in hac, tum in subsequenti narratione occurrunt, ut eodem intelligatur praecipua ac notissima Syriae urbs, meminerit ille. *Synaxarii* sive auctorem sive amanuensem, tum in aliis rebus, tum vel maxime in re geographica, mire peregrinum, ne dicam hebetem, passim se prodere. — [3] Sic, in huiusmodi contextu, vertendum censemus nomen haud ita saepe occurrens مكورة, quod, cum ex usu et vi radicis كور vel كار cidarim seu tiaram designet, videtur et quodcumque, formae praesertim rotundae, involucrum significare posse.

imperatorem pium Constantinum adiit et ab eo petiit ut sibi liceret ecclesiam nomini sancti Mar Victoris aedificare. Qui id ei permisit, eamque in omnibus quibus indigeret adiuvit. Itaque illa, postquam ecclesiam cum omni supellectili ad pulcherrimae formae normam exstruendam curavit, patrem patriarcham Anbā Theodorum, in urbe Antiochia commorantem, adiit, quocum propositum corporis filii sui in ecclesiam trans- p. 310. ferendi communicavit. Ea re audita, patriarcha, *magnopere gaudens, cum illa perrexit ad arcem in qua corpus purum reconditum fuerat et hoc eductum pater patriarcha et imperator pius Constantinus osculati sunt. Idem dein corpus sancti Mar Victoris, ab imperatore linteo aureo involutum, in capsam auream quattuor crucibus, quibus gemmae insertae, circumsignatam intulerunt, additis aromatibus multis et imposita, cum velamine acu picto, veste serica, qua tegeretur. Porro ante illud pulchris concinuerunt cantibus, thuribula aurea atque cruces aureas manibus tenentes, itemque evangelia laminis aureis cooperta deferentes. Consecratione prout decebat peracta, e corpore manavit unguentum quo incolumitatem receperunt quotquot variis morborum generibus affecti essent et a daemoniorum spiritibus vexati. — Quotannis, die festo sancti Mar Victoris, hoc unguentum effluit, et quicumque aegrotans illo inunctus fuerit sanitatem illico consequitur. — Deinde pater patriarcha operam dedit missae sacrificio peragendo, plebem sacra communione refecit et pacem omnibus dedit. Domum singuli reversi sunt, Deum et sanctum eius martyrem Mar Victorem collaudantes.

Altera narratione vobis deinceps exponemus quomodo in Aegypti fines iterum ascenderit Martha, sancti Mar Victoris mater, ut ecclesiam aedificaret in arce el-Bārīqūn, ubi sanctus agonem suum consummaverat. Ipse enim in eo castello annum integrum permansit antequam martyr obiret, et hic etiam locus est in quo, ei apparens, Dominus noster Iesus Christus magnos honores pollicitus est. Illa ergo tum ea comparavit quae sibi erant ad aedificationem necessaria, ligna nempe, ferrum, plumbum, lapides pretiosos, tum naves instruxit ad ista omnia comportanda. Postea, in palatium imperatoris pii Constantini se conferens, huic nunciavit in Aegyptum Superiorem se proficisci, ut ecclesiam filio suo aedificaret in eo loco ubi certamen ille

consummaverat. Ipsi dedit imperator epistulas manu sua scriptas omnibus Aegypti Superioris praefectis, ut ei assisterent, eique auxilio essent, neque in ulla prorsus re adversarentur. Imperatoris diplomate instructa, ab illo discedens, naves cum famulis suis conscendit, assumptis secum opificibus plurimis et artificibus peritis, ac mari [1] se commisit. Sed ei invidens Satanas malignus adversus eam in mari ventum validum excitavit, adeo ut, fluctibus intumescentibus, parum abfuerit quin naves et qui iis vehebantur submergerentur. Tum omnibus navigantibus ingenti timore affectis, Martha, et ipsa perturbata atque perterrita, oculos ad caelum sustulit ac longam fudit orationem. Supplicantem exaudivit Dominus, eiusque preces acceptas habuit, et, facta in mari tranquillitate magna, nullo negotio ascenderunt usquedum ad urbem *Antiochiam, p. 311. ubi arx sita erat, pervenirent. Gaudens igitur Martha, gratias Deo egit eo quod incolumis e periculis maris evaserat, et ad arcem festina atque laetissima pedibus gradiens se contulit. Posthac, cum ea omnia praestitisset quibus opus erat ad aedificationem, fundamenta ecclesiae iacta sunt, eidem exstruendae strenuam navaverunt operam, et eam elegantissimo artificio perfecerunt. Tum misso nuntio patrem patriarcham Anbā Theodorum rei certiorem fecit. Qui ad ipsam venit, comitantibus episcopis, archipresbyteris, presbyteris atque diaconis, et ecclesiam consecrarunt. Dum autem patriarcha haec in Evangelio legeret: « Hic est locus tranquillae quietis », vidit Martha prodigium magnum; conspexit nimirum martyres et sanctos antiochenses cum filio suo sibi adstantes; et sanctus quidem Mar Victor, matrem compellans: « Gaude, ô mater, ait, eo quod misericordiam coram Deo exercuisti. » Intuens vero Martha gloriam insignem et sedem excelsam filii sui, ex imo corde gestiens atque exsultans, exclamavit: « Felix hora illa qua te hisce terris genui, ô fili! » Lectionem Evangelii dein perfecerunt, ac, missa absoluta, quotquot qualicumque diversorum generum morbo laborarent ad linteamina [2] sancti Mar Victoris

[1] Ita, ex communiore acceptione, nomen البحر et hic et infra transferimus. Recolendum tamen (cf. sup., p. 122) eam vocem et de fluminibus magnis, imprimisque de Nilo passim usurpari; quod forsan in locum praesentem quadrare possit. — [2] Pro بكنيسة, quod in edit. arab. mendosum, lege: بكتيت.

accesserunt et a suis infirmitatibus sanati sunt. Postea processerunt fideles et pacem a patriarcha acceperunt. Haec die vigesimo primo mensis hatūr peracta sunt, et in ecclesia prodigia ac miracula plurima contigerunt.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 124. MENSIS HATŪR DIES VIGESIMUS OCTAVUS.

Hodie martyr obiit sanctus Sarābāmūn [1] episcopus Niqyus. Erat hic ex familia Stephani *oriundus*, e tribu Iuda, ex urbe Hierosolymis. Nomen patris eius Abrahamus, filius Levi, filii Iosephi, filii Simeonis, avunculi Stephani. In lucem editus, vocatus est Simeon, nomine avi sui. Mortuis parentibus, optanti ut christianus fieret apparuit angelus Domini, qui praecepit ut episcopum Anbā Iohannem adiret. Quem cum adiisset, ab eo mysterium incarnationis Christi edoctus est; nec tamen *episcopus*, quia illius contribules Iudaeos timebat, ipsum Hierosolymis baptizare ausus est. Unde, cum anceps haereret quid sibi faciendum, ei se conspiciendam exhibuit Diva Virgo, et praescripsit ut in urbem Alexandriam ad Anbā Theonam (Tāwonā) patriarcham se conferret. Cui, donec Alexandriam perveniret, comitem se adiunxit, specie hominis assumpta, angelus Domini, postquam idem angelus quae ad eum spectabant patriarchae iam patefecerat. A patriarcha festive exceptus, ab eoque eruditus et baptizatus, vitam monasticam in Vitri (ez-Zuğāğ) coenobio amplexus est. Illum, mortuo Theona patriarcha, Petrus, in defuncti locum suffectus, arcessivit, auxilio sibi futurum in patriarchalis muneris officiis adimplendis. Ab eodem postea consecratus episcopus Niqyus, Ecclesiae magno gaudio fuit atque emolumento, et ipsius opera Dominus plurima prodigia atque miracula edidit. Haud procul ab urbe eius delubra erant, in quibus idola colebantur; quare non destitit Christum deprecari donec, iis dirutis, dissipatis et aqua invadente submersis, idololatria e dioecesi prorsus ablata esset. Procul etiam exclusit blasphemiam Sabellii [2], qui Patrem et Filium affirmabat unam esse personam.

Quadam die [3], cum ad altare ascendisset, hominem vidit

[1] C: sanctus Abba Mūt. — [2] G: 'Aryūs. — [3] In uno cod. G prostat huius visionis narratio. Cuius textum arabicum videsis infra, in *Appendice*.

luce splendentem et sibi dicentem: « O tu, cui populus Dei commissus, quare ecclesiae tibi vicinae neglegis presbyterum, cuius cor Satanas seduxit pertraxitque ad elementorum infirmorum computum, dierum atque horarum selectionem, divinationem ex vestigiis terrae impressis, auguria agenda et magiam exercendam? Nili fluminis aquas praedicere solet ad altitudinem a se praefinitam affluxuras, sibique ita multam comparavit pecuniam. Nos quidem, angeli spiritales, eos qui eiusmodi res turpes in terris admittunt perdere vellemus. Id vero nobis non licet per regem iustitiae, Iesum Christum, dicentem: « Dilationem iis date; fieri potest ut poenitentiam agant; iis *quippe* praesto nunc sunt prophetarum, apostolorum et evangeliorum libri, quibus ab omnibus illis rebus deterreantur. » Quare te hodie admoneo ut ne, si velis a peccato illius innocens esse, eum deinceps permittas ad altare accedere; quod si accesserit, medium in duas partes diffindam. Verum illi per te liceat inter fideles stare, ea conditione ut nunquam dehinc sacerdotali munere fungatur. » Tunc tanto terrore perculsus episcopus est ut *in terram* prolaberetur. Quem erexit angelus Domini, haec subiungens: « Nisi te Dominus amaret et orationes tuae ei acceptae forent, quemadmodum acceptum ei fuit incensum Melchisedech, regis Salem, et nisi delubra evertisses, me ad te non misisset. » Quibus dictis, continuo discessit *angelus. Episcopus autem* totum illum diem permansit ebrio similis et mente obstupefactus. Presbyterum tamen arcessivit, et, cum eo illa omnia communicans quae sibi angelus Domini exposuerat, dixit ei: « Fili mi, si saluti animae tuae et meae simul consulere vis, noli sacerdotio deinceps fungi, ne animam tuam corpusque in gehennam ipse proiicias. »

Itaque, cum impie ageret Diocletianus et certior factus esset, a sancto Sarābāmūne *pessumdari deorum cultum, iussit illum ad se adduci. Cui Alexandriam cum legatis *imperatoris* advenienti occurrerunt Anbā Petrus et plurimi sacerdotes, ipsum consalutaturi; faciemque eius ut faciem angeli Dei contemplati sunt. Eundem coram se adstantem imperator variis affecit tormentis, Christo Domino eum praestante doloris expertem atque molestiae, et ingenti multitudine ad fidem propter ipsum accedente. Timens igitur imperator ne, si cruciatus eiusdem adaugeret, multi propter eum fidem amplecterentur, illum in p.

Aegyptum superiorem, ad Arianam [1] praefectum, misit, ab hoc torquendum et capite plectendum. Versabatur forte tunc temporis Ariana Alexandriae. Dum igitur cum eo [2] navigaret *Sarābāmūn* et Aegyptum Superiorem *ambo* peterent, advecta navis ad urbem sancti patriam, Niqyūs, nulla vi potuit a loco suo amoveri. Quare sanctum ad septentrionalem civitatis plagam eduxerunt, ubi, ab eis decollatus, martyrii coronam obtinuit. Corpus acceperunt cives eius et in ecclesiam honorificentissime translatum sepelierunt.

Benedictio orationis eius nobis adsit. Amen.

MENSIS HATŪR DIES VIGESIMUS NONUS.

Hodie martyrio affectus est sanctus Anbā Petrus, martyrum postremus, idemque patriarcha alexandrinus. Huius patri, presbyteris in urbe Alexandria praefecto, nomen erat Theodosius, matri vero, Sophia. Magnam uterque erga Deum pietatem fovebant, nec erat eis proles. Quinto autem die mensis abīb, cum celebraretur festum sanctorum patrum nostrorum Petri et Pauli, vidit mulier christianorum quosdam, qui liberos festivis indutos vestibus ante se gradientes sequebantur, magnoque moerore affecta, flevit et Christum cum fervidis lacrimis ante sacrum altare precata est ut prolem sibi largiretur. Illa nocte apparuerunt ei Petrus et Paulus, nunciaruntque, a Domino, oratione eius exaudita, mox ei filium concessum iri, cui nomen Petri inderet; ac praeceperunt ut patriarcham adiret, benedictione ab eo donanda. Expergefacta, visionem marito enarravit, qui ea re gavisus est; tum patriarcham adiit, et, visione exposita, rogavit ut sibi benediceret. Qui ipsi benedixit. Haud multo post, hoc sancto Petro donata est. Eundem septem annos natum commiserunt, prophetae Samuelis instar, patriarchae, cui fuit tanquam filius peculiaris, et a quo primum lector,
p. 126. *paulo post diaconus et, brevi mora interiecta, sacerdos ordinatus, ipsius vices in multis negotiis ecclesiasticis gerere coepit [3]. Porro patriarcha Anbā Theonas (Tāwonā), morti proximus, auctor fuit ut sibi sufficeretur pater Petrus, isque, sede conscensa, Ecclesiam collustravit.

[1] Arabice: اريانا; idem qui alibi passim اريانوس, 'Aryanūs, appellatur. — [2] Ad litt.: « cum eis », i. e., cum Ariana huiusque comitatu. — [3] Hunc etiam sensum fundere posset arabica enunciatio: « ... ab ipso in multis negotiis ecclesiasticis institui seu erudiri coeptus est. »

Diocletiano iam in apostasiam delapso, in urbe Antiochia, militum duci imperatoris sententiam ac consilium secuto, erant duo filii. Hos quia non poterat mater ibi baptizare, cum iis ad civitatem Alexandriam navigavit. Verum, tempestate orta ac fluctibus in eos intumescentibus, timens mulier ne filii absque baptismo aquis submergerentur, uberibus ferro scissis, sanguinem adspersit faciei duorum infantium, et sic eos, dum mari veherentur, baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Postquam dein e mari incolumes evaserunt et Alexandriam pervenerunt, ipso die quo cum *caeteris* infantibus baptizandi erant, contigit ut, quotiescumque patriarcha vellet eos baptizare, aqua in lapidem mutaretur; et hoc quidem ter factum. Interrogavit igitur ille ea de re matrem, iisque auditis quae ei in mari acciderant, miratus est et Deum laudavit, dicens: « Ita docet Ecclesia unicum esse baptisma. »

Temporibus huius sancti Petri prodiit Arius haereticus, quem sanctus redarguit et reprehensioni non cedentem anathemate perculit atque excommunicavit. Cum autem imperatori relatum esset, a sancto Petro populum in omni loco edoceri atque incitari ut imperatoria numina ne coleret, satellites misit, caput illius ablaturus. Apprehensum itaque et vinctum custodiae mandarunt. Cuius rei certiores facti, incolae civitatis ad carcerem convenerunt, armis instructi, ut imperatoris satellites oppugnarent. Videns vero ille magnam commotionem propter se fieri, statuit animam pro populo morti tradere, dissolvi cupiens et cum Christo esse; misitque qui universum populum ad se vocarent, et praesentes consolatus est atque hortatus ut in fide orthodoxa firmi remanerent. Ipse Arius, ubi audivit sanctum in eo esse ut ad Dominum migraret, seque excommunicationi subiacentem relinqueret, ad eum per principes sacerdotum confugit, ut se absolveret. At eius excommunicationem *sanctus* confirmavit, adstantibusque visionem exposuit qua illa nocte donatus fuerat, sibi nempe apparuisse Christum Dominum veste discissa indutum, ita ut manu opus ei esset ad corpus veste obtegendum, se vero tum sciscitatum esse: « Quisnam, Domine, vestem tuam laceravit? » et Dominum respondisse: « Arius eam laceravit, qui me a Patre meo separavit, et a quo proin tibi cavendum. » Posthac patriarcha cum imperatoris legatis consilium secreto iniit, ut iis, ab inte-

riori carcere pulsando, signum daret, illi vero obversantem pulsanti parietis partem perfoderent et in egresso imperatoris
p. 127. iussa adimplerent. *Qui, hortanti obsecuti, apprehensum extra civitatem eduxerunt, ad locum in quo sepulcrum sancti Marci evangelistae. Ibi preces fudit, populum suum Domino commendavit, ad satellites accessit, et *iterum* oravit, his verbis usus: « O Domine Christe, sanguine meo, quaeso, finem accipiat idolorum cultus; » pervenitque ad eum e caelo, audiente sancta quadam virgine, quae haud procul distabat, vox dicens: « Amen; tibi id continget quod exoptasti. » Satellites sanctum eius caput abstulerunt; corpus autem duas horas iacens permansit, quibus elapsis, populus ex urbe festinans egressus est; siquidem prope carcerem adfuerant, inscii quid ipsi *sancto* accidisset, donec res eis nunciata. Assumptum igitur pastoris sui et ducis corpus sepelierunt, ad civitatem attulerunt et ei sedi imposuerunt cui nemo unquam illum insidentem viderat. Narrabatur enim, eum, *a suis* interrogatum cur sede non uteretur, respondisse, videre se Dei virtutem sedi eidem insidentem, ita ut ad hanc accedere non auderet. Corpus dein deposuerunt in loco ubi sanctorum corpora iacebant. Sedem obtinuerat annos undecim.

Preces huius patris nobiscum in aeternum adsint. Amen.

Eadem die martyrium subiit sanctus Clemens, papa romanus. Sanctus hic, ex incolis urbis Romae et ex stirpe regia oriundus, a parentibus egregie educatus est et omni sapientia graeca eruditus. Cum autem apostolus Petrus Romae evangelium praedicaret, audita fama ipsius et insignium miraculorum quae patrabat, arcessitum ad suum tribunal hic sanctus multis interrogavit. Cui apostolus idololatriae falsitatem ostendit et demonstravit divinitatem Christi, cuius nomen praedicabatur adiuncta miraculorum patratione. Exhortanti *Clemens* fidem adhibuit, et, ab eodem baptizatus, eum ex illa die secutus est, vitas discipulorum et quae a regibus experiebantur conscribens. Dein ipse in plurimis civitatibus praedicavit, eique commiserunt discipuli volumina canonum quos in vulgus ediderant. Posthac patriarcha Romae constitutus est, ubi praedicatione sua multos ex incolis ad Christi Domini cognitionem adduxit. Re audita, Ṭarābiānos [1] missis satellitibus eum apprehendit et

[1] Traianus? B: Ṭarāsāys; C: Ṭarābiqānūs; F: Ṭarāṭatyānos.

coram se stanti iniunxit ut idola adorationis cultu veneraretur
*et Christum negaret; renuentem vero in urbem quamdam p. 128.
relegavit, quia sibi a Romae civibus et a cognatis Clementis timebat, si hunc illis praesentibus cruciaret. Dein pone eum litteras misit ad eum qui res illius urbis moderabatur, ut virum torquendum et morte afficiendum curaret. Ferrea igitur anchora collo eius alligata, princeps eum in mare deiecit, ipso inibi animam in manus Domini tradente. Anno elapso, cum recessissent aquae, apparuit corpus sancti ita in imo mari iacens ac si spiraret adhuc. Ad quod quidam accesserunt, et, benedictionem sibi ex eo aucupati, idem educere proposuerunt. Quare, allata urna marmorea, id ea conditum efferre tentaverunt; sed cum illud loco movere non possent, eo relicto, abierunt; factumque est ut quotannis, die festo sancti, aquae ab eo se recipiant atque homines illuc accedant, benedictionem inde capessentes. Et eo quidem confluxerunt viatores plurimi, qui res illas enarrarunt.

Inter multa ipsius *Clementis* miracula, hoc etiam scriptis mandatum, quodam nempe anno, eos qui illuc accesserant ad captandam benedictionem, dum pedem referrent, oblitos puerulum, qui pone urnam sancti remansit. Christo res ita disponente, ad amicorum suorum excellentiam atque gloriam qua aucti sunt manifestandam. Aquis porro redeuntibus coopertus ille, a parentibus conquisitus est, neque inventus. Quibus idcirco persuasum fuit, eum mortuum esse et a belluis mare inhabitantibus devoratum. Quare illum fleverunt et defunctorum preces atque consueta missarum sacrificia pro eo persolverunt. Cum autem, anno proxime subsequente, aquae denuo recessissent et homines locum de more adiissent, puerum repererunt incolumem. Eum igitur interrogaverunt: « Qualis fuit commoratio tua, et quanam te vescebaris? » Quibus ille: « Ipse sanctus alebat me, potum mihi praebebat et a belluis marinis me tuebatur. » Collaudaverunt igitur Christum Dominum, qui sanctos suos, martyrium pro suo nomine obeuntes, tanta ornat gloria.

Preces huius patris nos custodiant. Amen.

Mensis Hatūr dies trigesimus, qui et eiusdem complementum.

Hodie martyrio affectus est sanctus Acacius, civitatis constantinopolitanae patriarcha. Hic sanctus, scientia, eruditione

atque arte explanandi varios librorum sacrorum sensus pollens, ordinatus est sacerdos in ecclesiae constantinopolitanae mini[illegible]m. Coadunato autem chalcedonensi concilio, non omnia [illegible]avit hic pater quae inibi gesta sunt, et rogatus, propter scientiam qua eminebat, ut interesset, sese aegrotare causatus est. Quae porro contra sanctum Dioscorum acta, ubi acta sunt, p. 129. aegre tulit, detestatus est, coepitque anathematizare *coram familiaribus suis et iis ex principibus atque optimatibus quos fidos habebat, itemque omnibus quorum fides orthodoxa et constans sentiendi ratio ipsi perspecta. Dein gratias Deo egit, qui cum istis *concilii patribus* non adfuit. Mortuo Anatolio, patriarcha constantinopolitano, ad dignitatem patriarchalem principes et magistratus fideles elegerunt hunc patrem, cuius orthodoxiam noverant. Munus suscepit, sperans ipse cum aliis, fore ut quaedam corrigeret ex iis quae facta erant, schismataque et odia quae in Ecclesia prodierant auferret. Officium adortus, cum cerneret morbum invaluisse et eius sanationem valde difficilem futuram, id existimavit esse factu utilissimum atque honestissimum, ut primum de sua ipsius salute sollicitus esset. Litteras igitur dedit ad patrem Petrum, urbis Alexandriae patriarcham, quibus ei profitebatur fidem orthodoxam, quam haereditate a sanctis patribus Cyrillo et Dioscoro acceperat, subiunxitque nonnullos libellos, quibus rogabat ut se in [illegible]onis consortium reciperet. Litteris perlectis, responsum [illegible]it pater Petrus tractatum amplissimum, eumque commisit deferendum tribus episcopis, qui, Constantinopolim secreto ingressi, patrem hunc *Acacium* convenerunt et ei tractatum a se allatum tradiderunt. Qui, eosdem summo honore excipiens, tractatum quoque optimo quo fieri poterat modo suscepit et cum iis communicavit quibus familiariter utebatur ex optimatibus civitatis orthodoxis; omnesque simul fidem orthodoxam, quam tractatus exponebat, professi sunt. Tum, illis praesentibus, epistulam propria manu integram exaravit, qua patrem Dioscorum, patrem Timotheum et patrem Petrum recipiebat, orthodoxos eos praedicans, sanae autem fidei adversarios abominabatur [1]. Dein, iisdem stipatus, *e civitate* exiit et in monasterium se contulit, ubi, missa una cum ipsis celebrata, eos

[1] B et C: confutabat.

in missa et in eucharistica refectione ad communionem admisit. Denique illi, epistula ex eius manibus accepta, benedictione quoque et sibi impetrata et petenti concessa, ab eo dimissi sunt. Cum autem epistulam ad patrem patriarcham Anbā Petrum attulissent, renunciavissentque sese cum illo in missa communicavisse, epistulam suscepit et illius *Acacii* nomen in missarum celebratione et in orationibus pronunciavit. Quae postquam resciverunt episcopi graeci (er-Rūm), sanctum Acacium e sede constantinopolitana expulerunt, isque diem supremum obiit in fide orthodoxa perseverans.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria Macarii martyris. p. 130.

Eadem die, memoria consecrationis ecclesiae sanctorum Cosmae (Qozmān) et Damiani, atque horum matris fratrumque, itemque miraculorum quae patrarunt. Quorum omnium orationes nobis ad extremum usque halitum adsint. Amen.

Scitote, o fratres, die huic respondente, Victorem (Biqṭor) p. 311. dixisse: « Virum noveram praepositum ecclesiae nomini Divae Virginis in pago ex regionibus occidentalibus dicatae; in cuius locum, cum senuisset, filius eius suffectus est. Erat ecclesia illa opibus magnis atque vasis locuples; et qui ei praefuerat morte subitanea obiit, filio ignorante locum in quo facultates et vasa reposita. Episcopus autem dioecesis vasa ab adulescente, praepositi filio, instanter severeque expetivit, dixitque ei: « Nisi vasa mihi intra triduum exhibueris, te summo principi civili [1] tradam. » Itaque ille amare flevit, et, uxorem alloquens: « Eia, inquit, surgam et *deserti* Scaetis (Šihāt) seniores adibo, ut locum *depositi per eos* reperiam. » — Egregios igitur monachos conveni [2], qui mihi dixerunt: « Voti nondum compos factus es; sed age, auctores tibi sumus ut Qafri camelarium adeas, eique comitem te adiungas. Ipse locum tibi indicabit. » Quare, surgens, Samannūd me contuli, ubi virum *memoratum* inveni, cui tres cameli. Hospitio me excepit, *et, apud eum noctem illam de- p. 312. versatus, dixi ei: « Nihil comedam donec mihi locum revelaveris in quo supellex ecclesiae recondita. » Respondit: « Cras tibi revelabo, vade in pace. » Tum me eduxit ad cubiculum

Ad litt.: sultano. — [2] Ille idem de quo narratio institui coepta erat, deinceps inducitur res ipse enarrans.

camelorum stabulo adiacens, ut ibi dormirem. Dormiens autem, cantum quendam suavem, quo Dei laudes celebrabantur, audivi, et, e cubiculo in quo dormiebam surgens atque circumspiciens, tres camelos vidi cum hero suo Qafri orantes: cum ipso adorante adorabant; cum ipso surgente surgebant, et illam noctem vigiles transegerunt. Ubi illuxit, ad camelos accessit, eos fricavit et clitellas alligavit, ad hortum [1] profecturus camelos onerandi causa. Cui dixi: « Pater, tecum ad hortum hodie pergam, tibi auxilio futurus, siquidem ego adulescens, tu vero aetate provectus. » Respondit mihi: « Per me licet, fili. » Cum eo igitur profectus, in locum deveni ubi linum in fasces colligatum, et unam ex camelis assumptum festinus oneravi, atque onus quidem facultate iumenti gravius imposui alligavique. Tum camelum compellavi ut surgeret; sed nec surrexit nec surgere potuit, et, ter conando se commovens, erigere se non valuit. Arrepta autem virga, accessi ad eum percutiendum ac baculo dure verberavi. Tunc ipse lingua expedita suppetias sic imploravit: « Pater mi, Qafri, cur hunc permittis in me saevire, siquidem ipse mihi onus imposuit cui ferendo impar sum? Et ecce vides quomodo me percutiat. Me igitur ab eo tuere, ne rationem a te coram Deo repetam. » Dixit mihi Qafri: « Fili mi, quare hoc fecisti? » Et praecepit ut sarcinam illius leviorem efficerem [2]. Quamobrem valde miratus sum camelos lingua expedita loqui. Porro, camelis oneratis, ad urbem venimus, clitellas camelorum solvit, hos propria manu fricavit ac feno donavit, cibum mihi praebuit potumque; et comedi, bibi, quae ipse ageret vidi. Quarto die succedente, eum rem meam percontatus, hoc tuli responsum: « Mihi per nomen Iesu Christi iura, te, nisi post mortem meam, revelaturum quae vidisti; » cui iuravi. Dixitque mihi: « In urbem tuam reversus et in ecclesiam ingressus, latus huius occidentale pete, inter altare et parva claustra circumcingentia medium; pavimentum, qua

[1] Pro العيد, (festum, nundinae), quod caeteroquin in cod. G mendose scriptum: العيذ, videtur, quo enunciatio cum subsequentibus melius cohaereat, legendum: الغيط, ita ut et hic de horto sermo fiat. — [2] Pro عنك, quod textus codicis habet, legimus: عنه. Quae correctio si cui minus probaretur, posset forsan ille, aegre tamen, enunciationem pro sententiae Qafri complemento habere et vertere: « Et praecepit mihi *camelus* ut ipsum molestiis tuis levarem. »

pedibus diaconi subiacet, tolle, ostiumque invenies loci, cavernae nimirum, quae tam late patet quam ecclesiae circuitus. Ibi ea recondita quae pater tuus et alii, ex antecessoribus eius, reliquerunt. » Et ego quidem rediens uxori enarravi quae apud sanctos videram, tum locum indicatum petivi, aperui et divitias illuc congestas admiratus sum. Ecclesiae facultates *inde* eductas in conspectum episcopi protuli; quas ille contemplatus est et retuli ego *in locum pristinum*. Quo tempore, mortuo episcopo, alium consecraverunt, senueram et, grandaevus factus, adivi Anbā Iohannem patriarcham, cui divitias revelavi. Ipse itaque mecum ad ecclesiam se contulit, eductas divitias ei tradidi *et a ratione earum reddenda me liberavi; ille vero easdem p. 313.
in urbem Alexandriam transtulit.

Gloria Deo perennis, perpetua, aeterna!

Absolutus est, Domino sanctissimo largiente, mensis hatūr p. 130.
in pace. Quae complectatur, o fratres, illos omnes qui in nomen Domini credunt! Amen. Amen.

p. 131. IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, DEI UNIUS, CUI GLORIA IN PERPETUUM.

MENSIS KĪHAK BENEDICTUS.

Hic quartus est anni coptici *mensis*, eiusque horae *diurnae numero* novem; sed dein incipit crescere. Cuius hoc initium.

MENSIS KĪHAK BENEDICTI DIES PRIMUS.

Hodie requie donatus est pater episcopus Petrus edessenus. Hunc nobili prosapia natum commiserunt parentes Theodosio imperatori, principem ab eo constituendum. Qui tamen, principatum respuens, in palatio imperatoris ascesim atque pietatem exercebat, et secum quoddam sanctorum Persidis martyrum corpus habebat. Erat autem tunc viginti annos natus. Posthac, egressus, monachus factus est; dein, quamvis reluctans, constitutus est Gazae et pagorum circumiacentium episcopus.

De eo narratur, in prima eius missa e corpore *Christi* multum sanguinem effluxisse, adeo ut patenam impleret. Postquam Iacobi Intercisi corpus attulerunt, hoc apud ipsum, Hierosolymis, in Edessenorum coenobio, deposuerunt. Sed, aetate Marciani, in partes Aegypti una cum Iacobi Intercisi corpore aufugiens, in monasteriis [1] aliquandiu domicilium habuit. Et dum quadam die sacrum missae sacrificium offerret, nonnullis ex plebe tempore missae colloquentibus et sancto eos non prohibente, angelum Domini vidit, qui ipsum medio corpore apprehensum volebat deorsum proiicere, eo quod eum puduisset illos reprehendere, eosdemque reveritus esset. Transactis Marciani diebus, in regionem Palaestinae reversus est atque cum sancto Anbā Isaia aegyptio congressus, et firmitatem nacta est ecclesia.

Eius fama ad imperatorem pium Zenonem perlata est, qui optavit illum videre; sed rem detrectavit, utpote a gloria huius mundi refugiens, et in partem regionum el-Ġaur [2] se contulit, ubi moratus est. Adveniente autem die festo sancti Petri, patriarchae alexandrini, sacram missam in eo festo celebranti apparuit sanctus *ille* et dixit: « Te vocat Christus, et iamiam ad nos migrabis. » Ex illa *die, mortem suam praenoscens, p. 132.
populum ad se convocatum hortatus est ut in sancta fide firmi permanerent, tum manus extendit et emisit spiritum.

Ipsius oratio nobis adsit, nosque in aeternum custodiat. Amen. Eadem die, consecratio ecclesiae sancti amici Christi, Anbā Šenūdah, monachorum coenobii el-'Abiad [1], in Aegypto superiore, abbatis. Benedictio precum eius nobis adsit. Amen.

[1] B et C: in quodam monasterio. — [2] Nomen, quod proprie vallem, terram depressam notat, tum de aliis huius generis regionibus usurpatur, tum imprimis de valle quae ab Hierosolymis ad Hauranitidem protenditur.

MENSIS KĪHAK DIES SECUNDUS.

Hodie ad requiem vocatus est sanctus Abbā Hūr, monachus. Hic, ex Atrīb, Aegypti superioris urbe, oriundus, et monachus egregius factus, multis sanctorum pietate sua praecellens et solitudinis amans, in desertum secessit. Cui invidens inimicus *diabolus*, manifestus apparuit, dixitque: « In deserto quidem me superas; sed si fortis sis et virtute praeditus, Alexandriam venito. » Surrexit igitur et, Alexandriam se conferens, operam dabat aquae iis qui captivi et solitarii erant hauriendae. Porro accidit ut, equis per mediam urbem citato cursu transeuntibus, unus illorum puerum offenderet et proculcaret, qui statim mortuus est. Tunc invasit Satanas homines nonnullos, qui dicere coeperunt: « Non occisus est puer nisi ab isto sene monacho. » Venit itaque sanctus et, apprehensum puerulum ulnis complectens, oravit et Christum corde invocavit; tum illum signaculo sanctae crucis signavit atque, eiusdem anima reversa, parentibus dedit; et cum e civitate aufugisset, *ab incolis* requisitus, sed non repertus, in monasterium se recepit, ibique mansit. Imminente morte, cohortem aspiciens sanctorum a quibus advocabatur, magnopere gavisus est, et filios suos misso nuntio arcessitos cohortatus est, admonuitque sese ad Christum translatum iri. Quibus moerentibus, ipse brevi tempore aegrotavit et *dein* animam in manus Domini exhalavit.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die requievit pater noster et sanctus insignis, Anbā Harmīnah, in Aegypti superioris monte Qār. Cuius benedictio nobis adsit. Amen.

[1] I. e, si nomen latine transferre lubeat: coenobii Candidi seu Albi.

p. 313. *Hac eadem die ad quietem vocatus est sanctus Anbā Harminah. Hic, ex finibus *urbis* el-Behnesa oriundus et parentibus iustis atque orthodoxis progenitus, ab iis, ubi adolevit, missus est ad gregem domesticum pascendum. Cui apparuerunt sanctus Iohannes et cum hoc Petrus, apostolorum maximus, illum ad vitae rationem puram atque splendentem, scilicet ad schema monasticum *suscipiendum* invitantes. Iis dicto audiens, una cum eis ascendit ad monasterium sancti Iacobi, qui erat ipse tunc temporis abbas, et ab eodem petierunt ut adulescentem ad se admissum regulas monasticas edoceret. Eis domum introductis tradidit ille monachorum supellectilem, cui cum benedixissent, veste sacra Harmīnah induerunt, et in hunc gratia effusa est. Tum e caelo descendens, cherubim oblationem attulit et altari imposuit; adfuit et David, propheta psaltes, qui ex psalmis ea quae decebant recitavit; item adfuit apostolus Paulus, boni odoris lingua, et ea praelegit quae *tempori* congruebant. Evangelium Iohannes legit, Petrus missae sacrificium obtulit, et, mysteriorum divinorum participes effecti, Harmīnah aliquantisper adhuc in via religionis instituerunt confirmaruntque, atque, eodem Anbā Iacobo, abbati monasterii, tradito, abierunt.

Qui postquam dies complures transegit, in ascesi et certamine spiritali perseverans, ei apparuit Iohannes, praescribens ut ad montem australem se conferret. Ipsum porro convenit Anbā Hūr, cognominatus Fullo, atque ambo simul ad montem australem perrexerunt, et, cum palmam ac fontem aquae invenissent, ibi aliquandiu mansit. Et *postea monachos* puros circumlustravit, petiitque montem a septentrionali urbis Qāw parte situm atque locum ubi, Domino promittente, futurum erat ut finem acciperet ipsius certamen et clarum fieret nomen eius ac memoria in saecula saeculorum. Decertanti autem ascesi eximia et corporis afflictationibus, atque millies et ducenties de nocte ac toties de die genua flectenti, apparuit Satanas, generis nostri inimicus, qui tamen, angelo quem Dominus precibus sancti exoratus miserat repellente, aufugit ira percitus. Sed confestim, ingenti arenae turbine excitato, sanctum eiusque habitaculum obruit. Tum ad Harmīnah deprecantem misit Dominus angelum suum, qui Satanam apprehendit et ad arenam auferendam totumque locum depurgandum coegit. Hoste superato atque devicto, *sanctus* supra puteum aquae *plenum* pedibus divaricatis constitit [1], et immotus, duobus brachiis extensis, quadraginta dies continuos permansit, ieiunans, ita ut corpus eius arefieret. Ad quem descendens angelus Domini, ipsius animum erexit atque confortavit, eum calefecit, sacra communione donavit, fructibus arborum paradisi satiavit et ad domicilium reduxit, illius vultu vultus Mosis, prophetarum principis, instar splendente. Quo tempore voluit cursum suum consummare, patrem nostrum Anbā Hūr, Anbā Yūsāb et fratres alios e monte arcessitos hortatus est *ut corpus suum absconderent; p. 314.
et continuo adveniens Dominus, comitantibus archangelis Michaele, Gabriele et Raphaele, ipsi et omnibus qui eius recordaturi essent et memoriam celebraturi bona caelestia promisit. Dein, postquam spiritum in manum Domini exhalavit, eum cantantes praecesserunt angeli et in regnum caelorum deduxerunt. Accedentes porro urbis Qāw cives, benedictionem ab eo aucupati, corpus sepelierunt, pro eo missas celebrarunt et sacram receperunt communionem, idemque *corpus* iuxta ecclesiam condiderunt. Ex hoc corpore, sicut et in omnibus ecclesiis illius *sancti* nomine dedicatis, plurima prodierunt miracula in Dei ac sanctorum eius gloriam.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

*Mensis Kīhak dies tertius. p. 133.

Hodie diva Virgo, Dei Genitrix, praecelsa Maria, tres annos nata, in templum hierosolymitanum ingressa est, utpote quae fuerat voto Deo dicata. Cum nempe ipsius mater Anna prole careret et, in templo Dei procul a *caeteris* mulieribus stans, una cum sene benedicto Ioachim, eius marito, magna tristitia conficeretur, utriusque gemitum audivit Deus. Voto autem Deo promisit, prolem quam ille sibi daturus esset a se Deo oblatum iri. Donata igitur purissima Domina *Maria*, hanc triennio domi educatam dein cum puellis [2] ad templum adduxit. Et

[1] Pro شَّع, quod in editione arabica prostat et nullum fundit sensum huic loco congruentem, in codice fortasse legi possit شبح, hancque alteram lectionem sequitur translatio. — [2] Arabice: مع الجواري. Dubitare licet de sensu harum vocum, utrum nempe significetur, *aliis puellis comitantibus*, an *aliis puellis aggregandam*, Virginem adductam fuisse. Prior interpretatio, si litterae inhaereas, altera, si totius contextus habeatur ratio, verisimilior videtur.

mansit *Virgo* in templo annos duodecim, cibum ex angelorum manibus accipiens, usque ad tempus quo Deus in mundum venit et incarnatus est [1]. De hac autem, quam Deus elegerat, alicui committenda qui ipsam custodiret tunc consultarunt sacerdotes, eo quod erat Domino voto dicata nec decebat eam ab illis in templo servari, ne id ei accideret quod mulieribus *nonnunquam* accidit. Dein statuerunt sponsae nomen ei imponere [2], ut alicui liceret eidem invigilare [3]. Itaque ex tribu Iuda, quae erat ipsius *Virginis* tribus, duodecim viros pios convocarunt, exploraturi cuinam illam committerent. Quorum cum baculos accepissent et in templum attulissent, columba advolante baculoque Iosephi, fabri lignarii, insidente, intellexerunt id divinitus factum, eo quod iustus ille esset et probus. Quare eam coram altari sibi traditam accepit, mansitque illa apud eum donec ipsam adivit angelus Gabriel, nuncians Filium unicum ex ea incarnatum iri.

Ipsius intercessio nobis in aeternum adsit.

Mensis Kīhak dies quartus.

Hodie martyrium passus est sanctus apostolus Andreas, frater Petri. Cui officium sorte obtigerat ut Lyddam (Ludd) et ad Kurdos (el-'Akrād) se conferret. Cum autem in urbem Lyddam
p. 134. ingressus est, cuius maior pars *opera Petri crediderat, comitem secum ducebat Philemonem, discipulum suum, quem, quia voce ad commovendum apta praeditus erat et pulchre loquendi atque ratiocinandi peritus, iussit cathedram ascendere et concionem habere. De adventu discipuli certiores facti, sacerdotes idolorum, gladiis assumptis, venerunt, auscultaturi utrum dii sui convitiis lacesserentur. Qui, postquam audierunt Phile-

[1] Ex codd. B et C vertendum foret: ... et incarnatus est ex ea quam elegerat Deus; — huc nimirum translata et huic enunciationi adnexa sententiae subsequentis particula. — [2] I. e., eam alicui despondere. — [3] Interpretatio admodum dubia. Enunciatio enim, qualis ex plerisque codicibus excusa est, vix qualiscumque sensus probabilis capax. Quod si cui libeat cum uno cod. G legere: حتى اذا حدث عليها حادث يكون منسوب للخطيب, incisi sensus hic erit, qui et perspicuus est, et, si quid indec[...] atque inurbani prae se ferre videatur, non tamen magis dedecet quam enunciationis praecedentis sensus: Ut si quid ei accidisset, sponso illud adscriberetur.

monem praedicantem: « Dii gentium aurum et argentum; ora habent quae non loquuntur, oculos qui non vident, aures quae non audiunt, fiantque iis similes quicumque eos fabricantur », cordibus vocis illius pulchritudine emollitis, ecclesiam ingressi et ad Andreae discipuli pedes prostrati, in Christum crediderunt. Eos discipulus hortatus est et una cum plurimis ex ceteris idolorum cultoribus baptizavit. Dein, ab iis discedens, in Kurdorum fines et ad urbem 'Aksīs, ad urbem 'Arġanās et ad urbem Sīphūs [1] venit, postquam tamen cum Bartholomaeo urbem adierat Ġārazīnūs [2] et quaedam inter Cynocephalos [3] experti erant, qui denique ad Dei cognitionem adducti sunt. Ipso autem urbem hanc [4] ingresso et inter cives, qui perversi, Deum ignorantes et minus dociles erant, praedicante, nonnulli quidem istorum crediderunt propter signa et miracula quae viderant ab eo patrata; reliqui vero, qui non crediderant, inter se maligne consultaverunt eique dolose per legatos denuntiaverunt ut ad se veniret, arcessitum impetu in eum facto interfecturi. At legati illi, postquam ipsum convenerunt, pulchros sermones audientes et vultus venustatem admirati, in Christum Dominum crediderunt, neque ad eos qui se miserant sunt reversi. Quare dixerunt illi: « Aderimus nos ipsi, eumque apprehensum igni trademus; » et ingenti multitudine simul ad eum confluxerunt. Verum illo Christum Dominum deprecante, ignis e caelo descendens eos combussit; unde ceteri magno timore correpti sunt, et, fama discipuli per universas illas regiones late sparsa, gens plurima in Dominum Iesum Christum credidit. Neque tamen destiterunt idolorum sacerdotes discipulum persequi, sed cuncti convenientes eundem adierunt atque apprehensum multis affecerunt verberibus, tum nudum per omnem civitatem circumduxerunt et in carcerem coniecerunt, postero die crucifixuri. Apud illos ea vigebat consuetudo ut, si quem interficere vellent, hunc assumerent et ligno affixum lapidarent. Illa vero nocte oravit discipulus Christum Dominum ut flamma e caelo demissa eos, ut antea, consumeret. Cui apparuit Christus Dominus, dixitque: *« Noli moerere neque conturberis, p. 135.
instat enim discessus tuus ex hoc mundo; » et, pacem ei pre-

[1] B, Fīsfūs; C: Sifūs. — [2] B: 'Āzarīnūs; C: 'Āzaryūs. — [3] Cf. quae de istis prostant ad diem 1um tūt, supra, pag. 1 et 2. — [4] Sic in textu, urbis nomine non pressius definito.

catus, evanuit. Anima igitur discipuli gaudio perfusa, eum mane apprehenderunt, ligno impositum crucifixerunt et lapidibus coniectis oppresserunt donec moreretur. Tum accedentes fidelium turmae, sacrum eius corpus acceperunt et in sepulcrum deposuerunt, atque ex eo prodierunt signa multa portentaque mirabilia.

Orationis huius apostoli benedictio nobis adsit, nosque ab hoste custodiat. Amen.

MENSIS KĪHAK DIES QUINTUS.

Hodie memoria iusti et pii Nāḥūm prophetae. Hic, ex tribu Simeonis oriundus et in prophetandi munere post Mosen prophetam decimus sextus, temporibus ʾAmuṣyā, filii Yūnādāʿ, qui Yuāš appellatur, et temporibus filii eius ʿUzyā vaticinatus est, exprobravitque Israelitis impietatem ipsorum atque idololatriam, et in vaticinio suo exposuit, Deum — qui exaltetur! —, quamvis misericordem, longanimem ac patientissimum, non posse non punire et castigare inimicos suos, quibus tormenta servat. Insuper vaticinatus est de Evangelio praedicando deque discipulis ipsum praedicaturis, quos vocavit etiam praecones bonorum et pacis annunciatores. Item vaticinatus est de urbe Ninivitarum, futurum nempe ut ignem et aquam experiretur. Quod revera factum, siquidem Deus in ea terrae motum excitavit, unde enatus ignis qui partem illius consumpsit. Haec porro pars eorum fuit qui, a iustitiae tramite recedentes, peccatum commiserant; eos vero qui sese Deo poenitentes exhibuerunt neque malum attigit neque calamitas ulla. Postquam prophetae munus complevit *Nāḥūm* et vitam degit divinae voluntati consonam, in pace quievit.

Eadem die, memoria Isidori martyris. Precum universorum benedictio nobis in aeternum adsit. Amen.

p. 314. *Scitote, fratres, die huic respondente sanctum Victorem martyrio affectum fuisse. Hic, ex finibus Lycopolis (ʾAsyūṭ), ab oriente fluminis Nili, oriundus et miles in arce Šaw [1] erat. Allato Diocletiani decreto de idolis adorandis et thure iis adhibendo, ubi ad hunc adulescentem Victorem sorte deventum est, rem detrectavit. Erat autem annos duodecim natus. Quem praefectus arcis blande allocutus est, cumque nihil proficeret,

[1] Vel: Šū?

iussit eum in carcerem detrudi. Ea re audita, parentes illius venerunt et animum ei addiderunt ad martyrium subeundum. Quare eductum praefectus arcis iterum interrogavit; at ei persuadere et cor eius a Christi Domini fide avertere non potuit. Unde ei iratus, epistulam statim scripsit ad summum urbis Lycopolis principem, qua certiorem eum faciebat eorum quae acciderant; et Isidorum, militibus stipatum, Lycopolim misit. Ad se adducto princeps, litteris perlectis, dixit: « Indica mihi cur arcis praefecto restiteris. Si mihi dicto audiens fueris, dignitate magna atque excelsa te augebo et de te ad imperatorem scribam. Qui tibi, postquam morem mihi gesseris, civitatis alicuius praefecturam attribuet. » Tum clarissima voce exclamavit sanctus: « Potestas huius mundi caduca, aurum mutatur, vestes deteruntur, deformatur corporis pulchritudo et, vermibus obnoxia, in sepulcro consumitur. Me igitur non decet a Domino meo Iesu Christo, creatore caeli et terrae, qui homines universos enutrit ac ditat, discedere, ut idola lapidea, diaboli domicilium, colam. » Itaque ira excandescens *princeps* iussit eum variis tormentorum generibus cruciari, et dein, quia cor eius a fide dimovere non poterat, praescripsit ut equorum caudis alligaretur, ac deducto in pagum cui nomen ʾAbsīdyā idola ibi veneranda proposuit, cumque obedire ille nollet, praecepit ut, sententia in eum scripta, balnei hypocausto includeretur in pago qui appellabatur Mūšah, ab oriente pagi ʾAbsīdyā. Qui a militibus petiit ut sibi liceret orare, et Dominum Deum precatus est. Oranti apparuit angelus Dei, qui ei magna promisit praemia et bona plurima ac perpetua in caelorum regno conferenda; fore autem ut quicumque ipsius memoriam die mortis eius egerit, in loco mille annorum sedeat; et qui, in angustiis constituti, calamitatibus afflicti, in mari periclitantes, nomen ipsius invocaverint, levamen cito experiantur; et qui martyrium ipsius conscripserit, huius nomen in libro vitae describatur. Dehinc sanctus adulescens Mar Victor benedictus, ad milites conversus: « Perficite, inquit, quod iussi estis. » Eum igitur vinctum in balnei hypocaustum proiecerunt, et, certamine bono ac felici martyrio consummato, coronam in regno consecutus est. Tum christiani secreto accesserunt et corpus illius ablatum absconderunt, donec Deus Diocletiani thronum subvertit, oculos eius obcaecavit et memoriam abolevit. Porro qui corpus

invenerunt ita testati sunt: « Id conspeximus incolume, neo capillus unus combustus fuerat, sed similitudinem viri dormientis prae se ferebat. » Ei ecclesiam magnam superstruxerunt, quae in pago Mūšah hactenus permanet. Ex hac prodierunt signa ac miracula multa, et ea quidem miracula ad nostram usque aetatem manifestantur.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 136. *MENSIS KĪHAK DIES SEXTUS.

Hodie memoriam Anatolii ('Anāṭolos [1]), martyris et presbyteri, festo celebramus.

Eadem die requievit sanctus pater 'Abrāhām. Fuit hic pater ex christianis Orientis, mercator et admodum dives, qui in Aegyptum *pluries* iter fecerat, ac sede tandem ibi posita, virtutibus atque *imprimis* misericordia insignis, fama scientiae et probitatis claruit. Quare convenit inter episcopos et seniores doctos de illo constituendo Alexandriae patriarcha. Qui, postquam constitutus est, omnia quae habebat pauperibus et egenis distribuit, quascumque consuetudines pravas e tota dioecesi eradicavit, et anathematizavit atque excommunicavit quemvis praepositum qui ab aliquo, promotionis ad munus ecclesiasticum causa, quidquam acciperet. Item eos excommunicavit qui concubinas sibi assumerent, et huic rei multum institit. Unde, audita excommunicatione, qui concubinas habebant, Dei — qui exaltetur! — et excommunicationis timore correpti, universis concubinis dimissis, eum convenientes, poenitentiam coram ipso professi sunt; eorumque poenitentiam suscepit, atque iis condonavit quae facere ausi erant.

Excipiendus vir unus qui, magistratu fungens, plurimum in republica valebat. Infelix iste nec Deum timuit, nec reformidavit excommunicationem huius patris, qui ipsum multum hortabatur, sese ei longanimem praebens, eumque compluries flexis genibus exorans. Reprehensionibus non cessit ille, neque, licet conspiciens sanctum illum senem in terra ad pedes suos, qui iure memrito praecisi fuissent, prostratum, metuit cladem a Deo sibi immittendam. Deinceps non desiit *patriarcha* eum edocere et admonere; imo, sese Christi, Creatoris sui, instar humilians, ad

[1] D: 'Abāṭolos; E: 'Abāloṭos; F: 'Abālītos.

aedes ipsius se contulit. At impius ille, cum audisset patrem ad domum suam tendere, ianuam clausit; et pater duarum horarum spatio ad ianuam stans ac pulsans perseveravit, illo neque aperiente neque alloquente. Itaque postquam certo intellexit pater infelicem illum sua sponte solum a grege Christi discedere, eundemque membrum ex toto corruptum evasisse, patri vero ipsi nihil peccati vel vituperii illius causa tribui posse, opportunum duxit eum a corpore rescindere, ne reliqua membra ipse depravaret; et, sanguinem eius in proprium caput retorquens, eum excommunicavit, pulveremque calceorum suorum contra ianuam eius immundam excussit. Illa hora, Deus prodigium *oculis adstantium exhibuit, siquidem in duas partes scissum est limen ianuae istius *viri*, quod erat lapis durissimus. Et ita, mirabile dictu! lapis durissimus, auditis anathematibus, diruptus est, cor vero illius, peccatis refertum, nullatenus emollitum. Posthac Deus portentorum suorum magnitudinem in eodem homine manifestam fecit; hic namque ad tantam paupertatem redactus est ut ne unica quidem drachma ei reliqua esset; tum munere *quo fungebatur* cum dedecore deiectus, gravibus corporis aegrotationibus afflictus et pessima sublatus morte, omnibus factus est exemplum, quo multi peccatores ad conversionem adducti sunt, id metuentes quod illi acciderat. p. 137.

Eiusdem patris temporibus, el-Muʿizz principi erat administer (*vezirus*), qui a iudaismo ad islamismum transierat et qui virum iudaeum amicitia sibi devinctum ad el-Muʿizz saepissime introducebat, verba cum hoc conserturum. Expetivit autem Iudaeus, administro apud el-Muʿizz intercedente, ut ad hunc arcesseretur pater patriarcha et sibi liceret cum eo disputare. Venit igitur hic pater, comitante Anbā Severo Ibn el-Muqaffaʿ; et cum ambos assidere iussisset el-Muʿizz, sederunt. Tum dixit eis el-Muʿizz: « Quidni disputationem inter vos instituitis? » Respondit Anbā Severus: « In consessu summi fidelium principis non disceptabit nisi qui tauro et asino insipientior sit. » Interrogavit el-Muʿizz: « Quid ita, episcope? » « Deus, inquit, prophetae lingua hoc testatus est [1]: Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit. » Tum disceptaverunt ambo cum Iudaeo, eumque

[1] Is., I, 3.

pudore suffuderunt, et, Christo auxiliante, recesserunt victores atque ab el-Mu'izz honorati. Sed rem neque Iudaeus neque administer ferre potuerunt, et, paucis post diebus, accedens administer ad el-Mu'izz, dixit ei: « Visne, princeps et imperator noster, christianorum inanitatem compertam habere? » In eorum Evangelio legitur [1]: « Si quis vestrum fidem habuerit sicut granum sinapis, dicet huic monti: Recede, et recedet. » Arcesse igitur patriarcham et postula ab eo ut id opere compleat quod promisit Evangelium ipsius; si autem probationem non suppeditet, scias illos quovis destitutos fundamento. » Itaque advocato episcopo el-Mu'izz quae dicta erant retulit. Petiit ille ut sibi trium dierum mora concederetur; quae concessa est. Tum, inde egressus, monachos et episcopos sibi vicinos convocavit, et triduum in ecclesia el-Mu'allaqah intra *urbem* Miṣr trans-
p. 138. egerunt, ieiunantes et Deum deprecantes ut *sui misereretur. Porro primo tertiae noctis diluculo, apparuit ei Domina celsissima Maria, Dei Genitrix, revelavitque virum quendam sanctum, coriarium, cuius opera Deus miraculum illud patraturus esset. Quare misit pater *patriarcha* qui virum illum arcesserent, atque, assumpta secum sacerdotum, monachorum et caeterorum fidelium multitudine, in conspectum el-Mu'izz *principis* [2], omnium regni procerum, incolarumque *urbium* Miṣr et el-Qāhirah processit. Stetit pater patriarcha ab una parte, stantibus el-Mu'izz ac caeteris ab altera parte. Tum oraverunt patriarcha et fideles, seque ter adorando prostraverunt, et quoties prosternebantur, attollebat pater caput et signo crucis montem signabat, monsque omnibus qui aderant spectantibus sublevabatur, et ubi se ille dein inclinabat, mons ad locum suum demittebatur; quod ter factum est. Conclamarunt autem Moslemi, admiratione simul et magno timore propter montem sublevatum perculsi. Multi vero mortui sunt, feminaeque gravidae, prae terroris quem montis concussi strepitus ingesserat vehementia, foetus immaturos ediderunt; et Deus huic patri eiusque plebi salutem attulit et auxilium contra inimicos praestitit. Quare el-Mu'izz patrem patriarcham ad se vocatum magnopere honoravit, invitavitque ut aliquid a se peteret. Qui

[1] MATTH., XVII, 19; LUC., XVII, 6. — [2] B et C add.: et egressus est el-Mu'izz.

nolebat ab eo quidquam postulare. Cum tamen rei insisteret el-Mu'izz benevolentissimus et ipsum ad postulandum incitans urgeret, dixit patriarcha: « Si quidem nihil petere non possum, ecclesiarum, imprimisque ecclesiae martyris Mercurii (Marqūryūs [1]) quae in *urbe* Miṣr sita est, instaurationem exopto. » Diplomate igitur ei exarato de ecclesiis aedificandis, *el-Mu'izz* magnam etiam pecuniae vim ex aerario suo obtulit. Cui gratias agens et ex corde bene precans, rogavit *patriarcha* ut sibi liceret pecuniam respuere. Unde ipsum magis diligere coepit el-Mu'izz, ob perspectum in eo Dei timorem et divitiarum despectum. Dein, cum eo equo advectus, operam dedit ecclesiae Abu Mercurio ('Abū Marqūrah) aedificandae, et, cum quidam magnatum obsisterent, uni ex familiaribus suis curam rei commisit, donec perfecta esset aedificatio [2]. *Ita* hic pater *multas ecclesias in omnibus regionibus innovavit, et, honesto p. 139.
vitae cursu consummato, in pace quievit.

Huius patris preces nobis suffragentur. Amen.

*Scitote, fratres, die huic respondente insignem quemdam p. 315.
ex sanctis senem, cum forte prope cauponam transiret, puellam vidisse formosam et meretricem, ad quam ingressus est, ut animam eius salvaret. Causatus igitur est se velle cum ea rem habere. Dixit porro ei senex: « In hoc loco, timoris expers non sum. » Quare eum in septem cubicula introduxit, ipseque in singulis dicebat: « Timeo. » Postquam puellam rei pertaesum est, sic eum compellavit: « Me, senex, ludibrio habes. An a Deo forsan tibi times? » Respondit ei senex: « Haud inscia videris Deum esse. » Quibus dictis, ostendit sibi in animo esse egredi et discedere. Illa vero detinuit eum et: « Te non dimittam, ait, nisi me tecum ad salvandam animam meam assumpseris. » Tum senex: « Verene mecum venies? » « Veniam », inquit illa; et subiunxit: « Hic aurum multum. Visne id asportem mecum? » Cui senex: « Si hoc unum tibi propositum ut animam tuam salves et poenitentiam agas, cuinam usui tibi aurum erit? » Quo audito, illa duo sandalia [3] a pedibus suis

[1] B et C.: 'Abū Marqūrah. — [2] Paulo brevius cod. F, ita: ... advectus, operam dedit, cum quidam homines obsisterent, ecclesiae Abū Mercurii aedificandae, nec destitit operam dare usque ad aedificationem *perfectam* — [3] Arabice: الزربون. Cuius nominis, omnibus lexicographis ignoti, sensus ex huius loci contextu haud obscure colligitur.

p. 316. solvit atque abiecit, et *quae antea in caupona solita erat plantas sandaliis semper tegere coepit senem pedibus nudis subsequi. Itaque, dum cum sene iter faceret, quia nudipes progredi non consueverat, e pedibus dilaceratis manabat sanguis; ipsa tamen incedebat, *rem* patienter ferens et Deo gratias agens. Iter persequentes, duabus arboribus vespere occurrerunt; et dixit puellae senex: « Perge ad illam arborem, ibique requiesce. » Ipse vero subter alteram se recepit atque dormivit. Ea autem ipsa nocte, somnium habuit senex: sibi videbatur columbam apprehendisse, quae, e manibus aufugiens, ad caelum ascendit. Mane, cum venisset senex ad puellam expergefaciendam ut iter carperent, eam obiisse invenit. Quam mortuam reperiens, conturbatus est et dixit: « O Domine, iter susceperat ista ut poenitentiam ageret ac debitum tuo nomini cultum exhiberet, et copiam ei non dedisti ad locum perveniendi in quo poenitentiam ageret. » Tum ad eum directa est vox dicens: « Ne moerore conficiatur cor tuum; poenitentiam enim suam plene complevit haec. Quod si lubeat scire vere ab ea perfectam esse poenitentiam et cor tuum ea de re securum praestare ac quietum, regredere per viam qua venistis ambo simul gradientes, et poenitentiam illius in hoc tramite pervidebis. » Itaque reversus senex, Deo iubente, per eandem viam, hanc reperit sanguine conspersam, guttis nempe quae e pedibus puellae effluxerant; ea quippe teneri corporis erat et, viae lapidibus pedes dilaniantibus, dolorem constanter tulerat nec retrocesserat, cum ipsi staret salutem per poenitentiam adipisci. Quapropter Deus firmum illius propositum in pace suscepit.

Dominus Deus ipsius precibus nostri omnium misereatur. Amen.

p. 139. MENSIS KĪHAK DIES SEPTIMUS.

Hodie requievit sanctus Matthaeus (Mattā) pauper. Hic sanctus erat monasterii montis Syenes ('Aswān) abbas, insignes exercens virtutes ac daemones eiiciens; meruitque curationis gratiam, adeo ut quicumque aegrotus ad ipsum deferretur, huic orando benediceret, eundemque Deus illius intercessione sanaret. Quadam die, ad eum adduxerunt mulierem occulto morbo laborantem, ipseque Spiritu *sancto sibi revelante* illius statum

cognoscens, praecepit ut peccatum suum coram adstantibus manifestaret. Quare confessa est se duobus fratribus nupsisse et illum idcirco morbum sibi a Deo inflictum. Tum, sancto orante, terra disrupta est, eamque *mulierem* continuo absorpsit. Quae facta est exemplum omnibus ad quos fama de ea perlata. Ex praeclare gestis ab hoc patre id etiam refertur, ipsum propria manu feris victum subministrasse, quae nihil ei nocerent. Cursu vitae completo, in pace exstinctum ad se recepit Dominus.

Benedictio orationis et obsecrationum eius nobis adsit nosque in aeternum custodiat. Amen.

Scitote, fratres, die huic respondente, Diocletiani tempori- p. 316. bus martyrium passos esse duos sanctos ascetas insignes Anbā Bīnā et Bānāw. Iste sanctus Băbīnā [1], ex Dūrat-Saryān oriundus, parentes habuit christianos ac pios, eratque mater e civium Antinoes ('Anṣinā) genere. Dum hic sanctus in domo parentum nihil adhuc edoctus adulesceret, dixit mater eius patri: « Nosti mihi fratres esse in *civitate* Antinoe, neque placet puerulum hunc ita manere vacantem ac vagum. Eum igitur, si tibi visum fuerit, ad ipsius avunculos mittam, qui eundem cum liberis suis magistro commendabunt et perinde ac nos custodient. » Dictis assentiens pater, puerum et matrem accepit, et, flumine *Nilo* traiecto, e Dūrat-Saryān Antinoen se contulerunt, ubi mulier quae ad puerulum attinebant cum fratribus communicavit. Qui, magnopere gavisi, eum susceperunt et ad magistrum peritum miserunt, *apud quem* scientiam apprime didicit. Verum ei invidit monitor qui ei *adstabat*, quia eum videbat *sagaciorem p. 317. se atque celerius proficientem; et, quadam die, tempus aucupatus quo magister egressus esset, invidia zelotypiaque diabolica motus, tabulam e manu adulescentuli Băbīnā arripuit et comminutam procul abiecit, tum illius digitos, quibus scribebat, apprehendit et retroflexos, quia tenera erant pueri membra, fregit. Dein, flumen continuo traiiciens, ad pagum aufugit ubi matris suae necessarii morabantur, apud quos latuit. Puero autem innocenti animus defecerat, et, ubi, sui compos factus est, multum et amare lacrymatus, in domum avunculorum se recepit, neque deinceps in ludum litterarium rediit. Illa porro nocte,

[1] *Sic.*

gravibus pressum doloribus convenit angelus Domini Michael, qui digitos eius ita sanavit ut e somno surrexerit perinde ac si nulla prorsus infirmitate laboravisset. Ad parentes reversus, occurrit adulescenti pio, *cui nomen* Anbā Nāw, et ambo communi consilio ac studio orationi, ieiunio atque puritati *colendae* operam dederunt. Quorum religionem decoram atque egregiam intuens Dominus, Michaele ad eos misso, praecepit ut, in regiones Phaeumenses (el-Fayūm) commigrantes, ibi apud virum sanctum et probum, vita pia celebrem, habitarent. Michaeli vero responderunt: « Adulescentuli nos, neque ullum unquam iter inivimus. » Quibus ille: « Ego, ait, vobis comes adero, vosque deducam; » et confestim, iis subsequentibus, ad illum patrem profectus est. *Huic* autem sancto apparuit angelus Domini et eorum nunciavit adventum. Quare iis obviam egressus, magno gaudio eos excepit. Apud quem tres annos commorati sunt, doctrinae profectum ex eximia eius religione capientes.

Posthac eis sese conspiciendum praebuit Michael archangelus, qui et dixit: « Tempus advenit quo ex his locis ad regionem australem migretis, prout Christus Dominus, cui sit gloria! praecepit. Unde, ipsius praegredientis vestigia persequentes, in partes ʾAbṣāy, e nomo Panopolis (ʾAḫmīm), se contulerunt, et, monte conscenso, ibi invenerunt ascetas et seniores multos, qui sacram communionem recipiebant in ecclesia exigua atque angustiore quam ut eos capere posset. Quare his hortantibus anachoretae ecclesiam aedificarunt priore ampliorem et episcopum requisierunt qui ad eam consecrandam veniret. Porro terrore Diocletiani Aegypti finibus tunc incumbente, pater episcopus Anbā ʿAbsādah dissimulato habitu latitabat, ita ut foras prodeuntem nemo agnosceret. Tum inter se consultarunt anachoretae, dicentes: « Quis ibit et episcopum nobis arcesset ad ecclesiam consecrandam? » Surgens igitur Anbā Bīnā [1], descendit et circuibat, episcopum ad ecclesiam consecrandam quaerens; neque ullum de illo indicium a quoquam acceperat. Post defatigationes et circuitiones multas, occurrit sancto Anbā ʿAbsādah, quem Spiritu *sancto* illuminante agnovit et compellavit. Cui ille: « Quid optas? » Votum aperuit *Anbā Bīnā*, et quis ipse esset

[1] In hoc loco et infra, cod. habet: « Anbā Nīna », pro Anbā Bīnā.

manifestavit. Tum *episcopus* eum ad montem cum gaudio secutus est, et, ecclesiam ingressus, hanc consecravit; dein apprehensum Anbā Bīnā ordinavit *presbyterum, et eius socium p. 318.
Anbā Nāw ordinavit diaconum, populusque cum iis laetatus est, atque episcopus, dies complures apud eos moratus, discessit. Sanctus autem Anbā Bīnā aliquandiu cum socio *ibi* mansit, ambobus religionem suam puram animo festivo exercentibus.

Aliquanto post apparuit eis angelus Domini, praecipiens ut exinde ad montem ʾAdrībah transirent. Erat ibi, in illo *nimirum* monte, idolum in cuius manu labrum aeneum, mensuram a r d e b continens, et cui sacerdotes idololatrae, die decimo octavo *mensis* bābah, festum agebant. Illuc tunc ex omnibus locis confluebant homines innumeri, puerique adducebantur numero duodecim, annos duodecim vel pauciores nati, quibus in illo labro immolatis, sacerdotes festum celebrabant. Quod si, postero die, nihil illius sanguinis reliquum invenissent, tunc exsultabant et conclamabant, a diis suis oblationes acceptas haberi; atque continuo apprehensa puerorum corpora sepeliebant et ad aedes suas singuli revertebantur, gestientes et dictitantes deos suos sata huius anni prospera facturos. Postquam duo sancti in eo monte Deo inservientes aliquamdiu manserunt, ab angelo sibi apparente iussi sunt orationibus atque obsecrationibus a Deo istius idoli eversionem expetere. Itaque, pueris die festo memorato immolatis et sanguine in labrum immisso, cum duo sancti in cacumine montis, ab occidentali parte ʾAdrībah, orantes starent, sanguis qui labro continebatur non postero die immutatus est, quemadmodum in immundis illorum festis fieri consueverat. Irati igitur sacerdotes dixerunt: « Quamdiu in hac regione versabuntur isti senes galilaei, succensebit nobis Deus noster, victimas nostras non habebit acceptas nec praesentis anni sata prospera faciet, et, invocatus in calamitatibus nostris, nos non exaudiet. » Tunc iuvenes quadraginta ex idolorum cultoribus, armis accincti, ad illos *sanctos* statim requirendos exierunt; quos tamen Christus Dominus a requirentibus occultavit.

Posthac, cum audisset Maximianus in finibus Aegypti christianos latitare, ingenti exercitu stipatus, ascendit usque ad urbem Syenen (ʾAswān), circuiens per deserta et idolorum delubra ubique lustrans. Singulis delubris magnum auri pondus (q i n ṭ ā r) dabat, et secum idola circumferebat, ornamentis aureis

vestibusque sericis decorata, quorum quaedam enses strictos, alia gladios [1] manibus tenebant, et quibus praeibant, in naviculis delata, cuiusvis generis numina oblectatoria [2]. Ubi Adrībah advenit imperator, huius *urbis* delubra visitaturus eorumque exploraturus statum, illum adierunt istius idoli sacerdotes, auxilium eius implorantes et conquerentes de duobus sanctis et de iis rebus quae sibi accidissent quoad victimas et sanguinem, quem idolum propter seniores sanctos respuisset. Hos iussit ille p. 319. continuo accersi. * Iis autem apparuit angelus Domini Michael et dixit: « Vos imperator requirit. Properate; certamen enim non quovis tempore in promptu est; » ac praemonitos de iis quae ipsis imminerent confortavit, caelestes pollicitus coronas. Ad imperatorem igitur profecti, in via occurrerunt legatis, qui ipsos comprehenderunt et in conspectum imperatoris adduxerunt. Cui conviciati sunt illi, dicentes: « Idola tua lapides, lignum inane, imo daemones. » Is eis iratus descendit, eosdem secum deducens, donec ad lacum veniret contra urbem Atfah situm, ubi substiterunt; iussitque imperator sanctorum capita abscindi. Quibus tunc orantibus et auxilium a Domino implorantibus apparuit angelus Domini, qui eos confortavit atque eximia promisit bona, *adiuncta praedictione,* quicumque ipsorum nomina in terris invocaverit, eum, si in angustiis constitutus fuerit aut calamitate oppressus, illorum oratione atque intercessione a Domino incolumem servatum iri. Eorum autem capita milites acie gladii amputaverunt, et, cum gladios suos lacus illius aquis immersissent, ex his prodierunt signa, miracula et sanationes, eorum praesertim qui febri tertiana laborent; isti enim, si eadem aqua cum fide loti fuerint, sanitati restituuntur. Corpora *martyrum* iacentia permanserunt donec imperator cum exercitu recessisset. Tunc accedentes christiani qui in illis partibus latebant corpora ablata sepelierunt et in monte contra lacum memoratum condiderunt; ac, postquam finem habuit persecutio, exstruxerunt fideles ecclesiam *sanctorum* nominibus dicatam, in quam corpora reposuerunt. In ea hodieque eduntur miracula et sanationes.

[1] Nomen arab. plurale شروج nullam prae se fert significationem huic contextui congruentem. Si cui vero شروخ legere libuerit, sensum *gladiorum* voci attribuere licebit. — [2] Ad litt.: omnes dii instrumentorum (vel locorum) lusoriorum.

Illorum piorum martyrum benedictio nobis adsit et librario. Amen.

Eadem quoque die, mors praesulis sancti, eximii, perfecti, docti, puri, Anbā Iohannis, episcopi urbis Hermonthis ('Ermont). Huius parentes, *qui* ex Hermonthis civium numero *erant,* artem lignariam exercebant. Egressus autem frater eius natu maior, cui nomen insigne Bisantheos (Bīsantāwos), ad arcem Ṭūd se contulit, ubi dies complures commoratus est. Et, manifestata ei in illo loco religionis christianae excellentia, ad urbem suam *patriam* veniens, una cum fratribus suis Anbā Iohanne et Anbā Dermatheos (Dermātāwos) baptizatus est; tum, montem civitati conterminum conscendens, ibique monachus factus, plurima exercuit religionis opera. Hic vero pater sanctus Anbā Iohannes, cum quadam die in silvam [1], lignorum colligendorum causa, exisset, carnales [2] a Satana expertus cogitationes atque oppugnationes, sese confestim in medios vepres proiecit, adeo ut totum corpus spinis refertum ac dilaniatum appareret. Redeunti ad monasterium sanctus Anbā Bisantheos, qui Spiritu *sancto* noverat quae contigissent, obviam ivit et dixit: « Acceptissimus nobis atque suavissimus Aethiopis adulescentuli [3] adventus. p. 320. *Ecce autem propter patientiam tuam, constantiam, animique firmitatem qua in spinas te proiecisti, episcopatum urbis Hermonthis contulit tibi Deus. » Postea ascenderunt civitatis incolae ad patrem Bisantheum, rogantes ut *sibi* episcopus fieret. Qui rem detrectavit, sed iis fratrem suum Anbā Iohannem tradidit, quem acceperunt et secum Alexandriam adductum consecraverunt episcopum.

Is, postquam in urbem venit, multos ex idolorum cultoribus qui eam incolebant baptizavit. Ipso nempe ecclesiae aedificandae operam interdiu dante, noctu veniebant idololatrae et aedificium destruebant; neque tamen fastidio aut taedio cessit, sed

[1] Interpretatio nominis حرجة prorsus insueta sane et vix non uni praesentis loci contextui innixa, cuius tamen levia quaedam indicia apud Freytag (*Lexicon arab.-lat.*), s. voc. حَرْجٌ. — [2] Ita, si, pro حسدية, ut omnia suadent, جسدية legas. — [3] Alludi ad hominem factumve mihi quidem prorsus ignotum videtur; nisi fortasse haec appellatio intelligenda sit de Iohannis facie vepribus faciei Aethiopum instar offuscata atque deturpata.

rem patienter tulit, quoad illi, ob miracula inter se edita, ad eum conversi veniamque implorantes, ab eo baptismum reciperent. Erat hic in concionando vehemens, iusque atque veritatem liberrime praedicabat. Munera ordinationis causa nunquam accepit, neque donum ullum, dicere solitus: « Gratis accepistis, gratis date [1]. » Quadam die, dum ad aedes *suas episcopales* [2] descenderet, nave urbis littori applicita, in terram exiens, vidensque homines tributi ergo brachiis suspensos, dixit: « Dei imaginem quis ausus est suspendere? » Cui responderunt, ab ipso praefecto eos esse suspensos. Tum ille, domum praefecti continuo adiens, huius ianuam pulsavit, et tanta quidem instantia atque celeritate, ut princeps, qui sedebat comedendi gratia, ob pulsantis ostium vehementiam quaecumque stomacho inerant egesserit. Ei autem nuntiarunt episcopum ex Aegypto superiore adesse. Quem admissum sic compellavit: « Itane audes, pater, in praefecti aedibus te gerere? » Respondit ei episcopus: « Equidem artem lignariam exercui. Porro ianuam, si fracta fuerit, sarcire possum; ast Dei imaginem, si quid in ea depravatum fuerit, nunquam in pristinum statum restituere poteris. » Tum vero princeps: « Pater, ait, sultanus tributi rationem a nobis exiget, nec licet nobis quidquam ulli condonare. » Dixit autem ei episcopus, antequam recederet... [3] Eum valde metuebant magistratus et scribae civitatis, qui temporibus eius nulli iniuriam inferre poterant, atque, propter reverentiam quam sibi conciliabat, sacerdotibus *quoque* honorem et reverentiam adhibebant. Hac ipsa die in Domino requievit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eadem etiam die contigit mors sancti Anbā Dermothei (Dermatāwos). Is, ex finibus el-Behnesā oriundus, monasticum amplexus vitae institutum, insignia religionis opera exercuit, eiusque manibus Deus signa et miracula edidit. Monasterium exstruxit,

[1] Cf. MATTH., x, 8. — [2] Vox arabica قلّاية, peregrinae originis, a graeco nempe nomine κελλία, per syr. ܩܠܝܬܐ, derivata, etsi cellam, cellulam, primitus notat, aliquando etiam aedes episcopales designare potest. Hic tamen ex contextu forsan suspicari liceat potius de aedibus praefecti sermonem esse. Cf. DOZY, *Supplément aux dict. arab.*, s. h. v. — [3] Aliquid manifesto desideratur, lacunamque videtur ipse amanuensis quibusdam punctulis indicatam voluisse.

in quo habitavit et ad quod confluxerunt monachi multi, qui ipso orante ex oppugnationibus inimici incolumes invaserunt. Porro monachos ad puritatem hortabatur atque incitabat, dicens: « Absque puritate, filii, nemo Deum videre potest. Timorem Dei prae oculis habentes, ab invidia, odio, calumnia abstinete, et alii alios diligite. » Sanctus hic benedictus honestum cursum complevit et ad *Christum Dominum, quem amabat, migravit. p. 321.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Hac etiam die ad requiem admissus est sanctus, beatus, spiritalis Anbā Matthaeus (Mattawos). Qui erat ex incolis Bišnāy; eumque monachum consecraverant in ecclesia Divae Virginis cui nomen el-Muqabbabāt [1]. Dein ad urbes Esneh (ʿAsnā) et Esfûn se contulit, insigniaque exercuit religionis opera ac forte sustinuit certamen, nec noctu dormiens nec interdiu quiescens, et dicere solitus: « Vae nobis in die tremenda qua iudex sedebit et, volumina explicans ac singulorum rationes a tempore nativitatis ad illam usque horam ipsorum oculis exponens, mercedem tribuet omnium quae ab unoquoque acta fuerint, sive bona, sive mala! »

O fratres et amici mei, testor ego vobis feras carnivoras ad eum, in interiore deserti parte cella sua se continentem, ventitasse et, coram eo prostratas, se ei comes atque urbanas exhibuisse, illo panem iis et victum praebente.

Ad eum quadam die adducta est puella formosissima, quam Satanas invaserat, torquebatque ac suffocabat, adeo ut, spumam ore fundens, vestes suas dilaniaret, et eius necessarii corpus eiusdem aegre et vi tegerent. Cuius parentes, ad patrem Anbā Matthaeum accedentes, ei dixerunt: « Misericordiam tuam, pater, experiamur. » Ipse vero, prae magna sua humilitate, iis respondit: « Quis est Matthaeus pauper, ut daemones expellat? Sumite vobis paululum olei lampadis ecclesiae, puellamque eo ungite, dicendo: In nomine Iesu Christi; et ego confido eam sanitate et quiete donatum iri. » Illis itaque puellam oleo ungentibus, eam Satanas in terram proiecit, exclamavitque: « Nonne me dimittes, Matthaee? Me vis e domo mea expellere. Orationibus tuis puris comburor. Vivit nomen Domini benedictum [2]: ad hanc nunquam deinceps revertar. » Et Satana

[1] I. e., fornices seu aedificia fornicata. — [2] Iurandi formula, perinde ac si diceretur: Sanctissimum Dei vivi nomen contestor.

ex ea egresso, puella sanata est, eamque assumptam comites domum in pace deduxerunt, Deum collaudantes.

Quadam die accidit ut puella quae grave flagitium admiserat uterum gereret. Sed, completis ei novem mensibus, non partum de more edidit. Itaque eam iumento impositam ad monasterium adduxerunt, illosque ad monasterium adventare Spiritu *sancto revelante* noscens pater noster *Matthaeus,* fratribus dixit: « Duos illos viros adeamus. » Et pater una cum fratribus extra monasterii portam egressus est. Erat autem mulier fumo nigro circumdata. Postquam igitur illi *extranei* advenerunt et benedictionem patris sibi expetiverunt, dixit puellae genitor [1]: « Reverende Pater, misericordia tua nobis adsit; respice hanc puellam infelicem quam ad te adduximus. » Tum pater, puellam compellans: « Pande mihi, inquit, rem tuam, neque mihi coram Domino mentiaris. » Quae respondit: « Peccatum meum ingens; ex duobus quippe fratribus concepi, et in priore graviditate incantatorem adii, qui mihi abortum fecit, p. 322. atque hunc *foetum,* quem videram *perfecta hominis forma praeditum, canibus devorandum proieci, et in meretricio annos quindecim permansi. » Dixit Anbā Matthaeus: « Equidem nescio [2] quid a me postuletis. » Tum manibus extensis oravit, et ubi orandi fecit finem ac subiunxit: « Amen », terra aperiente os suum, infelix puella paulatim descendit donec subter solum absorpta est; et e loco opacus ascendit fumus, qui usque ad diem quadragesimum completum permansit.

Postea eum, *Anbā Matthaeum scilicet,* adiit quaedam illius regionis mulier, dixitque ei: « Memento mei, Pater, ut prolem mihi largiatur Deus. Eam ubi ablactavero, huc statim adducam et voto huic monasterio devinciam. » Pater igitur, suo et monasterii nomine, mulieri benedixit. Quae, cum domum recessisset, puerum, iis diebus conceptum, edidit appellavitque Matthaeum; et tunc temporis magnopere gavisi sunt. Puer autem crevit et, tres annos natus, ablactatus est a matre, quae eiusdem patri dixit: « Age, venerandum Matthaeum adeuntes, puerulum offeramus, siquidem eum devovimus. » Quibus auditis, genitor

[1] Ita, legendo ابو, loco اتوا, quod cuivis sanae interpretationi repugnat. — [2] Ex duabus voculis in textu arabico verisimillime supplendis.

gravi moerore affectus est; opinatus autem puerum duodecim denariorum pretio redimi posse, huiusmodi pecunia instructus, ad monasterium venit, patrem *Matthaeum* salutavit, eique obtulit duodecim denarios marsupio inclusos, his usus verbis: « Pater, hoc pretium redemptionis pueruli quo nos Dominus tuis precibus suffragantibus donavit. » Cui sanctus Anbā Matthaeus: « Fili mi, inquit, monasterii alumnum auro venalem non habemus. » Tum famulo ad se vocato sanctus: « Sume, ait, cophinum novum, et dein fila tria ac dimidiam chlamydem, quae in cophinum repones. Hunc pane imple et aliquot caryotas superadde; atque *ista omnia* huic viro trade. » Id fecit famulus quod a patre Anbā Matthaeo iussus erat, et vir, domum reversus, uxori narravit quidquid dixerat pater sanctus Anbā Matthaeus. Puer vero, tribus diebus elapsis, mortuus est. Quem dimidia chlamyde sepelivit et filo trino ligavit genitor, atque huic dixerunt *ceteri* homines: « Puerum istum domui Dei devoveras, et dein a voto tuo recessisti. »

Quondam contigit ut eum conveniret princeps insignis ex urbe Esneh, benedictionis eius captandae atque eum de omnibus rebus suis consulendi gratia. Dixerat idem procuratori hortis suis praeposito: « Illuc (*in hortos*) perge et, poma praecocia [1] inde accepta afferens, veni ad patrem nostrum Anbā Matthaeum, ut mihi, filiis meis, hortis atque pomariis benedicat. » Procurator autem *eius cum uxore hortulani lapsus p. 323. est et cupidinem suam *in ea* explevit. Dein ex illo horto decerpsit mala, ficus et praecocia cuiusvis generis poma, quae in doliola congessit et iumento suo imposuit, et, haec afferens, ad sanctum patrem Anbā Matthaeum venit. Ubi, principi se inclinans [2], dixit: « Feci quod iussisti, voluntati tuae obsequens. » Praecepit ille ut res *allatas* traderet; quas tradidit. Aliquanto post dixit pater noster *Anbā Matthaeus:* « Hic odor non secus ac canis mortui foetet. » Admirati, qui circumsedebant responderunt: « Nullus est hoc in loco odor foetidus. » Tum ingemens ille: « Gravis est, ait, atque ingratus odor, quem olet Matthaeus, et quo totus repletur locus. Verum Deo equidem

[1] Ex lectione probabili tantum particulae textus quae vix non omnino evanuit. — [2] Haec ut intelligas, ex tota narratione collige principem, qui procuratorem praecessisset, in patris Matthaei cella cum hoc ipso adfuisse procuratore adveniente.

confido, eum mei quoque miserturum, si poenitens conversus fuerim a peccatis et flagitiis meis, quia Dominus clemens est, propitius, benignus, misericordissimus iis qui poenitentiam egerint: non enim vult mortem peccatoris qui a via sua mala recesserit. » Ita de se ipse loquebatur, ut peccatores ea omnia agnoscerent quae fecissent. Surrexit itaque procurator universis intuentibus, et, ad pedes patris nostri sancti Anbā Matthaei prostratus, exclamavit: « Ignosce, Pater, mihi, peccatori misero, quia tu in vita tua iustus; ego vero ille sum cuius peccata foetidum velut canis mortui odorem spirant. Sed ego quoque ipse peccatum meum vere et iuste manifestabo. Hoc quippe tum admisi cum me princeps ad negotium quod mihi praescripserat ablegavit: postquam enim comedi et bibi, cultori pomarii dixi: « Cito pergens, ad me arcesse figulum [1], a quo emam doliola quae iussit princeps pomis impleri et ad sanctum Anbā Matthaeum a me deferri. » Qui cum abiisset, invadente me Satana, lecto surrexi et hortulani uxorem conveni. Contestor autem Deum vivum, invitam eam a me vi oppressam; et testem *item* invoco Dominum meum Iesum Christum, me ad finem usque vitae et supremum diem cum nulla iam femina rem habiturum. » Dixit ei pater Anbā Matthaeus: « Dominus omnia peccata quae admisisti tibi condonet, tibi salutem conferat et ab omni te malo tueatur. » — O fratres, quam admirabilis fuit magnus ille sanctus! Virtutibus eius celebrandis lingua mea impar est. Felix autem praedicandus qui librum vitae illius conscribet et in Ecclesia condet, ut ipse intercedat pro nobis apud Dominum, qui nostra condonet peccata.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 139. MENSIS KĪHAK DIES OCTAVUS.

Hodie ad requiem admissus est sanctus pater Hierocles [2], urbis Alexandriae patriarcha. Ex parentibus infidelibus proge-

p. 140. nitus est, qui tamen, postquam illo donati sunt *eumque in

[1] Loco قرموشي, quod in edit. arab. mendose cusum, legimus: قرموسي, hocque haud diversum habemus a قرموصي, quod, ab uno Dozy (*Supplément aux dict. arab.*) memoratum, a graeco nomine κεραμεύς derivatum et eiusdem cum eo significationis videtur. — [2] Ita ex plerorumque codicum auctoritate, contra A. A quippe habet: Bāriklā; B et C: Yārūklā; D: Yārikla; E: Yarīklā.

sapientia extranea [1] instituerunt, crediderunt et baptismo sunt initiati. Fide suscepta, eundem omni sapientia christiana erudierunt, et libros evangeliorum atque epistularum ab eo addiscendos curarunt. Tum, a sancto Demetrio ordinatus diaconus et presbyter, atque ecclesiae alexandrinae praefectus, in ministerio prospere se gessit et quae sibi demandata fuerant perfecte administravit. Mortuo patre Demetrio, ad patriarchae dignitatem electus, oves Christi optime pavit, de grege sibi tradito ita sollicitus ut eum, multis infidelium *ad fidem* adductis atque baptizatis, adauxerit. Porro sancto Dionysio commisit iudiciorum provinciam et fidelium regimen; ipse vero his edocendis ac commonefaciendis sedulam impendebat operam. Ex adversariis plurimos convertit et in rectam viam reduxit. Postquam sedem obtinuit annos tredecim, in pace quievit [2].

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die martyrium passae sunt sancta Barbara et Iuliana. Et sancta quidem Barbara filia erat viri in aliqua regionum orientalium conspicui, cui nomen Dioscoro, temporibus Maximiani imperatoris. Huic pater arcem munitam aedificavit, ne quis illam videret, et iussit in arce balneum duabus fenestris instructum apparari. Binas fenestras cum vidisset sancta, aedificatoribus praecepit ut tertiam adderent; tum labro balnei signum crucis Christi Domini impressit. Patri autem eius ingresso in castellum ac contemplanti quae fecissent aedificatores mandatis suis adversantia, eaque de re sciscitanti, responderunt id a filia ipsius praescriptum. Porro interroganti huiusce rei causam dixit illa: « Nonne compertum habes, pater, a sancta Trinitate rem quamvis perfici? Idcirco aedificatoribus ego auctor fui ut tres fenestras in nomen *et honorem* sanctae Trinitatis efficerent. Haec autem crux imago est crucis Christi Domini, per quam salus mundo parta. Relinque igitur, pater mi, illum

[1] I. e., profana ac pagana. — [2] In cod. C, eadem relatio paulo contractior, in hunc modum: Die huic respondente, quiete donatus est pater Hierocles, Alexandriae patriarcha. Qui, ex urbe Alexandria oriundus, presbyter ordinatus est a Demetrio, qui eum ecclesiae praeposuit magistrum et post quem ad patriarchae munus electus est. Evectus autem *ad illam dignitatem*, negotia ecclesiastica Dionysio commisit, assiduam ipse dans operam fidelibus reprehendendis atque exhortandis. Sedit annos tredecim et in pace quievit. Cuius oratio nos custodiat. Amen.

tuum errorem, et eum Deum cole qui te creavit. » Quo sermone audito, pater, ira atque furore in eam excandescens, gladio stricto eam adortus est; sed aufugit illa ex ipsius manu et, cum rupem magnam obviam haberet, haec ei disrupta est, adeo ut eam pervaserit. Ad se postea reversam pater tradidit praefectis, qui illam diris affecerunt suppliciis; aderatque ibi mulier, cui nomen Iulianae, sanctam Barbaram mediis in tor- p. 141. mentis contemplans *eamque lacrimis prosequens. Apparuit autem Christus Dominus Barbarae, robur ei atque animum addens. Huius dein et Iulianae capitibus amputatis, ambae martyrii coronam consecutae sunt, et e caelo descendit ignis qui patrem illius et Marcianum principem consumpsit. Labrum vero, quo *Barbara* in balneo utebatur et cui crucis imago impressa, evasit sanationis causa omnibus aegrotantibus qui inibi se lavarent. Corpora illarum *duarum martyrum*, arca inclusa, in ecclesia extra urbem [1] deposita sunt; et corpus sanctae Barbarae in ecclesia Abūṣiri, intra urbem Miṣr, nunc asservatur.

Utriusque intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die ad requiem vocatus est sanctus Anbā Samuel, abbas coenobii el-Qalamūn. Ex incolis Daklūbā, *quae urbs est* dioecesis Maṣīl [2], oriundus erat, parentibus sanctis atque iustis, quibus nulla alia proles, progenitus. Patrem habuit presbyterum cui nomen Archelao ('Aršilāwos [3]) et cui in visione nocturna apparuit homo quidam luce splendidus, sic eum compellans: « Haud dubium, huic filio tuo commissum iri ingentem multitudinem, eumque vas electionis omnibus vitae suae diebus Domino futurum. » Fuit autem is sanctus Samuel a teneris purus, non secus ac Samuel propheta, eiusque animum cogitatio de vita monastica constanter invadebat; unde occasionem quadam die nactus [4], e domo paterna egrediens, desertum [5] Scete (Siḥāt) petiit. Viam non noverat; sed angelus Domini, monachi habitu assumpto, ei se ita manifestavit ac si ipse quoque ad monasterium tenderet, se ei comitem in itinere adiunxit donec ad montem Scete pervenirent, eundemque viro sancto, in spelunca

[1] B et C add.: Galalya. — [2] Urbs eadem, ut videtur, ac quae Meliğ vel Meleğ vocatur. Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 243-245. — [3] C: 'Arsilās. — [4] C: unde potestate sibi facta a parentibus. — [5] C: montem.

commoranti, qui Anbā Agatho appellabatur, tradidit. Hunc praemonuerat angelus de Samuelis adventu, praescripseratque ut eum reciperet. Tres annos mansit Samuel apud senem, ei in omnibus quae iuberet obediens. Dein, sene mortuo, cum coepisset sanctus Samuel singulis hebdomadis ieiunare et plurima pietatis opera praestare, ordinatus est presbyter et ecclesiae Abū Macarii (Maqār) praepositus.

Paulo mox, Leonis Tomus ad desertum allatus est et in deserto recitatus. Quo audito, seniores quae illo continebantur aegre tulerunt. Quare Anbā Samuel, a Spiritu sancto, qui ipsi inerat, zelo incensus, in medium prorupit et arreptam epistulam dilaceravit, dicens: « Anathematizatus quicumque fidem orthodoxam, quam tenuerunt sancti patres nostri, mutat. » Haec ubi vidit legatus, ira percitus, iussit illum duris ac gravibus baculis verberari, tum *brachio suspensum pugnis percuti, et ictus in oculum impactus hunc eruit; dein, eodem praecipiente, *Samuel* e monasterio pulsus est. p. 142. Ei autem apparuit angelus Domini, qui praescripsit ut, in el-Qalamūn se conferens, ibi habitaret. Et postquam aliquamdiu in eo loco commoratus est, omnes exhortans ut in fide orthodoxa constanter perseverarent, fama de eo ad el-Muqawqaz [1] perlata est, qui eum convenit et apprehensum atque gravibus affectum verberibus e monasterio eiecit. Profectus igitur, in quadam ecclesia habitavit. Cum autem Berberi in illas partes irruissent et eum captivum detinuissent, secum abducturi, Christum Dominum precatus ut ab iis salvus evaderet, *id consecutus est ut*, quoties eum camelo imponerent, non posset camelus, etsi acriter verberatus, cum eo loco moveri; unde ab abeuntibus dimissus, ad monasterium suum in el-Qalamūn reversus est. Postea eodem iterum venerunt Berberi, eumque captivum in regionem suam abduxerunt. Porro abduxerant et Anbā Iohannem, *monasterii* Scete archipresbyterum, quocum illic conversatus est, altero alterum consolante. Eum vi compellebat herus ad cultum soli adhibendum, cumque ille assentiri nollet, pede eius pedi puellae alligato, ambos in deserto ad camelos pascendos collocavit, eo consilio, quod dia-

[1] Cuium et qualis significationis nomen incertum, nisi quod B hic subiungit: البطريرك لان كان يزور الصعيد, i. e., patriarcham, quippe qui Aegyptum superiorem lustrabat. — Testatur autem el-Bostānī hoc fuisse commune omnium Aegypti et Alexandriae regum cognomen.

bolus illi insinuaverat, ut, in peccatum cum ea lapsus, imperanti dein morem gereret. In his tamen omnibus augebatur sancti Anbā Samuelis fortitudo atque constantia animi, neque ab his sensibus descivit donec heri filium aegrotantem, imo morti iam proximum, orando pro eo et ei benedicendo, sanitati restituit. Unde, *Samuelis* fama per illas regiones sparsa, ad eum veniebant quicumque infirmi essent, et, benedictione ab eo donati atque oleo uncti, sanabantur. Idcirco factus est hero apprime carus, qui eum rogavit ut sibi culpam in ipsum admissam ignosceret, utque, studio poenas exigendi posthabito, si quid optaret ipse sibi fieri, id manifestaret, tum exoptantem ad monasterium suum reverti, iumento impositum et legatis stipatum illuc remisit. Ad *Samuelem huc* confluxerunt filii eius, quorum numerus valde auctus est et ad complura crevit millia. Eidem apparuit Diva Virgo et dixit: « Locus hic domicilium mihi in aeternum; » neque deinceps coenobium Berberorum aggressionibus obnoxium fuit. Habuit is pater conciones multas *ad fideles*, disceptationesque, ac vaticinatus est de istius Moslemorum [1] populi adventu. Imminente autem mortis suae tempore, filios suos convocatos hortatus ut in timore Dei atque custodia mandatorum eius firmi persisterent et ad extremum usque halitum pro fide orthodoxa decertarent, in pace quievit.

De eo id etiam narratur, filiorum eius quemdam, cum obiis-
p. 143. set, accedente ad se Anbā Samuele, *vitae redditum resedisse, eique et fratribus exposuisse quae vidisset ad tormenta peccatorum et sanctorum felicitatem pertinentia, dein iterum recubuisse *mortuum*.

Huius patris orationes nobis omnibus adsint. Amen.

Eadem die martyrium passi sunt Abbā 'Īsay [2] et soror eius Thecla. Ex Abūṣir, ab occidentali parte el-'Ešmūnayn [3], oriundus, is sanctus pecunia, agris et pecoribus ditissimus erat. Ovium suarum lanam pauperibus largiebatur et eleemosynas in egentes profundebat. Soror ei erat, cui nomen Theclae et

[1] Ad litt.: Commigrantium, quo nomine, teste Dozy, *op. cit.*, s. h. v., Moslemi identidem notantur. — [2] Pro diversis vocalibus apponendis legi potest sive 'Isay, sive 'Isī, sive 'Isā. — [3] Urbs quae vulgo putatur in eodem fere loco ei successisse vel succrevisse quae fuit olim Hermopolis Magna. Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 167.

quam diligebat, itemque amicus mercaturas haud exiguas faciens, qui Paulus appellabatur. Huic accidit ut, cum Alexandriam ad vendendas merces navigavisset, ibi in morbum, atque gravem quidem, incideret; quare misso nuntio amicum arcessivit, quo tamen adveniente iam convaluerat. Persecutione tunc temporis saeviente, Abbā 'Īsay et Paulus sanctos in urbe Alexandria commorantes atque eos qui in carceres conditi erant divitiarum suarum participes efficiebant, iisdemque una cum famulis suis inserviebant; et de ambobus vaticinatus est sanctorum quidam, illos coronam martyrii in regno caelorum haud dubie consecuturos. Alexandriam autem forte venit Victor, Romani filius. Quem ubi viderunt duo sancti, eius vitam atque despectum mundi aemulati sunt. Quare Abbā 'Īsay praefectum adiit ac, Christum Dominum confessus, illo iubente cruciatibus est addictus; vestibus nudatus et, manibus post terga colligatis, *equuleo* pressus est; tum faces igneae corpori subiectae; tum ipse in faciem proiectus et flagellis caesus; tum membra praecisa. In his omnibus vero sese ille patientem exhibebat, angelusque Domini Raphael, eum custodiens, praestabat salvum, et vulnera sanabat; ipsum *interea* Paulus, amicus eius, una cum famulis suis lacrymis prosequebatur. Thecla, eius soror, angelo sibi apparente et praecipiente ut fratrem adiret, profecta est, ad flumen *Nilum* se contulit et navigium quaesivit, sed non invenit. Verum ei coram exhibita navis spiritualis, qua transvecta est et in qua adstantes diva Virgo, Dei genitrix, et huius cognata Elisabeth, quae illam de fratre consolabantur. Dicebat Elisabeth: « Filius mihi erat, cuius caput vi iniqua absciderunt; » altera autem memorabat filium suum ex invidia iniuste crucifixum. Porro ipsa *Thecla* nesciebat quaenam essent illae *mulieres* neque reputabat hanc esse visionem. Et statim ac Alexandriam, prout ipsi dictum [1], delata est, nulla post adventum mora interposita, percontabatur a civibus *alex- p. 144.
andrinis ubinam esset Abbā 'Īsay. Qui ei respondebant: « Quis est Abbā 'Īsay in urbe Alexandria? » Nec desiit ita *inquirere* donec illum convenisset. Itaque consilio simul inito de martyrio capessendo, ambo praefectum adierunt, qui acer-

[1] Incisum hoc in cod. A ac proin in mea edit. subobscurum; ex lectione codd. B et C vertendum esset: statim atque Alexandriam delata est, putavit visionem sibi exhibitam.

bissimis eos cruciatibus: equuleo, igne ardente admoto, clavis transfixis, cute capitis detracta, affecit. Domino tamen illos confortante et patientia donante. Dein *praefectus* filiis praefecti [1] qui regioni el-Ḫoṣūṣ *praeerat* eos tradidit, austrum [2] versus abducendos. Itaque postquam navi parumper processerant, vento remittente, iusserunt *ductores* sancti Abbā 'Īsay et Theclae sororis capita abscindi, corpora autem inter vepres et arundines proiici: quod cum in utroque factum esset, coronam martyrii uterque adeptus est. Domini revelatione admonitus, presbyter quidam cui nomen Aya Arī [3], in Šaṭnūf *commorans*, corpora collegit. Quod vero attinet ad Paulum et Ablatium [4], Theclae filium, iique quoque martyres posthac obierunt.

Universorum intercessio nobis suffragetur. Amen.

Mensis Kīhak dies nonus.

Hodie requie donatus est sanctus Bamīn [5], martyr absque sanguinis effusione. Hic ex Manyah [6], in finibus el-'Ešmūnayn, haud procul a Tarisā [7], oriundus, viro nobili famulabatur, procuratoris munere apud eum fungens. Omnibus propter puritatem et iustitiam carus erat, magnaque praeditus gratia atque auctoritate apud illius praepositi uxorem. Secum autem reputans caducum esse hunc mundum, munere relicto, ad monasterium in illa Mīnah [8] *situm* se contulit, ubi monachus factus est. Princeps cui famulabatur, audito eum recessisse, eundem cum uxore sua convenit, illumque, quia *absentiam* eius aegre ferebant, rogarunt, ut rediret, et cum iis ad redeundum non assentiretur, abierunt dolentes de eius recessu.

[1] C: praefecto (nulla mentione filiorum facta). — [2] G: Aegyptum superiorem (eṣ-Ṣa'īd). — [3] De hoc nomine nullus codd. consensus; B habet: 'Ayārī; C: 'Abā 'Arī. — [4] Sic ex cod. A, in quo: 'Ablātyūs; B vero: 'Ablānyūs; C: 'Ablūnyūs, vel: 'Abollūnyūs, quae postrema lectio omnium verisimillima videtur. — [5] D: Yamīn. — [6] B: Manyah Ḫaṣīb; C: Mīnah. — [7] B: Tirsā; C: Tūsā. — [8] Sic cod. A, mutato superiore urbis patriae sancti nomine. Utrum hoc amanuensis negligentiae adscribendum, an potius a prudente et sciente, ac quasi facetiae cuiusdam gratia, factum, ad significandam nempe civitatem quae deinceps fuerit Bamino portus (arabice: مينة vel ميناء) ac refugii loco, alii viderint. Si quis tamen existimet rem non casu accidisse, sed consilio factam, ei potius vertendum erit: ... in illo portu.

Sanctus multa exercuit religionis opera; neque hoc sibi satis esse duxit, verum optavit ut martyr fieret et sanguinem pro nomine Christi profunderet. *Antinoen ('Anṣinā) se conferens, vidit christianorum plurimos torqueri, et, confessus ipse quoque nomen Christi, multis suppliciis affectus est: verberibus, adustione, membrorum praecisione, praelis, equuleo, verubus candentibus corpori admotis. In his omnibus Christus eum confortabat et dolore immunem praestabat. Dum ita se haberet, finem accepit idolorum cultus, et Constantinus pius, solio potitus, iussit dimitti omnes qui in custodia habebantur; apparensque Christus Dominus sancto Bamino, huic praescripsit ut universos sanctos qui in vinculis erant adiret ac certiores faceret eos se computari in martyrum numerum et confessores appellatum iri. Porro iussit Constantinus imperator septuaginta duos ad se arcessi, inter quos fuit Bānūb [1] confessor; qui ipsum adierunt. Sanctus Baminus vero in monasterio quodam extra *urbem* el-'Ešmūnayn habitavit, gratia curationum a Deo donatus, eiusque fama per omnes illas regiones vulgata est.

p. 145.

Matrona erat praenobilis [2], uxor praefecti Romae, gravi laborans infirmitate, neque eam medicorum omnium ullus sanare potuerat. Multa etiam monasteria et multas ecclesias circumierat quin sanitatem consequeretur. Itaque cum Antinoen ('Anṣinā) se contulisset, magistratibus eam advenisse admirantibus adventus sui causam indicavit. Qui ei auctores fuerunt ut sanctum Baminum adiret, ac proin se lectica ad monasterium deferendum curavit. Nuntio de ea ad sanctum perlato, nedum ad eam festinus is exiret, dixit: « Quid mihi cum regibus terrae? » Fratribus tamen multum flagitantibus, ad illam egressus est. Quem intuita matrona nobilis, ad pedes eius se prostravit; postquam autem sanctus oleo benedixit eamque unxit, confestim sanata est. Tum divitias plurimas atque munera ei obtulit; sed ipse nihil acceptum voluit, nisi vasa in ecclesiae usum: patenam, calicem et crucem auream. Dein ad urbem suam reversa est illa, Deum glorificans.

Erat ibi [3] episcopus sanctus, martyrum festum una cum fidelium multitudine in monasterio quodam agens. Verum Ariani

[1] Licet etiam legere et scribere: Bā Nūb; cod. C: Abbā Nūb. — [2] Ad litt.: regina, seu matrona regia. — [3] I. e., in illis partibus.

haeretici sibi et ipsi pseudoepiscopum confinxerunt, itemque pseudomartyres, quorum festum celebrarunt, complurium fidelium corda seducentes. Idcirco venit episcopus *ille prior* ad sanctum Baminum, eique suam conditionem questus est. Qui, Dominum precatus ut haereticorum consilium dissiparet, ramum palmae manu accepit, et omnibus qui ipsum circumstabant palmarum ramos item apprehendentibus, cuncti illos adorti expulerunt: eorundemque cohorte a Domino dispersa, nunquam illuc hactenus reversi sunt.

Porro sanctus senuit, et, morbo laborans *quo moriturus erat, fratres convocatos hortatus atque consolatus, admonuit sibi instare dies quibus ad Dominum migraturus erat. Tristitia illi ex eius discessu affecti sunt, et eum, posquam spiritum in manus Domini tradidit, rite sepelierunt, precesque pro eo cum cantu spirituali, prout decet, fuderunt. Cuius corpus confugium evasit omnibus qui ipsum et ipsius ecclesiam adeunt.

Orationes eius et intercessio nobis omnibus adsint. Amen.

Mensis Kīhak dies decimus.

Hodie ad monasterium Vitri (ez-Zuǧāǧ) allatum est corpus sancti Severi, patriarchae antiocheni. Is nempe in Saḫā mortuus erat, in domo principis pii ac religiosi cui nomen Dorotheus (Dūrotāwos [1]). Qui dein eum, virorum fidorum cohorte stipatum, ad monasterium Vitri, a parte occidentali Alexandriae situm, navi asportandum curavit, illis *viris* praescribens ut ne in canalem ingrederentur, sed per lacum navigarent, unde in ripam exirent. Hi postquam haud procul septentrionem versus ad Qarbaṣā [2] pervenerunt, sanctum corpus secum deferentes, et ad occidentem paululum deflexerunt, aquam non invenerunt qua veherentur. Multum insudarunt ut navem pertraherent, et conati sunt fluitantem agere; sed, cum eam loco movere non possent et omnis eorum industria in irritum caderet, ancipites atque turbati remanserunt [3]. Verum Deus, humani generis amans, qui filios Israelis ab oculis hostium abscondit eosque, via per medium Mare Rubrum patefacta, traiecit, corpus huius sancti patris Severi occultavit ab haereticis, qui eundem mor-

[1] B: Dūrūtāwos; C: Dūrātāwos. — [2] B: Qarīṣā. — [3] B add.: prout scriptum est: « Conturbati sunt ii et commoti. »

tuum ac viventem odio prosequebantur eo quod sermo ipsius, gladii ancipitis instar, eorum corda confoderet. Mox autem miracula sua edidit, effecitque ut navigium aqua exigua ad sex millia deveheretur, donec locum attingerent *navigantes* ubi in terram exirent. Dein *corpus* ad monasterium Vitri adduxerunt; eoque deposito in monumento quod exstruxerat princeps dives Timotheus, gaudio exultavit orbis, imprimis vero urbs Alexandria, et ex illo corpore Deus signa atque miracula eduxit, adeo ut unus ex dentibus sancti, qui ipsi vivo ex ore exciderat et quem exceptum ac panno serico involutum monachus coenobii Vitri asservaverat, evaserit sanationis causa omnibus *aegrotantibus. Eum quippe in urbem afferebant atque p. 147.
aegrotis imponebant, qui sanabantur; atque huic sancto Deus maiorem gloriam et potestatem mortuo quam vivo contulit.

Ipsius intercessio nobis adsit.

Eadem die ad requiem vocatus est pater patriarcha Anbā Theophilus, qui, ordine sexagesimus, postquam annos quattuor et menses sex praefuit, crudeliter interfectus est.

Intercessione martyrum et sanctorum Dominus nos ab hostis infensi impugnationibus custodiat. Amen.

Eadem etiam die, obitus sancti patris Nicolai (Niqūlāwos [1]). Hic *vir* iustus, ex urbis Myrae (Mīrā) civibus, genitorem habuit cui nomen Epiphanius et matrem quae Tunah appellabatur. Iis, qui inter Myrae ditiores recensebantur et Deum valde timebant, nulla enata erat proles. Quare, magno inde moerore confecti, perpetuas Deo preces atque obsecrationes offerebant, ut ipsos prole donaret, quae parentum recrearet oculos et fortunarum haeres fieret. Sobole tamen carentes senuerant et, aetatem praetergressi liberos procreandi, animum in progenie postulanda desponderant, cum ad sterilitatem senectus accessisset. Tunc Deus, eorum misertus, eos hoc sancto donavit, quem a die natali in sanctitate perfectum constituit et in quo virtutis exordium eo signo manifestavit, quod, statim atque editus est, surrexit per duarum horarum spatium in medio stans, ut ea re indicaretur ipsius in virtute firmitas; et quamdiu lacte materno alebatur, nunquam nisi dextrum uber suxit, ut significaretur eum toto vitae tempore nonnisi ex fonte operum

[1] E: Nīqūlyūs.

rectorum bibiturum. Apostolicum quoque canonem a teneris servavit, siquidem, feria quarta et feria sexta, ante nonam diei horam mammam non appetebat. Postquam adolevit, a parentibus in ludum litterarium missus, a Spiritu sancto edocebatur quae magister non tradebat. Brevi tempore scientias ecclesiasticas didicit, et, diaconus ordinatus, se labori spirituali magis ac magis addixit. Dein, vitam monasticam amplexus in coenobio cui praeerat consobrinus eius, ibi sustinuit asceseos atque certaminis *spiritalis* modum qui humanam excedit facultatem, et propter profectum in virtute diaconus [1] ac subinde presbyter ordinatus dum aetatis annum ageret decimum
p. 148. nonum. *gratia miracula patrandi et aegrotos sanandi a Deo donatus est. Quis posset miracula quae tum vivus tum mortuus, quotidie et in omni loco, maxime frequentavit, enarrare? Age, quaedam memoremus ex iis quae in terris superstes [2] patravit.

Vir fuit in urbe eius *Myra*, dives, qui ad tantam paupertatem redactus est ut ei neque superesset unde vesceretur. Huic quattuor erant filiae adultae, quae, etsi aetatem coniugii praetergressae, propter paupertatem innuptae manserant. Porro in mentem eius incidit cogitatio immunda, a Satana virtutis inimico immissa, ut nimirum ganeam libidini exercendae aperiret et filias in ea exponeret. At sanctus Nicolaus, Deo ipsi revelante quae cogitavisset ille, ex fortunis parentum centum denarios accepit et marsupio inclusos, circa noctis finem surgens, in domum istius viri proiecit. Qui expergefactus, marsupio invento gaudens, filiam suam natu maximam nuptum collocavit. Eodem modo egit *Nicolaus* quoad secundam filiam et quoad tertiam. Sed, tertia vice, vir rem observavit, et, marsupio in mediam domum cadente, id non excepit, verum, cito egressus ut proiicientem videret, cognovit pecuniam a sancto Nicolao proiectam. Quare, ad eiusdem pedes provolutus, maximas ei gratias egit, qui salvos eos praestitisset et ab inopia fortunarum et a virtute amittenda per peccatum, quod admittere proposuerat.

Multos daemones hic sanctus expulit ex hominibus, itemque ex arboribus ingentibus, quas invaserat [3] Satanas et quibus

[1] Sic codex, inepte repetens quod de ordinatione diaconi paulo supra dictum. — [2] C add.: et post mortem. — [3] B videtur hunc sensum fundere: ... itemque ex magna arbore in qua illos (daemones) collocaverat.

homines perterrebat; aegrotos plurimos sanavit; pauculis panibus ita benedixit, ut, magna multitudine iis satiata, reliquiae colligerentur quae id quod prius fuerat superarent. Antequam ad episcopatus dignitatem eligeretur, huiusmodi visionem habuit: erecta erat sedes excelsa, prostabatque vestis sacerdotalis splendida, et quidam aderat sic illum alloquens: « Induere hac veste et sedem conscende. » Alia nocte, vidit sibi a diva Virgine casulam sacerdotalem et a Christo Domino Evangelium tradi.

Mortuo Myrae episcopo, apparuit angelus Domini archiepiscopo, nomenque et dotes *sancti* manifestavit. Qui expergefactus episcopis *caeteris* enarravit quae vidisset, omnesque, visioni fidem adhibentes et rati eam a Christo Domino repetendam, sanctum apprehenderunt et consecraverunt Myrae episcopum. Paulo post solio potitus est imperator Diocletianus, qui idolorum cultum instauravit et, plurimis fidelibus iam comprehensis, p. 149. *huius sancti fama ad se perlata, eum quoque comprehendi iussit. Illum dein annos multos acerbe cruciavit, Christo eundem ex cruciatibus incolumem educente. Quae res postquam *persecutori* taedio fuit, ab eo coniectus est *Nicolaus* in carcerem, et Deus eum conservavit, ut insignis esset in arbore fidei ramus. In carcere autem constitutus, epistolas ad gregem suum scribebat, fideles exhortans et confirmans; neque e custodia exivit antequam Deus, Diocletiano impio imperatore pessumdato, ad solium evexit Constantinum, imperatorem pium, qui omnes confessores vinctos libertate donavit. Inter eos qui exierunt hic recensetur sanctus, qui, ad sedem suam reversus, eam occupare non destitit quoad Nicaeam coactum est sacrum trecentorum decem et octo *episcoporum* concilium; fuitque hic pater unus eorum qui illuc convenerunt, Ariumque reprehendit, confutavit, excommunicavit atque eiecit. Postquam cursum complevit, gregem suum custodiens, ad Dominum migravit. Sede potitus erat annos plures quam quadraginta, et summa vitae eius ad annos octoginta prope accessit.

Benedictio orationum huius patris nobis adsit nosque in aeternum custodiat. Amen.

Scitote, fratres, die huic respondente sanctum Anbā Šurah p. 323.
martyrio affectum fuisse. Qui, ex populo *Sinsīf in finibus urbis p. 324.
Ah̲mīm oriundus, ovium pastor erat. Cum Arianus praefectus, ad urbem Ah̲mīm descendens, iussisset christianos omnes ad

se adduci, quinque milites egressi sunt et hunc puerum invenerunt pascentem oves. Quem interrogaverunt: « Quisnam es tu? » Respondit eis: « Ego christianus. » Ad eum accurrerunt, apprehensuri; et ipsum non assecuti, duos verveces arreptos et equis suis impositos abduxerunt. At ille, cum baculo ad eos reversus, eos percussit ovesque recuperavit. Qui, ad urbem reduces, rem cum praefecto communicarunt, et praefectus misso nuncio arcessivit praefectum Šinšif, cui dixit: « Iuro equidem per vitam domini mei imperatoris, caput tuum a me gladii acie amputatum iri, nisi illum adulescentulum pastorem ad me adduxeris. » Confestim recedens, praefectus *Šinšif* senioribus regionis ad se convocatis exposuit quae sibi evenissent. Ii vero, timentes ne praefectus suam regionem vastaret, sanctum Abbā Šūrah apprehensum miserunt, manibus eius post tergum ligatis, ad urbem Aḫmīm, cuius praefectus iussit eum usque mane custodiae mandari. In carcerem missus, *Šūrah* ibi invenit multos ex christianis, qui ipsius animum ad martyrium confirmarunt; et adulescens quidem in fide Domini firmus perstitit. Postero die, praefectus sedens *pro tribunali* ad se adductum sic interrogavit: « Undenam es tu? et quod tibi nomen? » Respondit: « Ego pastor christianus ex incolis Ṭanāy, in Šinšif domicilium habens, et nomen mihi Šūrah. » Tum praefectus: « Quare te, ait, ad saevam machinam comprimendis atque stringendis cruribus excogitatam [1] adduxerunt? » At ille: « Causam quidem ignoro, sed ad eam audiendam paratus venio. » Itaque praefectus, pulchritudinem iuventutis eius admiratus — erat quippe natus annos viginti octo, — dixit ei: « Multa, Šūrah, de te ad me delata sunt; sed victimas diis immola, et tibi quaecumque admisisti condonabo. Quod si mihi restiteris, magnis te cruciatibus afficiam tum propter audacem tuam in famulos meos agendi rationem, tum quia deos imperatoris non adoras. » Cui sanctus: « Me tibi consentientem sane non habebis; quiquid proin libuerit in me cito perficias. » Hanc ipsius audaciam ubi vidit praefectus, iussit equuleo impositum ita premi ut latera eius prope dirumperentur, tum praecepit ut ignis pedibus sub-

[1] Nonnisi longa quadam paraphrasi reddi potuit nomen arabicum دهق, quod notat duo ligna ita comparata et inter se coaptata ut eorum motu crura comprimantur vel conterantur.

iiceretur lateribusque admoverentur faces; ignem capiti quoque insperserunt; et omnia ista tormenta sustinuit Domino gratias agens. Putaverat praefectus eum iam mortuum esse; cum vero vivum reperissent, praescripsit ut adhiberetur acetum, tum hoc liquefactum et cum sale commixtum calefieret. Ille tamen dolores *patienter* tolerabat. Proiectus *iterum* in carcerem, *sanctus* stans et extensis manibus Dominum precatus est. Et ecce angelus Domini ei adstitit et dixit: « Confortare, delecte Dei amice, Šūrah; bono animo et corde fidentiore esto; crastina enim die corona gloriae te redimiam. » *Qua promissione p. 325. audita, Šūrah erectiore fuit animo et canere coepit, ita ut mirarentur captivi. Postridie, sedens praefectus *pro tribunali* iussit sanctum Abbā Šūrah ante se sisti; hic autem laetabundus erat perinde ac si nihil tormenti passus esset. Tum misso nuntio advocavit *praefectus* magum incantationum peritum, et dixit ei: « Solve mihi fascinum istius christiani. » « Solvam, ait ille, fascinum eius atque ipsum pudore suffundam. » Et continuo poculum veneni paravit, quod sancto obtulit bibendum. At poculo illo derepente e manibus eius elapso et effuso, inde egressae sunt viperae, quas ad se prorepentes Šūrah pede imposito conculcavit. Idcirco magus, rem admiratus, praefecto dixit: « Nulla mihi potestas in huiusmodi virum; ipse a Deo suo robur habet. » Tum Šūrah *praefectus* verbis blandis atque fallacibus aggressus est, quin eum a proposito dimovere posset. Sanctus, alapa uni militum *custodum* impacta, oculum ei effregerat atque effoderat; sed digito suo, intincto in sanguine qui effluebat, erutum tetigit ac signavit oculum, qui statim perfecte sanatus est [1]. Illico autem praefectus damnationis sententiam edixit his verbis: « Istum Šūrah pronuntio agni instar mactandum et e muro pagi ipsius ita suspendendum ut eius carnem volucres comedant. » Itaque, illo apprehenso, milites in eo fecerunt quod a praefecto iussi erant; ipseque certamen suum ac martyrium complevit, et signa atque miracula ex corpore eius prodierunt.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

[1] Prudentem lectorem iterum atque iterum rogo meminisse velit, quae in huiusmodi narratiunculis vel inter se et sibi non satis consona atque cohaerentia, vel imo absona prorsus aut absurda videantur, rerum conscriptoribus, non translatori imputanda. Cf. *Praefat.*, sup., pag. II.

p. 149.

MENSIS KĪHAK DIES UNDECIMUS.

Hodie ad requiem vocatus est sanctus Anbā Biǧīmī. Huic, qui ex incolarum Fišah [1], in dioecesi Maṣīl, numero fuit, dum puer, annos nempe duodecim natus, greges patris sui pasceret, apparuit angelus Domini, habitum adulescentuli prae se ferens, et dixit: « Age, una eamus et vitam monasticam amplectamur. » Qui respondit: « Eamus. » Et concordes Scete (Šīhāt) simul petentes, tribus monachis grandaevis occurrerunt, apud quos sanctus annos viginti quattuor commoratus est. Iis defunctis, ad interiorem deserti partem se contulit itinere trium dierum, eique daemones se conspiciendos exhibuerunt specie belluarum, porcorum nigrorum et serpentium ingentium, quae eum circumsteterunt veluti morsus illatura; sed illorum consilio [2] ex Spiritus *sancti* instinctu cognito, virtute Domini in eos exsufflavit, et dispersi sunt. Dein vallem invenit in qua tres annos habitavit, singulis hebdomadis ita ieiunans ut hebdomada exeunte pugillum acciperet dactylorum vallis, quibus, adiuncta aqua exigua, victitabat. Orationes noctu fundebat bis millenas et quadringentas, interdiu quadringentas et quadraginta; oratio
p. 150. autem haec erat*: « Pater noster, qui es in caelis. » Quattuordecim [3] annos transegit, singulis quadragesimis semel tantum comedens; imo quondam octoginta dies ieiunavit, adeo ut pellis eius ossibus adhaereret; et tunc ei attulit angelus Domini panem comedendum et aquam bibendam, quae apud eum complures annos manserunt quin deficerent. Porro apparuit ei angelus Domini in visione nocturna, praecipiens ut ad urbem patriam reverteretur. Venit igitur ad tractum urbi circumiacentem, ibique parvam sibi domunculam aedificavit, in qua solitarius vixit, atque evasit omnibus qui ipsum adirent refugii locus et pulchrum universis exemplar. Solatium *quippe* ex eius doctrinis accipiebant et religionem eiusdem aemulabantur.

Quadam die eum transtulit angelus Domini in Euphratis regionem, *cuius incolae* a recta via declinaverant, et iis ad fidem reductis, in locum suum reversus est. Alias, cum campos fertiles ripae Nili fluminis adiacentes (er-Rīf) peteret, cophinos portans venales, hosque, itinere fatigatus deposuisset, virtus

[1] C: Yanšah; F: Finšah (?). — [2] C: fallacia. — [3] B: Viginti quattuor.

Dei ipsum cum cophinis sustulit et in eum locum demisit ad quem pergebat. — Contigit quadam die ut sanctus pater Šenūdah celsissimam gemmarum columnam videret, eique diceretur: « Hic est propheta [1] Anbā Biǧīmī. » Quare surgens sanctus pater Šenūdah ad illius urbem pedes incedens se contulit. Eum facie non noverat. Sed, postquam ei occurrit atque alterum alter salutavit, volens ille (*Anbā Biǧīmī sc.*) tantulum cocti apparare, patri Šenūdah dixit: « Sume hanc seriam et imple eam aqua. » Quam cum hic implevisset et afferret, invenit hydriae aquam iam ebullientem. Tunc certo intellexit se apud Anbā Biǧīmī hospitari. Quare, iterata salutatione mutua, ei visionem enarravit qua de eo donatus fuerat, et apud eum complures dies mansit. — Quadam die, una deambulantes, hominis mortui cadaver invenerunt; quod baculo exagitans dixit pater Šenūdah: « Exsurge, qui dormis, ut nobis quae videris patefacias. » Itaque, Deo iubente, defuncti anima ad eum reversa est, surrexitque ille, atque iis se venerabundus inclinans, aperuit conditionem inferni et eorum qui inibi pro suo quisque ordine ac gradu cruciantur; illis indicavit se ex infidelium numero esse, infra se tamen in inferno multos inveniri qui, in Christum credentes, huius opera non exercuerint, sed via gentium in immunditia incesserint. » Dixerunt ei sancti: « Dormi iam et requiesce », et ad *priorem* statum relapsus est. Posthac pater Šenūdah, *hospiti* valedicens, monasterium suum repetiit.

Imminentibus diebus quibus ex hoc mundo migraturus erat, sanctus Anbā Biǧīmī famulum qui sibi aderat arcessitum ea de re certiorem fecit, praecepitque ut corpus suum in eodem loco relinqueret in quo erat. Tum febri correptus, catervam vidit sanctorum patrum sibi occurrentium et in manus Domini spiritum emisit. Quem exceperunt angeli et cantando *praece- p. 151
dentes in altum abduxerunt. Summa vitae sancti Anbā Biǧīmī septuaginta anni, ex quibus duodecim in mundo, reliquos in deserto exegit.

Benedictio precum huius patris nobis adsit. Amen.

Hac etiam die martyrium passus est sanctus Ptolemaeus p. 325.
('Abṭolomāwos), Nestorii (Nasṭuryūs) filius, in urbe Tentyris (Denderā). Erat hic filius unicus parentibus suis, opibusque multis

[1] Prophetae appellationem B et C om.

et praediis dives. Quadam die, dum forte ad montem cum militibus suis venandi causa equitans pergeret, occurrit patri Anbā Babnūdah, monacho et ascetae, qui ex monte egressus erat ut hydriam suam aqua impleret. Ad hunc autem vox de caelo venit, inclamans: « Babnūdah! » Respondit sanctus: « Quid iubes, o Domine mi? » At illa: « Respice ad dexteram tuam, et adulescentem equitantem videbis. » Conversus, vidit sanctum Ptolemaeum, pulchra veste, more filiorum regum, indutum ac multis militibus stipatum, quibuscum ad feras venandas progrediebatur. Accedentem sanctum Babnūdah cum equites repellerent, eundem conspicatus Ptolemaeus, illum versus equum illico incitavit, tum e iumento desiliens, ante illum se prostravit, neque externum eius habitum fastidiens, neque vestimentum obsoletum, neque corporis deformitatem; et postquam eum salutavit, iussit eum ab uno militum equo imponi, et *iter fecerunt ac* pervenerunt ad hortos in quibus sanctus ille *Ptolemaeus* deambulare solebat. Horum nemo unquam descripsit
p. 326. **vel describere possit* sive pulchritudinem et splendorem, sive multitudinem arborum et pomorum varietatem, sive palatia exquisitis ac multicoloribus marmoribus crustata, speculas, piscinas, fontes cum aquis salientibus, rivulos multiplicem in modum oblectandi gratia decurrentes, reclinatoria, sedes, lectulos vestibus pictis exornatos et culcitas sericas. Totum illum splendorem contuens, Babnūdah lacrimatus est. Cui regis filius: « Indica mihi, vir omni honore ac reverentia digne [1], cuiusnam rei aspectu ad flendum movearis. » Respondit ei sanctus: « Fili mi, neque propter gloriam neque propter opulentiam quae in his locis lacrymas fundo; sed quantum est pondus illius gloriae quae nobis in regno caelorum reposita est, si Domini praecepta custodierimus! » Tum Ptolemaeus: « Pater, inquit, ex hac hora tibi nulla in re contradicam, et quaecumque mihi praescripseris exsequar; sed rogo te ne me in hoc loco deseras. » Sanctus vero: « Mihi non licet, ait, apud te remanere. » At ille: « Age, me tecum in desertum assume. » Et

[1] Ita hoc loco intelligi ac verti posse videtur arabicum illud المملّك (sic enim legamus oportet, non الململّك, ut mendose cusum), quod proprie valet: nomine ملك, regis nempe vel principis, insignitus. Cf. Dozy, *op. cit.*, s. h. v.

sanctus iterum: « Patris tui furorem equidem metuo. Verumtamen si optas ad regnum caelorum via brevi pervenire, veni, mittam te in urbem Antinoen ('Anṣinā), ad virum pium, cui nomen Dorotheus (Ḍūrotāwos) [1] et qui, propter devotionis excellentiam, Lumine indutus etiam vocatur. » Huic igitur epistulam scripsit sanctus, ei Ptolemaeum commendans. Ptolemaeo autem dixit: « Caute consule animae tuae. Inimicus enim multas tibi suscitabit tentationes opera mulieris libidinosae, quae insidias in via tibi struet. Quare animam tuam diligentissime saepi et omni sollicitudine custodi, neque ex ore tuo recedat nomen Christi. Meum *quoque* nomen memineris [2], quoniam Christus Dominus Deus a cunctis tentationibus et calamitatibus te salvum praestabit. Si ad urbem Antinoen navigaveris, hostis in te navemque tuam tempestates validas suscitabit; sed salutem precare a Domino, et praesto tibi auxilium aderit. » Martyrii mentionem non iniecit, et *Ptolemaeus* ab eo valere iussus montem conscendit.

Ex illo tempore sanctus Anbā Babnūdah Dominum pro sancto Ptolemaeo deprecari solebat. Hic vero occulte et dissimulato habitu illico profectus est. Cui sese obvias dederunt matronae illae nobiles [3] de quibus praemonuerat sanctus Anbā Babnūdah, et potsquam ad Dorotheum (Ṭūrotāwūs) lumine indutum pervenit, ei epistulam tradidit; qua perlecta et iis cognitis quae in ea scripta erant, *Ptolemaeo* dixit ille: « Si te mihi dicto audientem praebueris, caelorum regnum via brevi continges. Haec quippe nostra monachorum vita aerumnis multis a Satana et ab hominibus obnoxia est. Sed age, in urbem Antinoen ingressus, Christum coram Ariano ('Aryānūs), praefecto maiore [4], confitere, et cruciatus aliquantisper sustine; coronam martyrii consequeris, immunisque eris ab hoc *nostro* vestitu

[1] ضورناوس, quod edit. arab. habet, corrige in ضورتاوس. — [2] Nisi, quod probabilius, legamus, اسمه, loco اسمي; quo casu vertendum foret: Hoc *Christi* nomen memora. — [3] Quod in textu prostat nomen: الامابر, forma est alias nullibi occurrens, quae tamen ex analogia grammatica esse possit forma pluralis nominis الاميرة. Si quis autem opponat, supra de una muliere, et quidem non de nobili, sermonem fieri, consideret ille hanc esse forsitan unam ex miris illis dissonantiis quibus passim scatent *Synaxarii* narrationes. — [4] Ad litt.: principe magno.

et eius molestiis atque certaminibus; frequens enim in eo pugna.
p.327. *Illius consilio obsecutus, sanctus *Ptolemaeus* ad urbem Antinoen profectus est, et, tempestate in navem ingruente, salvum eum praestitit Dominus. Tum, in civitatem ingressus et Christi nomen coram Ariano confessus, plurimis est affectus tormentis, quae, cum patienter sustinuisset, postremo iussus est occidentem versus abduci ad vicum Ṭūḫ-el-Ḫayl, cuius loco nunc ruinae supersunt, a septentrionali simul et aliquantulum occidentali parte urbis Ṭaḥā sitae. Eum milites ab arbore loto [1] suspenderunt, ubi, postquam dies novem suspensus mansit, illi, taedio affecti, guttur eius lanceis transfixerunt, ipseque nobile martyrium consummavit. E loto autem a qua suspensus fuerat mel apum manavit; et quicumque, aegritudine, infirmitate vel dolore laborans, ex illo comedit, ab omnibus diversis morbis convaluit; multi etiam ex heterodoxis, cum eo usi fuissent, in Christum crediderunt. Porro venerunt fidelium turmae, quae corpus *martyris* abstulerunt, et ex eo signa prodierunt atque portenta; eidemque, tempore persecutionis elapso, ecclesiam superstruxerunt, in qua miracula edita sunt.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 151.

Mensis Kīhak dies duodecimus.

Hodie memoria sancti Abū Hadrā syenitae (el-'Aswānī [2]), et memoria sancti Iohannis confessoris. Quorum orationes nobis adsint. Amen.

Eadem die, in urbem Romam convenit sacrum concilium, anno primo imperii Decii infidelis, temporibus patriarchatus Cornelii [3], papae Romae, Dionysii (Danūtīsyūs [4]), papae urbis Alexandriae, Bilātyānūs [5], patriarchae Antiochiae, et Germani,

[1] Haud abs re fuerit ex Dozy, *op. cit.*, s. v. سِدر, notare, hoc nomine designari varia arbuscularum genera, ex quibus ea quae السدر المصري nuncupatur, vulgo « jujubier lotos » vel « ziziphus lotus », stipitis est aliquanto grandioris atque robustioris. — [2] Cod. C, mendose sane: el-Kaswānī. — [3] De tribus patriarcharum nominibus mire titubant codd. Ita C, hic: Marnīlyūs. — [4] B et C, rectius: Dyūnūsyūs. — [5] Sic A. B vero: Falātyānūs; C: Malātyānūs. Inter ipsos viros eruditos ambigitur de nomine patriarchae antiocheni, quem Eusebius Fabium, Hieronymus Flavianum vocat. Cf. Mansi, *Conc. collect.*, I, col. 865-866.

Hierosolymorum episcopi. Coactum fuit hoc concilium adversus Novatum (Nobāṭos [1]) presbyterum, qui dixerat non recipi *in Ecclesiae communionem*, si poenitentiam agat, eum qui tempore angustiae et persecutionis fidem negaverit, itemque non recipi adulteri poenitentiam. Illum ab isto *errore* prohibuerat pater Cornelius; cui tamen non paruit. Quare adversus eum coegit *Cornelius* episcopos sexaginta atque duodeviginti presbyteros et diaconos ex Romae doctioribus. Quibus de illa eius doctrina cum ipso disputantibus, argumentatus est verbis apostoli Pauli in epistola ad Hebraeos [2]: « Eos qui illuminati sunt, gustaverunt donum caeleste et gratiam Spiritus sancti acceperunt, impossibile est rursus per poenitentiam renovari. » Ei opposuerunt isti patres huiusmodi demonstrationem: « Apostolus illis verbis non locutus est de eo qui poenitentiam agit, sed de eo locutus qui baptizari velit quoties peccaverit, cum tamen baptismus non nisi semel conferatur. Unde apostolus verbis memoratis haec subiunxit: « *Rursum crucifigentes sibi- p. 152. metipsis Filium Dei et ostentui habentes », demonstravitque, quemadmodum crucifixio semel fuit, ita baptismum semel ministrari. At poenitentiae sane locus; et nisi eius qui in apostasiam vel peccatum *aliud* lapsus fuerit reciperetur poenitentia, neque prophetae Davidis poenitentia recepta fuisset, neque apostoli Petri, postquam *Christum* negavit, admissa fuisset poenitentia, ac frustra ei Dominus gratiam Spiritus Paracleti dedisset, frustra ei gregem suum commisisset pascendum; nullusque eorum qui ipsius manu baptizati sunt, fuit, ex tua sententia, revera baptizatus, sed omnes pessum ierint, quae est inscitia summa. At vero instituit sane Christus Dominus poenitentiam omnibus qui in fide sua offenderint vel vitam maculaverint. Idcirco recede ab illa *tua* doctrina nefanda, illius te poeniteat, neque Deo, tibimet atque universo generi humano inimicus esse velis. » Quibus dictis cum ille non acquiesceret nec a propria sententia descisceret, eum concilium expulit et non secus atque omnes qui cum ipso sentirent excommunicavit.

Benedictio precum sanctorum patrum nobiscum sit. Amen.

Eadem etiam die, Deus — qui exaltetur! — angelo insigni

[1] B: Tyāṭos; C: Nyāṭos. Ex concilii actis, non Novatus, sed Novatianus hic memorandus fuisset. Cf. Mansi, *loc. cit.* — [2] *Hebr.*, VI, 4-6.

Michaeli archangelo, eum replendo misericordia ac miseratione, munus commisit pro universis creaturis intercedendi. Eius intercessio nobis in aeternum adsit. Amen.

p. 327. Requie donatus est praesul insignis Anbā Hadrā, episcopus urbis Syenes ('Aswān). Hunc sanctum parentes, qui christiani erant et pii, *rite* educaverunt atque ad timorem Domini Dei instituerunt, et, postquam annum aetatis duodevicesimum complevit, casto coniugio virgini ex ipsius cognatione devinxerunt. Instante autem tempore in thalamum ingrediendi, caput suum in parietem reclinavit et se excusatum voluit, dicens: « Ego infirmus; » tum, primo diluculo, priusquam campana pulsaretur, homines in ecclesia praevertit et, preces cum multitudine fundens, a Christo Domino — cuius nomini sit adoratio! — petiit ut sibi aliquid ex libris sacris praeberet audiendum quod cordis sui sensibus congrueret; et reapse ea ex libris *sacris* audivit quibus cor recreatum est. Dumque ex ecclesia egrederetur, vidit virum mortuum qui ad monasterium deferebatur, et eum cum *reliqua* hominum turba secutus est, intra se dicens: « Audi, o Hadrā: non ille hodie obiit, sed tu [1]; ego ipse mortuus sum huic mundo fluxo, qui velut umbra evanescit. Vae mihi! Utinam non essem in istum mundum fallacem, malis, tristitia ac moerore refertum, editus! » Ex illa hora domum non est reversus, sed turbae flens adhaesit donec ad coenobium pervenerunt et defunctum sepelierunt. Ipse vero, in monasterium ad fratres monachos ingressus, cum iis totum illum diem exegit. Quod cum audissent propinqui eius atque amici, eum convenientes sic deprecati sunt: « Noli nos gravi huiusmodi moerore afficere, uxorisque tuae pectus angere et contristare, siquidem Christo Domino ubicunque libuerit servies. » At restitit
p. 328. et dixit: « Fieri nequit *ut ad mundum unquam regrediar. » Illi igitur abierunt tristes atque dolentes quod ab uxore et a se ipsis discessisset.

Ipse autem sanctus Anbā Hadrā religionis operibus magnis et molestis, ascesi arduae, ieiunio absque remissione perpetuo, orationibus et genuflexionibus innumeris se dedidit. Vivebat temporibus sancti Bīmān [2], cui se addixit discipulum et a quo in ascesi religioneque, et in aedificatione ac regulis vitae monasticae *observandis* confortabatur atque confirmabatur. Annis octo transactis, eum rogavit ut sibi liceret in deserto habitare; et, ab eodem assumptus [1], in desertum ingressus ac Christum Dominum precatus de loco in quo commoraretur, speluncam invenit ubi habitavit perinde ac si ipsi divinitus praeparata fuisset; eaque magnopere gaudens, Deum glorificavit et nomen eius excelsum laudibus extulit. A magistro suo patre Bīmān postulavit vitam Antonii Magni, omnium monachorum parentis, ut inde addisceret disciplinas honestas, modumque montes incolendi et se ab inimici impugnationibus salvum tuendi. Cum illo in loco dies plurimos commoratus esset, ad eum quondam venit inimicus *Satanas,* gladio armatus, quo illius manum amputavit. Quocirca oravit sanctus ac Dominum sic precatus est: « Domine, si fuerit voluntas tua ut mancus sim, tua voluntas fiat. Ego tamen tristis, quia nemo est qui me confortet. » Illico ei adstitit angelus Domini, qui dixit: « Pax tibi, o Hadrā, amice et electe Domini. » Et accedens angelus manum apprehensam in suum inseruit locum, spuit in terram, ex sputo limum confecit atque limo totum vulnus circumlevit; quo facto manus in statum priore meliorem restituta est. Quamobrem Deo gratias egit *Hadrā,* eumque glorificavit. Die alia, cum forte serpentem ingentem in spelunca sua invenisset, Dominum supplex ita imploravit: « O Domine mi ac Praeceptor, si fuerit voluntas tua ut cum hac fera maligna habitem, in aeternum fiat quodcumque decreveris. » Et, conversus, serpentem vidit in tres partes discissum, perinde ac si gladio concisus fuisset.

Toleravit hic sanctus plurimas tentationes, ex quibus *tamen* eripuit eum Dominus; et magnum sustinuit idem sanctus certamen, neque noctu dormiens, neque interdiu quiescens. Postremo, *illinc* profectus, habitavit in cella cuius ostium sibi obturavit; et ad eum adducebantur *homines* qui gravibus morbis laborabant, qui primis lunae nascentis diebus a daemonibus vexabantur et qui frebrili tremore vel doloribus affligebantur. Ipse cum fide oleo benedicebat, hoc illi se ungebant, et confestim huius sancti Anbā Hadrā oratione ad sanitatem redi-

[1] Ad litt.: sed ego. — [2] Aequali iure posset nomen legi: Baymān.

[1] Ita, ut videtur, textus necessario vertendus, cum tamen contextus potius suadeat huiusmodi sententiam: « eo consentiente, copiam faciente ».

bant. Spiritus autem immundi clamabant: « Vae nobis! Tu nobis infestus, Hadrā. Precibus tuis nos adussisti et ex desertis expulisti. » Illum quadam die convenerunt homines ex Syria (eš-Šām), qui, eo salutato et benedictione ab eo accepta, eundem interrogaverunt de quaestionibus obscuris ad libros sacros spectantibus; harumque solutione atque explicatione sibi ab illo exposita, dixerunt: « Montes multos circumivimus;
p. 329. coenobia, *doctores et philosophos invisimus, neque ullum invenimus qui nobis istas quaestiones explanaret sicut hic sanctus pater Anbā Hadrā. » Huius quippe si nomen memoratum audissent, daemones aufugiebant [1]. Mortuo autem urbis episcopo, surrexerunt cives, et universi, in unam concurrentes sententiam, ad monasterium se contulerunt ac monachos ex Syria oriundos convenerunt atque salutaverunt. Quibus dixerunt monachi: « Neminem unquam vidimus huic patri sancto parem; ei non congruit nisi episcopi munus ad gregem Christi pascendum; eidem committetur Ecclesia Christi. » Tum illi inter se in monasterio de sancto consultarunt, ut nempe eum episcopum suae civitati consecrarent; et continuo, cellae ianua vi aperta, illum invitum apprehenderunt, Alexandriam adduxerunt et episcopum, quamvis reluctantem, manu patris patriarchae Anbā Theophili consecrarunt. Ipse, ut primum urbem ingressus est, operam dedit plebi exhortandae et ad vitae leges instituendae, signa multa et miracula innumera patravit, magnoque *omnibus* gaudio fuit; et postquam vitam decoram gloriose atque honorifice complevit, spiritum eius exceperunt angeli et, praecedentes ac carmina spiritualia decantantes, deduxerunt, donec in Ecclesiam primogenitorum caelestium [2], quietis et gaudii sedem, introducerent.

Ipsius oratione Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 152. MENSIS KĪHAK DIES DECIMUS TERTIUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Waršanūfyūs [3], temporibus Moslemorum. Erat ille [4] in ecclesia ez-Zahrī, *quae* inter

[1] Forsan et haec enunciatio a Syris prolata fuerit; quod si quis admittat, vertendum ei erit: ... audierint ... aufugiunt. — [2] Cf. *Ep. ad Hebr*, XII, 23. — [3] B, D et F: Baršanūfyūs; C: Barṣīnūfyūs; E: Baršanūfyas. — [4] B et C add.: monachus.

Miṣr et el-Qāhirah ad canalem *sita est*. Multis cruciatibus affectus est ac postremo coronam martyrii obtinuit.

Eadem die requie donatus est pater Abrākos [1]. Is, ex Aegypti superioris populo oriundus, viginti annos natus, vitam monasticam amplexus est, in qua perfectum sustinuit certamen. Ubi autem Satanam pertaesum est pugnae cum eo committendae, ei sese praesentem ipse exhibuit et dixit: « Adhuc supersunt tibi quinquaginta anni. » Quibus verbis volebat fastidium ei ingerere. *Senex vero illi respondit: « Moerore me afficis: p. 153.
putabam equidem me centum annos dehinc victurum, et idcirco remissius me gerebam; at si res ita se habet, age, ante mortem fortiter decertemus! » Duplicato exinde certamine, eodem anno ad Dominum translatus, perpetuam obtinuit quietem, postquam annos septuaginta in religione degerat.

Huius patris oratio nobis adsit nosque custodiat. Amen.

Item hac die, memoria consecrationis ecclesiae sancti Misaelis (Mīṣāyīl) prophetae [2]. Praeerat nempe monasterio el-Qalamūn abbas cui nomen Isaacus, regendi munere optime fungens. Profitebatur, sese nulli monachorum vestem monasticam impositurum nisi praemissa diligenti de moribus eius inquisitione et nisi postquam *idem*, alicui seniorum scientia conspicuorum [3] commissus, *apud istum* libros Ecclesiae atque imprimis centum et quinquaginta psalmos legisset. Illum quadam die adiit adulescens, annos duodecim natus, vitam monasticam ambiens. Qui, postquam, monachorum ritu, vultum signo crucis signavit, genibus coram abbate flexis, dixit ei: « Pater noster Anbā Isaace, ex amore Christi Domini me miserum suscipe, ad salutem animae meae adiuva atque in numerum refer filiorum tuorum. » Admiratus abbas Anbā Isaacus se ab illo proprio compellatum nomine, interrogavit: « Quisnam nomen meum tibi manifestavit? » Respondit adulescens: « Ex gratia quae in corde tuo est id compertum habui. » Dixit ei abbas: « Asside; Deus — cui sit laus! — efficiat te sibi templum sanctum quod inhabitet. Mihi, fili, quae ad te attinent expone omnia. » Tum adu-

[1] Posset etiam legi: ’Abrāx; C: Barākos, vel: Barāx. — [2] Hanc vocem F om. — [3] In textu legitur: العلمانيين, quod proprie valet: saecularium seu laicorum. Sed ratione habita negligentiae amanuensis in tota hac narratione, haud improbabiliter coniicitur scribendum fuisse: العالمين, vel: العلماء.

lescens: « Tibi, ait, pater, confiteor genitorem meum hominem fuisse mundi amantem, qui huius voluptatibus atque divitiis a Dei — cui sit laus! — religione detinebatur. Nulla erat illi proles et ea re dolebat. Quadam die hospitio excepit monachum sanctum et grandaevum, apud quem conquestus est tristitiam suam eo quod prole careret, quae suarum opum haeres esset futura; ipse enim ditissimus erat. Cui monachus senior: « Corrige, inquit, tuam ad Deum, generis humani amantem, viam, et te sobole benedicta donabit. » At pater meus: « Quomodo viam meam ad Deum corrigam? » Respondit ei senex: « Vitam ages monachorum, quae nimirum huiusmodi sit: quotidie usque ad horam nonam ieiuna; neque carnem comedas neque vinum bibas, nisi dimidiam mensurae aegyptiacae **raṭl**[1] p. 154. partem, *propter corporis tui debilitatem, ut monet Apostolus[2]; orationes tum diurnas tum nocturnas, imprimisque mediae noctis orationem, frequenta; a sancta ecclesia ne discedas, et sit tibi sacerdos cuius consilio in omnibus negotiis tuis utaris. Quod si haec una cum uxore tua feceris, quod optas consequeris, quoniam[3] mors proxima est. Quare pater, sibi sollicite consulens, cum matre mea ea omnia peregit quae praescripserat monachus senior, et mater illa ipsa hebdomada concepit, prout mihi ipsa narravit. Cum sex aetatis annos attigissem, mortui sunt parentes et ad Christum migraverunt. Tum me convenit pater episcopus et, me consolatus meique curam agens, in ludum litterarium me misit et fortunas omnes quas dereliquerat genitor meus procuravit. Postquam autem sacros Ecclesiae libros ego misellus didici, vitam monasticam exoptavi. »

Qua adulescentis narratione audita, eum abbas seniori ad laborem alacri laetabundus commisit. Eundem autem ubi sibi commendatum suscepit senior ille, vehementer admiratus est quae in eo vidit, eius nempe certamen, ascesim, et in Libris sacris perscrutandis assiduitatem. Paulo post abbatem adiit senior, certioremque fecit de toto adulescentis certamine. Hunc abbas tunc arcessitum, orationibus super eum praemissis, veste monastica et schemate sacro induit, eique praecepit pater *abbas*

[1] Pondus et mensura pro locorum ac temporum diversitate diversa. — [2] I *Tim.*, v, 23. — [3] *Synaxarii* concinnatores particulas causales passim usurpant, etiamsi nulla relatio proprie causalis intercedat, loco particularum mere copulativarum.

ut in domunculam solitarius recederet. Qui statim ac solus in domuncula versatus est, coepit sibi ipse stimulos addere, dicens: « Cognosce, o anima, pretium nobilitatis et doni quae Deus tibi hora hac contulit, siquidem isto habitu quem induisti in censum exercitus sanctorum angelorum relata es. Procul esto nunc ab omnibus mundi voluptatibus et cupiditatibus. Vestis tua semper lanea sit atque obsoleta. Nihil novi unquam indue, sed pannus detritus corporis pudenda contegat. Cave ne corpori isti mortuo imperium in te concedas. O anima mea, patienter feras omnes quibus oppressa fueris calamitates atque aerumnas. A quo enim plantata fuerit patientiae arbor, ei haec fructum edit victoriae ex universis hostibus, idemque triumphum reportat; et fortunatorum fortunatissimus ille est qui, in altum se attollens, Deum timet atque *omnia* cum timore eius operatur. Qui vero pigritiae arborem plantaverit ex ea fructum colliget paupertatis atque indigentiae, et sane is existimandus miserorum miserrimus, qui ad aliquid se attollit cui par non sit. » Porro quidam ex fratribus, cum haec et alia verba ab illo saepius prolata audisset, existimans[1] eum ab hoste Satana oppugnari, ianua eius pulsata, stantem invenit ac mediae noctis orationi vacantem, et cum eo oravit; tum, mutua benedictione data et accepta, ille ei dixit: « Frater, cum vituperationes audivi quibus te ipse reprehendebas, putavi *te p. 155. ab hoste, prout solet, oppugnari. » Respondit *Misael*: « Noli mihi timere, Deusque tibi per illum propitius sit qui docuit oratione, si corde ardenti fundatur, Satanam fugari. » Ille igitur, Deum laudans, inde discessit. Longo post intervallo temporis, idem frater, ad eum invisendi gratia reversus, eum invenit stantem atque his orantem verbis: « Deus mi, salvum me fac et respice humilitatem meam ex peccato meo ortam; nam pater meus et mater dereliquerunt me, sed Dominus assumpsit me.[2] » Corpus autem eius extenuatum erat ac simile evaserat baculo igne arefacto vel adusto. Quare lacrymatus est *frater*. Cui *Misael*: « Quidnam te ad flendum movet? » Respondit: « Quomodo possem non flere, qui, eo tempore quo ad

[1] Ita, si حسب pro حتّى legendum sit, quod probabilitate haud caret. Textum, qualis iacet, liceret forsan sic interpretari: perinde ac si ... oppugnaretur. — [2] *Ps.* XXVI, 16.

nos ingressus es, pudore prohibebar, propter formae pulchritudinem, ne te aspicerem, et nunc te video ita exaruisse? » At ille: « Gratias Deo, qui lumen oculorum mihi et aurium auditum largitus est, ut libros sacros perscrutarer et divinam praedicationem audirem, qui dedit etiam — ipsi grates habeantur! — vires ad perstandum in oratione. »

Porro abbas, de omnibus operibus asceticis fratris *Misaelis* certior factus, eum adiit atque confortavit. Dixit igitur frater Misael abbati: « Pater sancte, scito post tres *dies* [1] ad te venturas esse catervas turmis militum similes, quae me a te requirent. Eas noli a proposito prohibere, ne tibi omnibusque fratribus noceant et monasterium evertant. Neque formides; haec est enim voluntas Dei, cui sit laus! Scito etiam, anno *abhinc* secundo [2] defuturam annonam, et me ad te *eodem* anno secundo rediturum; et noli timere. » Sermonem fratris cum audisset abbas, ea in re non cunctatus est [3], sed properavit plurimam tritici et frumenti annonam emere. Paulo post advenit eorum turma qui militibus similes erant, et abbatem apprehensum vinculis constrinxerunt, volebantque monachos interficere et monasterium evertere. Tum egressus est ad eos frater Misael [4]. Postquam autem audivit praefectus *invadentium* [5] plurimam annonam in monasterio asservari, monasterii incolumitati consultum voluit et universam annonam obsignavit. At subito advenerunt milites *alii* multi, qui praefectum e monasterio spe deiectum expulerunt. Tum egressus abbas et turmae *defensorum* adventum suavissimum optatissimumque esse testatus, aliquid comedendum eis obtulit. Qui responderunt: « Nulla re nobis opus est. »

Et unus quidem ex illis, ad me [6] accedens et manu apprehensum seorsum abducens, mihi dixit: « Pater, ego filius tuus

[1] In textu nullum temporis nomen, ita ut coniiciendo vel dies, vel hebdomadas, vel menses supplere possimus. — [2] I. e., proxime futuro. — [3] Vel: non caligavit (?), - eam hic verbo قبل vim tribuendo, qua quamdam oculi obliqui deformitatem notat. — [4] Aliquid ad relationem complendam desiderari videtur. — [5] Verbum hoc perspicuitatis causa addendum erat, nisi tamen de facto ab antegressis prorsus distincto iam sermo sit; quod aliquis, ratione habita narrationis probabiliter mancae et solito inconcinnioris, haud temere suspicatus fuerit. — [6] Mutata ex improviso narratoris persona, ipse abbas de se loquens inducitur. Cuiusmodi mutatio infra semel atque iterum recurrit.

Misael; haec autem militum multitudo ascetae sunt, inter quos recenseor. » Tum ab eo petiit [1] ut iis ipse adiungeretur; cui ille: « Remane in tuo ministerio; haec est enim Dei voluntas tibi proficua. » Subiunxit dein Misael: « Rem mihi pergratam fac, quaeso, adeundo nempe patrem episcopum Anbā Athanasium, *in regionem in qua adulevi, eique verbis meis man- p. 156.
dando ut tibi genitoris mei opes tradat. Ille, per gratiam quae ei inest, omnes divitias tibi committet; tu vero mihi ecclesiam nomine meo dedicatam aedifica et, ubi ecclesiae exstruendae finem feceris, consecrationem eiusdem celebra. » Et cum patrem episcopum adiissem [2] ego Isaacus miser, facultates sibi commissas mihi tradidit. Erant autem auri librae (miṯqāl) septingentae pondo, argenti albi drachmae (dirhem) nongentae, item librorum volumina corio compacta, et pecorum capita quingenta, praeter domus supellectilem, ornamenta aurea et argentea atque vasa bene multa. *Tum* domum in qua habitaverat *Misael* et quae eam circumstabant solo aequavi [3], et, pulchra eo in loco ecclesia aedificata, patrem episcopum Anbā Athanasium, coetum *aliorum* episcoporum, sacerdotum atque principum, et omnes quotquot e plebe christiana praesto erant, convocavi; dumque episcopi ecclesiam consecrarent, en filius meus Misael et ascetae universi advenerunt ut ecclesiae consecrationi interessent, et baculi quos manibus gerebant erant cereorum luce lucidiores. Accedens autem filius meus Misael, postquam me salutavit, mihi dixit: « Paratus esto: anno secundo [4], die huic respondente, requie donaberis et ad Christum Deum nostrum migrabis. »

Preces sanctorum illorum, iustorum atque perfectorum, qui memorati sunt, et universorum sanctorum martyrum nobis omnibus adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti Christoduli ('Aḫristūdūlos) [5]. Hic sanctus ex urbe Heliopoli (ʿAyn Šams) oriundus et aurifex erat. Eum quadam die adiit puella formae venustae, pulcherrima, ei vasa aurea confracta afferens, et, quia cor ipsius inimicus Satanas invaserat, coepit illum fallaciter circumvenire. Itaque ex amore quo in eum flagrabat, corpus suum eidem

[1] Reditur ad priorem narratoris personam. — [2] Reducitur abbas de se ipse loquens. — [3] Ad litt.: separavi, dispersi. — [4] I. e., proximo. — [5] Cod. F: 'Aḫristū aurificis.

manifestans, dixit: « Magister, fac hisce digitis annulos, his manibus lunulas, huic pectori crucem et his auribus inaures. » *Mox vero* coepit eum sibi ipsa postulare. Qui respondit ei: « Equidem hodie infirmus sum, sed cras fiet voluntas Dei. » Et continuo surgens, iis omnibus assumptis quae sibi erant, aurificinam clausit et, domum regressus, coepit se ipse his verbis increpare: « O anima *mea*, robustior non es sanctis illis qui, ex mundo aufugientes, deserta incoluerunt, quales fuerunt sanctus Macarius (Maqāryūs), et Antonius, et Pachomius (Baḫūmyūs), et alii. Obedi mihi, si te vis salvam: fuge ex hoc mundo, et salutem consequeris. » Matri autem enar-
p. 157. ravit *quae sibi evenissent, eamque multis cum lacrymis rogavit ut sibi per eam liceret desertum petere. Quae respondit: « Si quidem res eo modo se habent quem exposuisti, me primum alicui committe monasterio, et Dominus tecum sit. » Matrem in monacharum coenobium duxit, eamque abbatissae commisit una cum opibus quibus sustentaretur, et quae superfuerunt accepit atque pauperibus distribuit; tum ad montem profectus, in progrediendo ita festinus fuit ut, Deo providente atque auxiliante, trium dierum iter uno die emensus, tres viros aspexerit manibus tenentes baculos quibus impositae cruces solis instar fulgentes. Hos adiit et, oratione cum eis persoluta, benedictione ab iis donatus et coram iisdem prostratus, rogavit ut se eo ducerent ubi animae suae salutem consequeretur. Qui responderunt: « Forti animo esto in proposito tuo, veni nobiscum, et Dei voluntas adimplebitur. » Dixit eis: « Patres mei, baculi vobis sunt quibus innitamini, ego autem baculo careo. » At illi: « Celeri incede gressu, et Dominus tibi vires suppeditabit. » Itaque cum iis iter fecit, corde confirmatior propter signum crucis illorum baculis impositum. Postero die, cum ad vallem venissent in qua arbores frugiferae, ei ex illis arboribus baculum absciderunt. Quos sic compellavit: « Ubinam, patres mei, crux baculo meo, non secus ac vestris, imponenda? » Tunc unus ex illis lignum tenue apprehendit et in figuram crucis conformatum baculo imposuit, cui apprime adhaesit. Baculo accepto, *Christodulus* iis gratias egit ac Deum — cui sit laus! — glorificavit, et eo ipso tempore evanuerunt neque illos iam aspexit, eorumque discessum aegerrime tulit[1].

[1] Ita, supplendo voculam quae rei gravitatem seu molestiam significet. Textus quippe mancus et hunc tantum sensum per se fundit: eorumque separatio fuerat plurimum... — [1] Supra memoratarum. Aqua vero et ipsa, arborum frugiferarum mentione, implicite memorata fuit. — [2] Vel: contrahebantur (?). Arabice enim usurpatur verbum انطوى, quod proprie valet: plicatus fuit, ideoque contractus.

Coepit autem per vallem solus incedere, psalmos recitans, et vespere, oratione praemissa, ex illarum arborum[1] pomis aliquid comedit, aqua illa dulci sitim restinxit, Deumque laudavit, qui de creaturis suis sese tam sollicitum exhibet. Haec ipse dixit: « Credite mihi, patres mei et fratres, baculus quo me donaverant duo illi *comites* benedicti mihi noctu praelucebat non secus ac lux diurna, et dum iter facerem illum baculum manu tenens, non defatigabar, spatiaque extensa mihi *quasi* evanescebant[2]. Ita porro in illa valle annos multos commoratus sum. Sed inimicus, specie viri Berberi *assumpta*, homines perversos convenit, quibus dixit: « In valle thesaurus ingens, quo potitur adulescens unus; me sequamini, ut illum vobis ostendam. » Subsecutos igitur ad vallem *petendam*, duxit in montem excelsum, unde, vallem adspicientes, aditum quo ad eam descenderent non invenerunt, eo quod vallis orationibus sanctorum ascetarum protegeretur; et in summo monte haeserunt sitibundi. Inimicus vero, facie *monachi grandaevi p. 158.
et infirmi dissimulatus, mihi dixit: « Fili mi, hominum turmam in summo monte circumerrantium in vallem adduc, ut, paululum aquae bibentes atque pauculis harum arborum pomis refecti, superstites esse queant. » Itaque surgens, cum illos adire vellem, oratione a me praemissa et signo crucis delineato, *qui me alloquebatur*, quasi in fumum versus, evanuit. »

Quotiescumque inimicus eum dolose conveniebat, sanctae crucis signo adhibito fugabatur. Postquam annos plurimos in religione transegit *Christodulus* et ad senectutem bonam pervenit, de die translationis suae ad Dominum quem amaverat praemonitus, a Domino postulavit ut praesentem haberet unum ex senioribus ascetis desertum incolentibus, a quo ante obitum benediceretur. Et ecce viri tres qui ipsum in vallem duxerant ad eum venerunt, baculis quos manibus gerebant splendentibus. Illos agnovit iisque obviam progressus est, et precibus simul fusis mutuaque benedictione data et accepta, sederunt illi, eique dixerunt: « Dominus te ad nos direxit; enarra nobis totam

vitam tuam, a nobis utilitatis fratrum nostrorum christianorum gratia conscribendam. » Postquam iis totam vitam suam enarravit, paulisper aegrotavit, decubuit et mortuus est. Illi, surgentes, preces super corpus sanctum fuderunt, idque terrae mandarunt.

Illorum omnium precibus Dominus nostri misereatur et peccata nostra condonet. Amen.

p. 329. Hodie martyrium passus est sanctus 'Ūsāfyiūs [1], Moslemorum temporibus. Is, qui monachus erat in ecclesia Abū Mīnā ez-Zahrī, magnum sustinebat certamen, singula bidua ieiunans, precesque et genuflexiones praestans innumeras. Profectus est et Christi nomen confessus. Quem apprehenderunt atque multis affecerunt cruciatibus; et postremo, capite sibi amputato, martyrii coronam obtinuit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eadem die, in monte Samhūd, ad requiem vocatus est sanctus pater spiritualis, asceta insignis, Anbā 'Īlyās. Huius parentes, ex vico extra el-Fayūm sito, viam insistebant mandatorum et legum Domini, ac singulis mensibus, die Elisaeo prophetae sacro, convivium atque solemnia celebrabant, invitabantque pauperes, viduas, orphanos, solitarios, egenos, homines indigentia atque inopia laborantes, quibus cum gaudio inserviebant.
p. 330. *In media autem adstantium turba duos senes videbant, per domum incedentes et omnibus rebus inibi contentis benedicentes, qui Elias ('Īlyās) et Elisaeus erant. Neque destiterunt ab eiusmodi beneficio donec aetatem provectam attigerunt. Nulla erat eis proles et ea de causa moerore afficiebantur. Ecclesiam igitur adeuntes, Dominum his verbis deprecati sunt: « O Domine Deus, sobolem largire nobis, quam ante mortem videamus, haeredem facultatum nostrarum futuram, et quae bona et recta coram te sit. Tu omnium rerum potens. O rex caelorum, o Domine virtutum, o qui audis invocantes et postulationes exaudis, respice nos, nostrique misertus, eleemosynam largitionis tuae concede et cordium nostrorum votum adimple. Tibi gloria in saecula saeculorum. Amen. » Itaque Dominus, tristitiam cordium eorum, gemitusque ac preces plurimas respi-

[1] Cf. supra, p. 214, relationem de sancto Waršanūfyo ex plerisque codd. expressam.

ciens, ad eos archangelum Michaelem habitu monachi indutum misit, qui dixit eis: « Pax vobis. Rationem habuit Dominus lacrimarum vestrarum, gemituum, eleemosynarum atque operum misericordiae, vobisque filium concessit, cui nomen imponetis Eliam et in quem spiritus Eliae prophetae descendet. Is erit magnus, deserta incolet, et, iustus coram Domino, prodigia et miracula non secus ac patres apostoli patrabit. » Ea re magnopere gaudentes, dixerunt ei: « Frater noster benedicte, nomen tuum nobis indica ut, cum ea adimpleta fuerint quae promittis, beneficii tui recordemur. » Qui respondit eis: « Ego sum Michael archangelus, meque misit Dominus ut vobis annunciarem quae de puero illo proxime eventura sint. » Perterritos igitur et ex timore in facies suas prolapsos archangelus erexit, formidinemque ab eis depulit, et, pacem iis precatus, in caelum ascendit.

Aliquanto post concepit mater huius sancti et laetabunda atque exsultans Deum glorificabat, nomenque eius sanctum ac gloriosum laudibus extollebat, dicens: « Prodigium istud magnum considerate, mulierem aetate *ita* provectam uterum gerere! » Elapsis ei novem mensibus, hoc vas electum peperit, cuius die natali ingens fuit gaudium et cui nomen Heliam (Helyās [1]) imposuerunt *parentes*, quemadmodum angelus Domini praemonuerat; lautumque convivium pauperibus, egenis et afflictis apparaunt. Postquam autem complevit mater numerum *dierum consuetum* [2], puerulum ad ecclesiam attulerunt, eo vehementer gestientes, quippe cui gratia Dei inerat. Eundem porro optime educarunt et ad ludum litterarium in urbem el-Fayūm adduxerunt, ubi paucis diebus tantum in discendo profecit ut eos qui ipsum *tempore* antecesserant superaret. Unde ei inviderunt parvuli, inter se *contra eum* colloquentes; sed et scholae monitores eum invidia et odio propter ingenii acumen prosecuti sunt. Erat autem in ludo parvulus quidam, filius unius magnatum, aureum collo gestans monile. Tempus igitur aucupati quo ludimagister egressus esset, mo-

[1] Paululum nempe mutata priore nominis forma; et ita fere in subsequentibus. — [2] Ita, si in textu legatur: العِدّة, cum kasrah; si vero, quod aeque probabile, legeris: العُدّة, cum ḍāmmah, vertendum erit: postquam... res necessarias perfecit.

nitores illi invidiosi *primum* ancipites haeserunt quid in adulescentulum Heliam molirentur, tum, cum parvulum illum p. 331. *nobilem* vino inebriassent, *monile ab eo detractum abstulerunt et in cubili adulescentuli Heliae absconderunt. Postero die, parvulus expergefactus, monili non invento, clamores edidit, reique fama ad magistrum perlata est. Tum iis [1] comminatus est magister. At vero qui in malum conspiraverant, hoc est monitores, procedentes magistrum hisce allocuti sunt: « Nobis in animo est parvulorum cubilia explorare; » et, copia sibi a magistro facta, explorationem instituerunt et monile in Heliae stragulo repererunt, quod erat peristroma pretiosum; parenti namque sibi in urbe Alexandria munera afferenti praefectus alexandrinus dono dederat torale illud itemque pulvinar, dilecto filiolo Heliae usui futura. Adstitit igitur adulescentulus *Helias* coram magistro, qui eum sic compellavit: « Fili mi, quale est facinus istud malum ac probrosum quod audivi? » Respondit puer benedictus: « Magister, tale quid quomodo admisissem, te nos semper admonente ne rem quamvis proximi appetamus, et Domino in suo Evangelio edicente: Non occides, non adulterium committes, non furaberis? » [2] Tum longa oratione disseruit, ita ut obstupesceret magister. Parvulis autem *e schola* dimissis, horum unus, dum domum pergeret, a serpente morsus et illico mortuus est. Adulescentulus Helias, et ipse egressus, coetum inveniens circumdantium illum parvulum *mortuum* et flentium, *caeteris* parvulis dixit: « Aditum mihi pandite, » iisque paululum submotis, Dominum supplex oravit, et surgens puer, *qui mortuus fuerat,* adstantibus quaecumque vidisset atque contemplatus fuisset enarravit. Quibus auditis, magister veniam ab adulescentulo *Helia* petiit et omnia quae evenerant valde admiratus est.

Quotidie proficiebat puer Helias in actibus bonis atque virtutibus exercendis; et fama ad se delata de viro sancto qui desertum incoleret, hunc adiit et cum eo habitare voluit. Cui vero ille sanctus: « Non ita res se habebit. Verum, ad coenobium patris nostri Abū Pachomii profectus, apud eum monachus fias. » Illi igitur valedicens et ab eo digressus, occurrit in via Michaeli archangelo, quem interrogavit: « Quo tendis,

[1] Omnibus nimirum alumnis. — [2] Marc., x, 19.

frater? » Respondit ei ille: « In Aegyptum superiorem. » Ea re valde gaudens, puer Helias ab eo ad monasterium Abū Pachomii in Fāwu adductus est, ubi, sacro indutus schemate vesteque angelorum obarmatus, se multis religionis operibus dedidit et ascesim maxime arduam obiit. At postquam vidit memoriam sanctam [1] commutatam [2] esse, et dissensionem atque discordiam in coenobio *vigentem*, *inde* egressus, montem Šāmah conscendit, in quo biennium exegit; dein ad montem Benhadab transiit, ubi aliquandiu commoratus est. Inde etiam digressus, ad montem Diospolis Parvae (Hū [3]) pervenit, et cum animo esset perturbato, apparuit ei angelus Domini, admonens ut ad montem Farǧūd se conferret. Itaque illuc commigravit et ibi habitavit, arduis religionis operibus, ieiunio perpetuo atque vigiliis multis fortiter dimicans, herbisque deserti semel singulis hebdomadis vescens. Quadam die, eum convenit inimicus *eique dixit: « Quam dignus es tu qui eo cibo vescaris quo p. 332. utuntur homines! Verum alimentis animalium pasceris! » Et herbam a sancto operose collectam abstulit et dispersit. Quem sanctus his verbis increpavit: « Dominus Deus robur tuum confringat. Visne tibi saginem corpus istud quod terram mox foetore implebit? » Tum ille aufugit, magno suffusus pudore, sanctoque princeps angelorum Michael apparuit et dixit: « Pax tibi, Elia alter; quoniam Satanae ruborem intulisti, audivit Dominus petitionem tuam, et ieiunium atque preces acceptas habuit. » Eum sanctus sic rogavit: « Domine mi et magister, exopto [4] . . . . Mār Zakā, discipulus Mār Matthaei (Mattā), quoniam sanctus Anbā Matthaeus mortuus erat. Iussit ab ea ecclesiam martyrum nomine aedificari; praecepit ut eadem illius *viri* [5] et sororis eius corporibus coenobium superstrueret, futurum monachorum domicilium; et postquam ipsa perfecit quae praescripserant illi, patri eorum regi Dominus sanitatem largitus est. Monasterio autem illorum *martyrum* nomine aedificato, cryptam in eo foderunt subterraneam, in quam sanctorum corpora demiserunt, imposita lecto gemmis pretiosis

[1] Fundatoris, ut videtur, atque regularum. — [2] I. e., deminutam vel depravatam. — [3] Vel: Haw (?) — [4] Manifesta hic occurrit in textu lacuna, ad quam vel conjectura supplendam ne leve quidem praesto est indicium. — [5] Voculam hanc inserui ut indicarem, contexta oratione deficiente, pronomen suffixum arabicum masculini esse generis.

ornato; eidemque lecto vinculum et catena adnexa. Cuicumque homini inesset spiritus immundus, illum, ad sanctorum corpora adductum, catena illa vinciebant et vinctum abeuntes relinquebant; ad quem postero die revertentes, eum vinculis absolutum, catena exemptum et a spiritu maligno liberatum inveniebant; et is rerum status ad nostram usque aetatem permanet. Hoc vocatur monasterium Cryptae [1]. Quo tempore aqua in illo coenobio carebant, adveniens ex Orientis regionibus mercator quidam opulentus coenobium inspexit, eumque certiorem fecerunt de miraculis atque prodigiis quae ex sanctorum corporibus prodibant. Erat autem in ipsius comitatu servus quem magnopere diligebat et qui ab immundo spiritu vexabatur. Istum igitur corporibus sanctorum admoverunt, quattuor *aliis* famulis ipsum continentibus ne cui noceret, et, cum eum in conspectu corporum sanctorum martyrum reliquissent, sanitatem ei restituit Dominus. Mercatori ea re gaudenti martyr apparuit praecepitque ut pulchram aedificaret ecclesiam; « et ego, ait, tibi promitto ac spondeo, id tibi a Domino imputatum iri tamquam peregrinationem [2] ad Hierosolymorum urbem susceptam. » Expergefactus *mercator* missis nuntiis architectos atque caementarios arcessivit et ecclesiam martyrum nomine exstruxit, in qua Dominus miracula et prodigia multa edidit. Cum vero, propter multitudines plurimas eo confluentes, aqua in cisternis deficeret, martyrum intercessione Dominus fontem aquae in ipso monasterio revelavit, quae revelatio magnam monachis attulit tran-
p. 333. quillitatem quoad *praetereuntes, viatoresque et eos qui festi causa *illuc* conveniebant. Quicumque vero illa aqua lavabatur ab omnibus morbis ac doloribus quibus laboraret sanus fiebat.

Eorum precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eadem etiam die, martyrium praesulis pii, egregii, perfecti, insignis, Amunius ('Amūnyūs), episcopi urbis Latopolis ('Asnā). Sanctum hunc, cum et mores eius honesti essent et fama miraculaque late vulgata, consecravit sanctus Anbā Petrus, patriarcha, urbis patriae episcopum. Qui, postquam huc pervenit, specum sibi in summo monte fodit et monasterium exstruxit a

[1] Arabice: el-Qalıu. — [2] I. e., tanto merito tributum iri tibi quanto peregrinationem.

latere arundineti [1], ubi aquae fluentis alveus. E monte descendebat die sabbati et, nocte dominicae transacta, populum civitatis ad se confluentem edocebat; si cui esset causa iudicialis, de hac sententiam dicebat, atque, in eo loco usque ad feriam secundam moratus, ad speluncam in monte sitam revertebatur et in ascesi ac religionis operibus perseverabat. Cuius considerans Dominus egregium certamen tum nocturnum tum diurnum, eum voluit populo suo in regno aeterno aggregatum.

Ea tempestate in Aegypti superioris regiones advenit Arianus praefectus, qui navi usque ad urbem Syenen ('Aswān) delatus est. Christianos persequebatur et ad sacrificia vilibus idolis offerenda cogebat. Iste, ubi ad loca urbi Latopoli adiacentia pervenit, obvios habuit adulescentes, quibuscum iumenta melopeponibus onerata. Qui, a militibus interrogati, responderunt: « Christiani sumus. » Quare eos apprehenderunt milites, et ea re audita, *adulescentium* mater ad eosdem accurrit, eorumque corda confirmavit, dicens: « Iesum Christum nos magis quam idola abiecta, lapidea ac muta diligimus. » Itaque iussit princeps illos in carcerem coniici. Media autem nocte matri eorum Domina nostra Virgo apparuit, dixitque: « O fortunatam mulierem, cuius et filii Sarūs, Harmān, Bānūf et Basṭāy felices! Te tuosque filios Filius meus dilectus ad regnum suum caeleste vocat. » Atque eam consolata et pacem ei precata, *Dira Virgo* ad caelos ascendit. Postero die, princeps praecepit ut illi coram se sisterentur, et praesentes sic interrogavit Arianus princeps: « Offeretisne incensum diis, annon? » Qui conclamantes responderunt: « Christiani palam sumus. » Itaque capitibus acie gladii amputatis, sanctum martyrium die mensis bašons sexto consummaverunt. Eorundem corpora collecta fideles sepelierunt in domo sua, quam, postquam finem accepit persecutio, ecclesiam constituerunt, et in qua hodieque miracula eduntur et prodigia.

Illorum benedictio nobis omnibus adsit.

Ariano ad urbem Latopolim iterum reverso et in balneum ingredienti obviam venerunt principes quattuor, scribae et ma-

[1] Sic verti posse visum est arabicum الحلف, quia nomen unitatis, quod vocant, حلفة, a lexicographis passim vertitur: iuncus, canna, arundo; quanquam plantae genus accuratius definiri nequit. Cf. Dozy, *op. cit.*; Lane, *Arabic-english Lexicon*, s. h. v.

gistratus civitatis, quorum haec sunt nomina: 'Usāfyū [1], Yam-
p. 334. māl, Harūs et Baḥnīš; illoque salutato, *certiorem eum fecerunt et rationem ei reddiderunt vectigalium regionis; ac, dum inciperet rationes exigere, cum unus illorum nomen Christi memoravisset, iratus ea de causa Arianus praescripsit ut quattuor torquerentur, atque, comperta fortissima eorum constantia, die sexto mensis bawūnah iussit capita amputari. Una cum iis martyrium passi sunt monachi, virique *laici* ac feminae. Quorum capitibus abscissis, gladium suum exactor in puteo ab occidentali parte ecclesiae eorum sito abluit. Corpora collecta sepultaque fuerunt, et eorum ecclesia hucusque permanet; ipsi autem quattuor viri fortes vocantur.

Ipsorum benedictio nobiscum *sit*. Amen.

Postquam vero principem ad urbem Hermonthim ('Ermont) advenisse urbis *eiusdem* (?) cives audierunt, duae mulieres, ex incolis urbis Latopolis, *inde* egressae, Hermonthim venerunt et Christum confessae sunt. Itaque princeps, cum ira ad praepositos urbis Hermonthis conversus, eos sic compellavit: « Cur testamini vos in civitate vestra ne unum quidem christianum reliquum esse? » Qui, diligenti investigatione instituta, compererunt illas ex urbe Latopoli adventicias esse, eisque dixerunt: « Nonne vos *facti vestri* pudet, praesertim cum huic civitati, imperatoribus et diis gratae, exterae sitis? » Iussitque *Arianus*, die mensis 'abīb decimo septimo, earum capita amputari. Earundem nomina Martha (Martā) et Thecla (Taklah).

Ipsarum benedictio nobis omnibus adsit. Amen.

Confestim sancto Anbā Amunio in deserto apparuit angelus Domini; quem videns episcopus eius visione perterritus est. Sed eum erexit et timorem ab eo depulit *angelus*, dicens: « Pax tibi, Amuni. Preces tuas pro populo tuo suscepit Dominus, et ecce Christus Dominus coronam universae plebi tuae praeparavit. Quid hic sedes? En Arianus haud procul distat. Surge, descende, et *tuos* admone ut in Christi Domini confessione firmi perseverent; omnes namque regnum caelorum haereditate accipient. » Tum, pacem ei precatus, ab eo discessit. Episcopus vero, illico surgens et e monte descendens, ad urbem venit, perinde ac si ad convivium properaret, et, in civitatem

[1] Vel: 'Awsāfyū (?)

ingressus, laetitiae causa incolis fuit. Qui ab eo excitati et certiores facti de iis quae eidem ab angelo dicta erant, conclamarunt unanimes: « Nos, pater, in omnibus tormentis constantes erimus et pro nomine Christi moriemur. » Illa *promissione* gavisus est, et, cum forte festum occurreret sancti Abū Isaaci, universo populo convocato, conscendit montem Kātūn vocatum, quo nomine mons Bonorum [1] significatur, ibique festum celebrarunt. Ad Arianum quod spectat, ab urbe Hermonthi profectus, ad vicum cui nomen Ḫalwān et qui ab orientali urbis Latopolis parte iacet, devenit. Illius *vici* incolae egressi et Christum confessi sunt, atque eorum capita ibidem amputata fuerunt.

Ipsorum benedictio nobis adsit. Amen.

*Porro venit *Arianus* ad urbem *Latopolim*, cuius vicos p. 335.
circuiens neminem ibi invenit. Adveniens tamen ad portam orientalem, quae appellatur Bāb-eš-Šukr [2] eo quod episcopus consuevit ibi preces gratiarum actionis pro populo suo fundere, anui occurrit aetate provectiori, quae non potuerat montem cum caeteris conscendere. Cui princeps: « Ubinam sunt, mulier, huius civitatis incolae? » Respondit ei: « Audierunt praefectum impium ad urbem adventare, christianos interempturum, et idcirco montem qui Kitāmah vocatur ad festum celebrandum conscenderunt. » Tum ille *iterum*: « Cuinam ex diis cultum adhibes? » Respondit: « Christiana sum. » Huius igitur iussit caput abscindi, et eidem propria domus sepulcri loco ad haec usque tempora fuit. Arianus, *inde* egressus, montem petiit et, in locum veniens haud procul distantem ab urbe, quem el-Maqbalah appellant, hominum multitudinem reperit. Quos interrogavit: « Quales estis? » Altissima voce conclamarunt: « Christi religionem palam profitemur. » Itaque iussit eos decollari. Et paulo ulterius devectus, ad locum cui nomen Ḥarmāğaḥt, hic iterum hominum turmam invenit; quorum capita ibidem amputata sunt. Tum processit ad alium locum qui Sarāyā appellabatur, ubi aliam reperit multitudinem, cuius capita abscidit. Ad montem perveniens, universum civitatis populum illic congregatum invenit. Qui, videntes eum, conclamarunt: « Chris-

[1] Cf. graecum ἀγαθῶν. — [2] Cuius nominis sensus: Porta gratiarum actionis.

tiani palam sumus. » Itaque, iis comminatus, cum nihil proficeret, praecepit ut omnes milites strictis gladiis ne unum quidem superstitem relinquerent; fueruntque ex illa multitudine viri qui filias suas offerrent eisque dicerent: « Accedite ad verum sponsum, qui non moritur; » fuerunt item patres qui filios et uxores eodem modo producerent, dicentes: « Commigremus ad gaudium in caelorum regno perpetuum. » Angeli autem eos coronis cingebant. Quorum numerum nemo novit, nisi qui in caelis habitat. Martyrium suum die mensis 'abib decimo nono consummarunt.

Ipsorum benedictio nobis adsit. Amen.

Episcopo, postquam apprehensus est et ad se adductus, dixit princeps iracundus: « Tu praeceptor et suasor omnibus illis creaturis fuisti. » Tum equorum caudis se iubente alligatum Syenen ('Aswān) abduxit. Cum autem inter redeundum accederet ad urbem Latopolim, tribus viris agricolis occurrit, qui dicebant: « Christiani sumus. » Quibus milites: « Iuravimus gladios nostros non destrictum iri. » At illi: « Praesto nobis sunt cultri [1] nostri. » Quibus acceptis, *milites offerentium* capita lapidi qui nunc extra septentrionalem urbis portam remanet imponentes, eorum martyrium propriis cultris compleverunt, et illi caelestes coronas adepti sunt. At vero patrem
p. 336. episcopum Amunium in imum navis alveum deiecerunt, *et quocumque navis appulsa fuisset, ibi ignis ei admovebatur ac cruciabatur; Antinoen ('Anṣinā) autem advectum in carcerem condiderunt. Porro Arianus, per virum cubiculo suo praepositum, illi mandabat ut thus offerret; illeque respondebat: « Huiusmodi rem nunquam faciam. Quod ad Arianum spectat, haud dubium est martyrii sortem ei obventuram, eumque in martyrum numerum relatum iri. » Haec dicta proferenti succensuit *Arianus,* iussitque illum flammis vivum tradi. Qui martyrium die decimo quarto *mensis* kihak consummavit; accedentesque fideles plurimi corpus eius integrum et cui ignis nullo modo nocuerat, acceperunt atque sepultum absconderunt, donec finem

[1] Hanc vel affinem aliquam vim subesse opinor nomini مسابح, quod apud lexicographos omnes desideratur. Neque tamen necesse est confugere, ut in edit. arabica coniectantis instar equidem feceram, ad qualemcumque cum nomine اسباخ confusionem, cum nobis praesto sit radix مسح, quae valet et radere, abscindere. Cf. Dozy, *op. cit.*

acciperet persecutio. Quod cum audissent populus diocesis eius, descenderunt, corpus ablaturi et in ipsius urbem translaturi. Verum ad eos venit vox e corpore, dicens: « Hic est locus quem Dominus mihi elegit. » — Dignus fuit hic sanctus qui coram Domino diceret: « Ecce ego et filii quos dedisti mihi. [1] »

Martyrum illorum, quorum numerus nulli sane hominum ac nemini nisi Creatori caeli et terrae notus, itemque sancti episcopi eorum benedictiones nobis omnibus adsint. Amen.

Mensis kīhak dies decimus quartus. p. 158.

Hodie martyrium passus est, temporibus Moslemorum, sanctus Simeon (Sim'ān), ex Manūf superiore oriundus.

Eadem die, memoria Abū Bahūr, martyris, et Abū Mīnā, senioris. Quorum intercessio nobis adsit. Amen.

Hac etiam die, quae respondet diei decimae *mensis Syrorum* kānūn prioris, martyrium sancti Mār Bahnām et Sarae (Sārah), sororis eius. Huius namque sancti soror morbo elephantiasi laborabat, neque ei parentes, quamvis plurima molientes atque tentantes, remedium invenerant. Erat autem monachus quidam et asceta, cui nomen Matthaeus (Mattā), e regno Iuliani apostatae, qui iusserat cultum sideribus adhiberi iisque sacrificia ab hominibus offerri, profugus. Is igitur sanctus, relictis *re- p. 159.
gionibus imperii *romani*, in hoc monte [2] sedem fixerat, prope urbem *regiam* regni patris sancti Bahnām, quoniam isti nullum christianum in suo regno opprimebant; et cum illo fugerat christianorum multitudo, qui haud procul ab eo habitarunt. Cum a Domino insignitus esset dono curationum, ad eum, in montem quem incolebat, multi homines confluebant, qui, eo super illos orante, ab infirmitatibus suis divinitus sanabantur.

Quadam die, sanctus Bahnām, ad montem in quo sanctus *Matthaeus commorabatur* venandi causa egressus, ibi, in montis clivo, feram magnam, ingentem, aspexit, quam usque ad noctem persecutus est; et, nocte sibi ingruente, in monte

[1] Is., VIII, 18. — [2] Qui mons pressius non definitur. Hac loquendi ratione videtur scriptor locum designare in quo ipse versetur.

cum comitatu pernoctavit. Dum autem noctu dormiret, aliquem vidit, splendentem, qui ipsum excitavit et iussit ad sanctum Matthaeum in eo monte habitantem se conferre, ut, illo super sororem eius orante, hanc Deus a morbo sanaret. Illico surgens, non desiit indagare donec speluncam sancti Matthaei invenisset; tum, coram hoc prostratus, visionis qua donatus fuerat certiorem eum fecit. Quem sanctus Matthaeus concione habita viam salutis edocuit; dein cum eo ad urbem secreto profectus est. Ingressus sanctus Bahnām matri, inscio patre, exposuit visionem qua donatus fuerat, sanctum autem Matthaeum extra urbem delitescere, super sororem suam benedictam oraturum, ut Dominus eam sanet. Ea re gavisa est mater, et sanctus cum sorore exiit ad locum ubi morabatur sanctus Anbā Matthaeus; quo super sororem orante, Dominus huic per illius orationem sanitatem restituit. Idem Matthaeus, cum se orante Domini iussu fons aquae erupisset, ambos baptizavit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Dei unius, tum divinorum mysteriorum participes effecit, et in locum suum reversus est. Cognita filiae suae sanatione, pater rex magnopere exsultavit, existimans hoc diis suis immundis esse adscribendum. Sciscitatus igitur est modum quo filia sanata fuisset. Cui responderunt: « A Domino Iesu Christo, Filio Dei, sancti Anbā Matthaei opera, sanitatem recepit, non vero a stellis illis creatis, quas colis tu. » Quod postquam ab ambobus audivit, iis iratus tormenta vehementer comminatus est; neque tamen a sententia sua recta recesserunt, sed, nocte subsequenti, inter sanctum Bahnām et sororem convenit ut se in montem ubi sanctus Matthaeus conferrent, prudens illius consilium assumpturi. Sanctus igitur et soror equitando profecti sunt, patre inscio, compluribus e familiarium numero comitantibus. At rex, ut haec de ambobus rescivit, opinatus eos in illum locum ideo aufugisse ut seditionem contra se moverent, praecepit ut equitum suorum caterva illos insequerentur, iisque dixit: « Ambos, ubicumque a vobis reperti fuerint, interficite. » Qui, ad eos requirendos pro-
p. 160. fecti, *sanctum Mār Bahnām, sororem et qui eos comitabantur, extra civitatem, haud procul ab ea, inventos, propter nomen Domini nostri Iesu Christi gladio interemerunt, illique coronam vitae in caelesti regno sunt consecuti. *Militibus* a caede amborum reducibus, regem horum patrem invasit spiritus Satanae,

a quo *deinceps* perturbatus atque possessus [1] est. Mater autem duorum *martyrum*, misso ad sanctum Matthaeum nuncio, eum arcessivit, ut, ipso super regem orante, hunc Dominus sanaret. Et Dominus *revera* per sancti Matthaei orationem regi sanitatem largitus est; ipseque *rex* et uxor eius, christianismum amplexi et in Christi Domini nomen una cum plurima sui regni plebe credentes, corporibus liberorum suorum, sanctorum Bahnām et sororis eius, magnum superstruxerunt monasterium, in quo, statim atque ab iis exaedificatum est, hic sanctus *Matthaeus* habitavit; atque ex illis corporibus Dominus prodigia atque sanationes unicuique manifestas edidit.

Utriusque *martyris* intercessio universis baptismi filiis adsit. Amen.

Hac etiam die accidit mors patris patriarchae Anbā Christoduli ('Aḫristādolū), qui in serie patriarcharum alexandrinorum sexagesimus sextus est. Is pater, dum patriarchae munere fungeretur, ecclesiam Abū Mercurii (Marqūrah) in *urbe* Miṣr et ecclesiam Divae Virginis in vico Graecorum (er-Rūm) patriarchales constituit [2], et, sede sua triginta annos potitus, requievit.

Cuius preces nobis adsint. Amen.

Requie donatus est magnus sanctus, athleta egregius, Anbā p. 336.
Ezechiel. Huius parentes ex urbe Hermonthi ('Ermont) erant, et, postquam adolevit, in eum descendit gratia Spiritus sancti, quae menti eius cogitationem indidit de vita monastica *amplectenda*. Itaque, parentibus relictis, ad montem urbis suae se conferens, multos ibi ascetas reperit qui, ipsum via recta deducentes, docuerunt vitae in deserto instituendae ordinem et, imposito schemate angelico, monachum perfectum constituerunt. Quam vestem postquam induit, acerbum e scorpionis morsu dolorem expertus, intra se dixit: « Hoc concupivisti [3], o anima improba; num vis me in gehennam proiicere [4], o anima scelesta et misera? » Dein, ad interiorem montem progressus, ibi

[1] In textu legitur لميط, l a m ī ṭ, vox nullibi apud lexicographos prostans, de cuius tamen significatu, propter manifestam cum radice لمط, perturbatus est, cognationem, vix ambigi potest. — [2] Ambas non tantum honorifica appellatione, sed novis atque amplioribus ornamentis donando. — [3] Austerum nempe vitae monasticae institutum amplexa. — [4] Hoc quippe velle censenda eris, si a molestiis pro eo ac debes sustinendis refugias.

moratus est, ascesi, vigiliis, genuflexionibus et labore arduo sese exercens. Et quidem coepit in illo monte puteum fodere, quem, cum ad quadraginta cubitos egisset, ei apparuit angelus Domini et dixit: « Laborem tuum respexit Dominus, et ecce, petra discissa, erumpet tibi aqua, cuius, postquam, iubente Deo, ter quantum manus capiat biberis, e puteo ascendes nec quidquam deinceps in eo fodiendo laborabis; ea namque est voluntas Domini ut hoc in loco non scaturiat aqua, quia hoc est desertum aridum atque remotum, in quo fures et praedones habitant. » Posthac vitam decoram atque angelicam finivit;
p. 337. *et hucusque cives urbis eius, montem conscendentes, festum illi in ipsius ecclesia agunt.

Precibus eius Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 160. Mensis Kīhak dies decimus quintus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus Gregorius ('Aǧrīğūryūs), Armeniorum patriarcha, *qui* martyr absque sanguinis effusione *fuit*. Sanctum hunc, quemadmodum memoravimus [1], Tiridates, Armeniorum rex, eo quod sibi de idolorum cultu adversaretur, cruciatibus affecit, et postremo eum in puteum siccatum demisit, ubi quindecim annos remansit, Domino curam de eo agente, anu quadam victum ei quotidie afferente et nemine conscio illum superstitem esse. Porro regi ea acciderant quae accidisse notum est quoad necem Rabsimae (Rabsīmā) virginis et aliarum quae cum ea erant virginum, cum vellet illam sibi uxorem assumere; corporaque virginum inhumata in montibus iacuerant. Sex autem diebus post earum caedem elapsis, cum rex moerore propter facinus a se patratum afficeretur et sanctae Arbasimae ('Arbasīmā [2]) angeretur desiderio, eum familiares rogaverunt ut, sensuum cordis excutiendorum causa, equo insidens ad venandum egrederetur. Postquam igitur equitans, omnibus militibus suis stipatus, egressus est, a Satana in ipsum irruente ex equo deiectus, coepit proprium

[1] Cod. C add.: في التاسع من توت, h. e., « ad diem nonum tūt. » Error huc irrepsit. Scribendum erat: ad diem decimum nonum. Cf. supra, pag. 34. — [2] De hoc nomine scribendo neque diversi codices inter se, neque ex iis quidam sibi ipsi prorsus consentiunt.

corpus et *homines mordere; mutataque a Deo specie eius in p. 161.
apri figuram, silvas circuiens, quoscumque reperisset morsibus dilaniabat. Multos etiam ex regni civibus daemones invaserunt, ita ut in arce *regia* terror ingens atque lamentatio invaluerit; et haec quidem omnia propter virgines *acciderunt*. Porro soror regis tribus noctibus visione donata est, quodam eam sic affante: « Nisi Gregorium e puteo eduxeritis, neque sanationem consequemini neque salutem. » Ancipites vero haeserunt omnes, siquidem existimabant illum mortuum esse. Dein, ut explorarent num superstes foret, ad puteum venientes, funibus in hunc demissis, clamantes hortati sunt, *si quis adesset*, ut funibus se suspenderet; tum eductum calefecerunt, novis induerunt vestibus et equo impositum ad palatium *regium* adduxerunt. Eos ille de sanctarum corporibus interrogavit, ad locum in quo iacebant se contulit, eadem intacta, neque a feris deserti neque a volucribus laesa, reperit, iussitque iis parari locum decentem, in quem ea honorificentissime deposuit. Plebe deprecante ut regem sanaret ab infirmitate qua laborabat, arcessitum interrogavit: « Num ad opera tua mala reverteris? » Qui capitis nutu negavit se reversurum [1]. Tunc, sancto super eum orante, Satanas ex eo egressus est, ipseque resipuit et *pristinam* recepit personam, nisi quod in eo, ut humiliaretur, quasdam porci dotes, ungues nimirum manuum et pedum, *sanctus* reliquit. Dein domesticos domus regiae *Gregorius* a daemonibus liberavit; tum regionis incolis convenire iussis sexaginta ieiunii dies imposuit, quibus, eos assidue exhortans, viam Dei et Christi incarnationem edocuit. Ei se dicto audientes praebuerunt universi, a minimo usque ad maximum, quae fuit fidei Armeniorum causa, ab eoque petierunt ut ipsos baptizaret. Respondit: « Id mihi non licet, nec sum equidem sacerdos. » Itaque legatos in Romae [2] fines miserunt, datis litteris ad imperatorem, quibus eum certiorem faciebant se ad Dominum conversos esse, rogabantque ut Gregorium sibi patriarcham consecraret. Erat autem

[1] Ad litt.: Qui capite suo seu per caput suum negavit. Quod fortasse etiam intelligi posset de promissione non revertendi, iuramento per caput suum firmata. — [2] Ita ex marginali codicis A lectione, cui et contextus favet. In textu vero codd. prostat sive « Lūnyah » sive « Lūbyā ».

patriarcha ea aetate Leontius (Lāndyūs [1]), papa Romae, atque huic cum legatis, inter quos Gregorius, plurima munera miserant. Ubi, *legatis* advenientibus, epistulam imperator atque patriarcha legerunt, conversione Armeniorum ad Dominum laetantes, *Gregorium*, illis in *urbe* Caesarea consecratum patriarcham, magno cum honore ad urbem Tiridatis regis Armeniorum remiserunt, et rescriptum ad epistulam dederunt. Quare p. 162. illi regioni magno gaudio fuit adventus *sancti Gregorii. Dehinc *fideles* ecclesias in omnibus locis aedificarunt; iis *Gregorius* episcopos, sacerdotes et diaconos ordinavit; pulchram ecclesiam nomine virginum *martyrum* exstruxerunt, resque ecclesiarum et religionis apud eos prospere cesserunt. Postea, cursu suo consummato, sanctus in pace quievit et ad Christum quem amabat translatus est.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die ad requiem vocatus est Lucas stylites. Precum eius benedictio nobis adsit. Amen [2].

p. 337. Eadem die martyrium passus est sanctus Anbā Amsāḥ Coptites ('Amsāḥ el-Qifṭī). Advenienti namque Ariano ('Aryānūs) principi ad littus urbis Copti (Qifṭ) obviam egressi sunt idolorum sacerdotes et coram eo gloriati, dicentes: « In civitate nostra nemo est qui Christi nomen invocet. » Quibus verbis exsultans ille plurima munera eis largitus est, et, incenso oblato atque victimis immolatis, discessit. Erat autem in urbe adulescens christianus cui nomen Amsāḥ, eique soror virgo, quae Theodora (Tawoḏūrā) appellabatur. Domicilium habebant, in septentrionali civitatis parte, viridarium cognomine Agrum mulierum (Ḥaql en-niswah), et, in viridario laborantes, ea sibi comparabant quibus vescerentur ac corpora tegerent; quod vero supererat eleemosynam pauperibus elargiebantur. Audito, sacerdotes idolorum negavisse ullum apud se reperiri christianum, sanctus, cum ipse et ex urbis civibus complures ad Christum confitendum et coronam martyrii consequendam parati essent, tristitia affectus est. Quamobrem, respiciens laudandum eius consilium de corona martyrii capessenda, Dominus, angelo suo ad eum misso, ei dixit: « Noli moerore confici, neque an-

[1] B et C: Lāwondyūs. In margine autem cod. A, manu recentiore appositum legitur nomen Salbasṭros (Sylvester). — [2] B add.: Eadem die martyr obiit sanctus 'Asbāḥ. Cuius preces nobis adsint. Amen.

gatur cor tuum; sed, primo mane surgens, confer te ad ripam fluminis *Nili*; navem invenies qua ad urbem Antaeopolim (Qāw) deveharis; Christum ibi coram Ariano confitere, et ecce ego tibi adero, ut coronam martyrii adipiscaris. » Atque, pacem ei precatus, *angelus* in caelum ascendit.

Postero die, quae corde fovebat sorori non revelavit *Amsāḥ*; sed, ad ripam fluminis profectus, navigio, quemadmodum praenunciaverat angelus Domini, reperto, navigavit donec ad urbem Antaeopolim (Qāw) appelleret, et in *hac* urbe, praefectum nactus christianos suppliciis addicentem, alta voce clamavit: « Ego palam christianus. » Interrogatus de nomine et patria, utrumque patefecit. Tum eum sic compellavit *praefectus*: « Quam ob causam egressus es tu atque ex illa *tua* urbe unus venisti? » Et ei iratus, iussit eum virgis palmeis virentibus caedi quoad sanguis velut aqua efflueret. Dein sine sensu iacentem et morti proximum satellites abstulerunt et in carcerem usque ad posterum diem coniecerunt. Mane, iubente praefecto ut adduceretur, satellites, ad eum ingressi, stantem atque orantem invenerunt; tum ad se adductum ille interrogavit; « Cur te exhibes *civitatis tuae po- p. 338. pulo stolidiorem? [1]. Si mihi dicto audiens fueris [2]. . . . . . » et ab eis in flumen proiectus, spiritum in manus Dei vivi emisit et immarcescibilem in regno caelorum coronam adeptus est. Ille vero crocodilus, ad flumen descendens, sancti corpus, storea involutum, quod fluminis fluctus tumentes Christi Domini virtute findebat, secutus est, neque desiit ei adhaerere crocodilus donec ad urbem Coptum delatum fuisset. Porro angelus Domini, sorori *sancti* de nocte apparens, ei revelavit gloriam quam adeptus erat *frater* ac coronam decoram quae eidem propter constantiam et Christi confessionem obtigerat, dixitque: « Postero mane, assumptis urbis sacerdotibus, ad ripam fluminis progressa, stoream invenies convolutam, qua nobile corpus inclusum. » Illa, die illucescente, sacerdotibus convocatis exposuit quaecumque sibi ab angelo Domini patefacta, et convenerunt universi. . . . . atque corpus purum [3]. . . . .

[1] Pro مـحـتـلّ, quod in edit. arab. mendose cusum et nullius interpretationis vel mere verisimilis hoc loco capax, lege: مختلّ. — [2] Lacuna, codicis unici folio dimidia fere parte inferiore mutilo. — [3] Altera lacuna, eidem causae adscribenda.

p. 162. MENSIS KĪHAK DIES DECIMUS SEXTUS.

Hodie memoria sancti martyris Abū Haruāğ.

Eadem die, memoria Ananiae (Ḥanānyā) martyris, et Ḫūzī [1], qui ex *urbe* Aḫmīm *oriundus*. Benedictio precum ipsorum nobis adsit. Amen.

Hac etiam die ad requiem vocatus est Gedeon (Ǧid'ūn) iustus, unus ex iudicibus filiorum Israelis. Huic *viro* iusto, qui ex tribu Manasse erat et cuius patri nomen Ioas (Yoāš), apparuit angelus Domini [2], eum confortavit, adiuvit et constituit filiorum Israelis rectorem, eique praecepit ut, destructis idolorum altaribus, Deo altare aedificaret et victimas in hoc oblatas confractis idolorum lignis combureret. Qui fecit quod a Domino iussus fuerat. A Domino autem praescribente ut bellum populo Madianitarum inferret petiit ut sibi ostenderet signum quo cor suum confirmaretur, et in eo quidem situm ut, cum vellus lanae ipse in area extendisset, rore in vellus solum, non in aream asperso, inde Dominum sibi adesse sciret. Tum, vellere apposito, ita factum. Postero die petitionem iteravit, dicens: « Ecce idem *vellus* apponam, et si sola terra rorans fuerit, non vellus, confidam te mihi pugnanti affuturum. » Et postridie factum est illud, quemadmodum optaverat, confirmatumque est cor eius, spiritu fortitudinis in ipsum a Domino descendente. *Dein*, postquam tuba cecinit et filii Israelis ad eum convenerunt, sic eum allocutus est Dominus: « Populus *tecum* multus. Quamobrem, ne, si vicerint, dicant se propria virtute vicisse, eis palam praescribe ut quisquis formidolosus fuerit, recedat. » Recesserunt igitur ex Israelitis viginti duo millia. Tum illi Dominus: « Adhuc multi isti, *qui remanserunt*. Duc eos ad aquam et praecipe ut bibant; quos lingua, canum instar, lambentes videris, hos as- p. 163. sume; caeteros vero dimitte. » *Fuit autem numerus eorum qui aquam lingua lamberent trecenti viri. Dixitque Dominus Gedeoni: « Per hos salutem tibi afferam et Madianitarum populum in manus tuas tradam. » Eadem nocte buccinas inter medios *hostes* inflarunt Israelitae et conclamarunt: « Bellum Domino et Gedeoni; » cumque tubarum clangorem audivissent

[1] B: Ḫūrī. — [2] Cf. *Iudic.*, VI, VII, passim.

Madianitae, timore ac terrore in ipsorum corda divinitus immisso, aufugerunt, mutua se caede perimentes, et interfecti sunt duces eorum Oreb ('Urīb) et Zeb (Zīb); itemque eorundem duo reges Salmana (Ṣalmānā') et Zebee (Zabaḥ); atque ex equitibus eorum centum et viginti milia neci data. Illa die, filii Israelis exsultantes Gedeoni dixerunt: « Manebis nobis rex, tu et filii tui post te [1]. » Quibus humili corde respondit: « Neque ego, neque filii mei, sed Dominus ipse vobis imperitabit. Verum unum ex annulis quos e camelorum collo pendentes praedam cepistis mihi det unusquisque vestrum [2]. » *Eiusmodi annulos* illi tradiderunt, fuitque pondus rerum quas ab iis accepit millies mille et septingenti miṯqāl [3], praeter lunulas, monilia ac vestes sericas quibus cameli ornati fuerant. Annos quadraginta populi regendi munus retinuit *Gedeon*, eique Deus in omnibus negotiis affuit. Dein in pace quievit et in sepulcro patris sui conditus est.

Benedictio precum eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Martyrium equitum fortium, sanctorum Eulogii ('Ulūğyūs [4]) p. 338. et Arsenii ('Arsānyūs), quorum monasterium hodieque superstes et Monasterium ferri (Dayru 'l-ḥadīd), in finibus *urbis* Aḫmīm, cognominatur. Hi, quo tempore a Domino ad martyrium subeundum vocati sunt, coram praefecto adstiterunt, Christum confitentes. Quibus ille: « Thus diis offerte, vosque mercede donabimus et vestrum ampliabimus locum. » Ei responderunt *viri* in fide constantes: « Hoc tertium tribunal est pro quo sistimur; Christum Dominum confessi sumus, et, duros a iudicibus cruciatus experti, in fide Christi firmi permanemus. Natione Syri, patria relicta, huc aufugimus, ne Christum abnegaremus vel desereremus. Quidquid igitur libuerit facito. » Quare, iis iratus, *praefectus* praecepit ut, saxis ab eorum collis pendentibus, in summa palatii arce capitibus inversis ipsi suspenderentur. Dein, lapidibus ad pedes alligatis, in medium flumen proiecti sunt; sed magna Iesu Christi virtute factum est ut lapidibus supernatantibus martyres inside-

[1] *Iudic.*, VIII, 22. — [2] *Ibid.*, VIII, 23, 24. — [3] Vulgare apud Arabes ponderis nomen. Cuius ponderis quantitas, pro locorum ac temporum diversitate diversa, nulla generali definitione comprehendi vel circumscribi potest. — [4] Vel: 'Awlūğyūs (?).

rent iisque quasi per solidum vecti ad littus incolumes deferp. 339. rentur. Unde eis succensuit rex [1] et iussit eos *inverso ore suspendi ac velut oves immolari. Idcirco illos septem *praemiis* donavit Christus Dominus: tribus quidem propter tria tribunalia coram quibus nomen Christi confessi erant et tormenta passi, quarto propter illas molestias quas in arce sustinuerant, quinto propter id quod in flumine erant experti, sexto quia ut oves immolati fuerant, septimo quoniam exsulaverant. Eorum animas angeli in regnum caelorum, ad Christum, Dominum nostrum et Virtutum Dominatorem, adduxerunt, et in ecclesia quae extra palatium a parte orientali aedificata est, ex illorum corporibus multa miracula edidit Dominus. E quorum numero *haec fuerunt.*

Vir erat, ovium pastor, qui, tumulo a parte septentrionali monasterii insidens, sibilabat et, prout solent pastores, carmina canebat. Derepente sensit sese manu hominis arripi et in flumen proiici, quod nimirum erat palatio vicinum; statimque adnatavit crocodilus ingens, qui ore hiante volebat eum deglutire ac devorare. Cogitavit vero ille, his angustiis atque periculo se premi eo quod sanctorum martyrum ecclesiam non reveritus esset, et auxilium salutemque per nomina *horum* electorum imploravit. Ubi crocodilus nomen Dei excelsi et nomina martyrum eius audivit, confestim, aquis se immergens, ab illo discessit. Ipse autem *pastor*, ad terram appulsus et valde contremiscens, gratiis Deo propter salutem suam actis, iuravit se nunquam deinceps commissurum ut tibiam inflaret, aut sive solus sive cum aliis iocum moveret, aut ad consuetudines pravas reverteretur.

Item vir alius, cum in via mulieri ad ecclesiam martyrum pergenti occurrisset, eam detinuit vique oppressit. Quem continuo duo lupi circumsteterunt, prope instantes atque eum devoraturi; ipse vero confestim exclamavit: « O Deus martyrum, salvum me fac! Per molestias illas quas pro Christi nomine pertulistis, ne me derelinquatis, o sancti! » Tum voto se adstrinxit ne unquam deinceps, ad finem usque vitae suae et aetatis ultimam diem, feminae cuiusquam corpus revelaret

[1] Vel: imperator (?). De quonam vero sive rege sive imperatore sermo sit nihil est quod vel indicet vel innuat.

vel ad peccatum rediret. Et statim aufugerunt lupi, quodam insequente, qui eos protrudebat; vir autem, ad ecclesiam se conferens, peccatum suum confessus est, Deo gratias egit, eiusque sanctissimum nomen laudibus extulit, atque in ecclesia famulatum exercens usque ad diem mortis suae permansit.

Die festo duorum sanctorum accidit ut armilla aurea, ex negligentia atque incuria, mulieris brachio excideret; quam a se repertam mulier *alia* in crines capitis subter velum inseruit. At illa cuius armilla erat plurimas fudit lacrimas, sic orans: « O Deus duorum sanctorum, eam mihi redde. » Quare statim, Domino iubente, duo sancti mulierem *alteram* inverso ore suspensam a terra spatio staturae humanae sustulerunt; *quo facto, armilla decidit, eamque excepit mulier *prior*, lae- p. 340. tabunda, Deum laudans atque extollens et sanctis eius gratias agens. Mulieris autem *alterius* miserti, martyres eam demiserunt. Quae professa est se nihil unquam simile deinceps commissuram. — Quod si miracula et prodigia *omnia* vobis enarrare vellemus, longiore opus foret oratione.

Eorum precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Mensis Kīhak dies decimus septimus. p. 163.

Hodie translationis corporis sancti ascetae Lucae (Lūqā) stylitae festum agimus. Is, ex Persarum regione oriundus, arma exercuit et centurionis munere functus est. Qua praefectura una cum rebus reliquis a se abdicata, statuit institutum monasticum amplecti et, in quodam Orientis monasterio domicilium habens, ibi aliquandiu permansit. Dein, postquam in vita monastica profecit eiusque virtus innotuit, sacerdos ordinatus et monasterio praepositus, promotionis suae tempore, vestem ferream, ad mensuram sessionis suae exactam [1], induit, et ieiunio ita addictus fuit ut senos dies continuos ieiunaret, ac die septimo, praemissa missa et sacra communione, ieiunium exiguo panis frustulo [2] et leguminibus crudis frangeret. Deinde columnam

[1] I. e., tantulam et ita conformatam ut ne obstaret quominus sedere posset. — [2] Arabice: قربانة. Quo nomine cum apud christianos ea panis particula designari consueverit quae inter sacerdotis manus consecratione fit corpus Christi, eodem hic apte significari videtur modicum panis etiam vulgaris fragmentum.

conscendit, in cuius vertice triennium commoratus, vocem angeli audivit ipsum proprio compellantis nomine et, cruce p. 164. splendenti ostensa, praecipientis ut descenderet. *Descendit igitur et vocem ac crucem, quae praecedebat, secutus est donec ad monasterium [1] quoddam perveniret, in quo aliquandiu mansit, hominibus ad eum confluentibus et emolumentum ex eius praedicatione capientibus. Postea silentio se addixit, lapide in os introducto, ne quem alloqueretur. Dein divino instinctu impulsus ut regionem Constantinopoli circumiacentem peteret, in vicum urbi vicinum se contulit, conscensaque columna, in huius summitate quadraginta quinque annos commoratus est, certamini spirituali operam navans; et a Deo gratia prophetiae ac miraculorum dono instructus, omnes cuiuscumque generis aegrotos ad se venientes sanabat. Quando autem voluit Deus requiem ei ab huius mundi laboribus concedere, mortuus est, die decimo quinto *mensis* kihak. Itaque qui ei famulabatur patriarcham et sacerdotes adiit deque eius obitu certiores fecit; et patriarcha atque sacerdotes, cruces et thuribula deferentes, ad illius locum convenerunt, super eum oraverunt, eumque, die tertio *ab eiusdem obitu*, qui est decimus septimus *mensis* kihak. Constantinopolim delatum in templo deposuerunt; atque, precibus *diei* tertiae super eum completis, postquam benedictionem ab eodem fideles aucupati sunt, illum urna marmorea iuxta corpora sanctorum condiderunt, et ex sacro ipsius corpore eduxit Deus prodigia, miracula, emolumenta et sanationes iis omnibus qui illud firma fide adirent.

Benedictio precum eius nobis in aeternum adsit. Amen.

p. 340. Ad requiem admissus est magnus sanctus et athleta Anbā Elias ('Īlyās) in monte Bišwāw, seu — haec namque est nominis interpretatio, — in monte el-Labḫah [2]. Parentes eius ex vico 'Isḫīm, ab oriente fluminis *Nili* sito, erant. Postquam paululum adolevit, bona cogitatione in eius mentem illapsa, Occidentem versus tendens, flumen traiecit et ad montem Šāmah venit, ubi, monachus factus, coepit eximiam ascesim ita exercere ut operam daret libris sacris legendis et vitae ad normam

[1] B et C: montem. — [2] Nomen « unitatis », quod vocant, a nomine « generico » لبخ derivatum. De huius sensu videsis notulam nostram, supra, pag. 21.

eorum quae legisset regendae. Initium fecit triginta libros memoriter addiscendo, quos etiam, de iis recogitans, corde retractabat; et cum, tempore matutino, pro monachorum more, legeret, incoepta alicuius libri lectione, e loco non discedebat nisi eundem absolvisset, posthac demum labori manuum vacaturus. Discipulus eius narravit eum saepe centum et quinquaginta Psalmos utraque manu in altum sublata recitavisse.

Ieiunio deditus atque ascesi arduae, animum direxit in beatitudines quae Evangelio Matthaei continentur, easque opere complens, laborem domus suae supra firmam petram aedificandae aggressus est. Et exorsus quidem est a consideranda prima beatitudine, qua dicitur: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum [1] », eamque dicto et opere adimplevit. Similiter et alteram *adimplevit*, qua praedicantur « beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur [2] ». Hic pater, qui angelus fuit in terris *degens*, quoties manus ad orandum extendebat, lacrimas fundebat pluviae cadentis instar, ita ut discipuli mirarentur; et inter legendum, si sederet, nomine Christi Domini memorato, statim in terram procidebat, adorans. Discipuli eius, ipsis attestantibus, illum ridentem vel subridentem nunquam viderunt, solebatque dicere: « Memores mei estote, fratres, *in orationibus vestris, quarum ope* forsan a Domino salvus praestabor et e carcere huius mundi fluxi educar. » Propter timorem autem et tristitiam quam ei incutiebat *futurus* Dei in die magna atque tremenda occursus, corpore exarescente, similis mortuis evaserat. Dein adortus est tertiam beatitudinem, quae est huiusmodi: « Beati mites, quoniam ipsi haereditabunt terram [3]. » Et *sane* hic sanctus, si quis eum vituperaret, conviciis impeteret vel calumniaretur, illum amabat et pro eodem orabat, adeo ut agno vel columbae miti par praedicaretur. Ad beatitudinem quartam gressum fecit, *eam nempe qua dicitur: p. 341. « Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur [4]. » Vitam exegit hic sanctus, dies ac *longiora* temporum spatia, et saepe quidem integras hebdomadas, ieiunans; et quoties edebat, ita cavebat ab explenda fame ut aliquando, aceti atque olerum cupidus, triennium perseveraverit nihil ex illis attingens, et, alio tempore, cum aliquantulum vini exopta-

[1] MATTH., V, 3. — [2] *Ibid.*, 5. — [3] *Ibid.*, 4. — [4] *Ibid.*, 6.

ret, crines in fila ductos aqua immerserit et hanc soli expositam tandiu reliquerit donec, colore in rubrum mutato, foeteret, tumque dixerit: « O anima mea, o infelix, o perversa, o misera, en quod concupivisti! » Item quintam adortus est beatitudinem, quae sic se habet: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur [1]. » Quare ubi quis ad eum veniebat, petens eleemosynam, voluisset ostium cellae suae avulsum illi largiri; et saepissime, si quis eleemosynae poscendae causa accederet, vestem [2] qua induebatur exuebat ac poscenti dabat. Eleemosynae loco donavit libros quos legere consueverat, quia illos omnes memoriter didicerat; ferturque eum *quondam* quattuordecim frumenti ἀρτάβας (ʾIrdab) elargitum, easdem pauperibus atque egenis distribuendo. Tum ad sextam aggressus est beatitudinem, qua dicitur: « Beati qui mundo corde sunt, quoniam Deum videbunt [3]. » Erat nimirum is sanctus mundo corde atque immuni ab omnibus huius mundi fluxi spurcitiis; insuper autem, prae magna quae ipsi inerat humilitate ac caritate, si tempore cibi sumendi adesset discipulus eius, ille ipse *tamen* operam dabat pani madefaciendo — annuum quippe panem coquebant, — et partes optimas a se repurgatas discipulo apponebat; eademque agendi ratione quod olera et caetera omnia utebatur. Quod cum esset discipulis molestum, illi nihilominus ea in re morem gerebant. Septimam dein adortus est beatitudinem, qua praedicantur « beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur [4] ». Itaque hic sanctus adeo sollicitus erat de pace inter homines servanda ut, si audisset simultatem inter duos intercedere, lapidem omnem moveret ad eosdem inter se conciliandos, et, si vidisset monachum de alio detrahentem, miraretur, dicere solitus: « Bonum est silentium, ac consultius est Deum laudare. O maligne, o perverse, quare de hominibus detrahis? Quaere animae tuae salutem. Diabolus enim ipse semina mala inter homines proiicit. Quem bonitate nos et humilitate devincemus. Superbiam fugiamus, et, loco istarum rerum *malarum*, mutuam exerceamus charitatem. » Adortus est et octavam beatitu-

[1] MATTH., V, 7. — [2] التراج; quae vox in *Synaxario* semel atque iterum (cf. ad diem 21um huius mensis), in lexicis vero nuspiam occurrit. Sicut autem eo nomine vestem aliquam designari ex sermonis in utroque loco compage atque contextu perspicuum est, ita de quonam vestis genere agatur incertum prorsus. — [3] MATTH., V, 8. — [4] *Ibid.* 9.

dinem, qua dicitur: « Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum [1]. » Hic namque sanctus istam beatitudinem perfecte adimplevit. Quoties enim se in quiete, gaudio atque pace sentiebat, in alium migrabat locum, non cupidus nempe *propriae quietis, sed laboris p. 342. amans. Monte Sāmah conscenso, inter putrida mortuorum ossa commorans, onus sibi imposuit ieiunandi, noctes ducendi pervigiles, standi, sese prosternendi, cum corpore pugnandi. Et ad haec quidem omnia naturam compellebat invitam [2], ut opere compleret quod in Evangelio legitur: « Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud [3]. » Discipuli vero eius Anbā Iohannis stomachus cadaverum sanie tantis fastidiis afficiebatur ut nullum iam cibum continere posset. Quare, eo relicto, ad domicilium suum ille reversus est.

Quaedam vobis exponemus, fratres, et de *altero* eiusdem *Eliae* discipulo, Anbā Yūsāb [4]. Erat hic ex civibus urbis Copti (Qifṭ), eiusque parentes ex illius *civitatis* ingenuorum et magnatum numero. Pater, viam universorum iniens, iam mortuus erat; plures aderant fratres, quorum hic natu minimus. Mater, postquam eum optime educavit et in plurimis disciplinis instituit, aegrotavit, ex hoc mundo fluxo atque caduco migratura. Cui cum filius iste Yūsāb flens diceret: « Mater, cui me relinquis? » respondit illa, lacrimas fundens et ipsa: « Fili mi dilecte, Domino meo Iesu Christo te commisi; ipse nec te a se repellet, nec a te unquam recedet. » Quibus verbis prolatis, emisit spiritum et in pace quievit. Itaque cum puerum frater natu maximus in domum suam recepisset et curam de eo ageret pro eo ac debebat, primus autem tutor [5] vellet eundem apud se habere neque sinere eum huius mundi spurcitiis implicari, in ipsius *pueri* animum consilium incidit sese ad occidentem flumine traiecto conferendi, reperitque speluncam praeclari illius sancti *Eliae*, a quo benedictionem accepit; tum Isaiae prophetae librum invenit atque ita legere coepit ut mons lepida eius voce ac suavi murmure resonaret. Quare ingemiscens dixit

[1] MATTH., V, 10. — [2] Ita quidem, si in textu يغصب, pro يغضب, legatur. Sin minus, vertendum erit: Haec omnia naturae gravia erant atque molesta. — [3] MATTH., XI, 12. — [4] Nomen in cod. nunc Y a s ā b, nunc Y ū s ā b scribitur. — [5] « Primi tutoris » nomine Deus ipse vel Christus metaphorice significari videtur.

Anbā Elias: « Utinam maneat hic adulescens istius mundi sordibus haud immixtus! Equidem optaverim ut nobiscum occurrente hebdomada Paschatis gloriosi versetur, eumque ita legentem audiamus. » Posthac, Yūsāb ad urbem suam revertente, pater noster Anbā Elias visione donatus est palmae exiguae, quae, in loco ubi ille sederat legens exorta, fructus edidit. Ipse vero Yūsāb, Christi Iesu exhortationi obsequens, statuit mundum et ea quae in mundo sunt [1] relinquere, vitamque monasticam amplecti. Itaque haereditatem suam a fratribus petiit; eique competebant, praeter vasa domus, centum et viginti denarii aurei. Cui responderunt fratres: « Quorsum istis tu uteris? Ea ne dissipes, nobis asservaturis relinque. » At ille: « Iis non opus est vobis, quibus plura praesto sunt. » Aurumque
p. 343. acceptum pauperibus, viduis, orphanis, solitariis, *indigentibus, iis qui egestate premebantur et penuria, distribuit, atque Nilum, occidentem versus, traiiciens, in monte Benhadab monachus factus est. Dies complures ibi commoratus, aegrotavit. Eum autem sancto Anbā Elia identidem, donec convalesceret, invisente, haec, secum reputans, intra se statuit: « Si ab infirmitate convaluero et sanitatem recepero, pergam et habitabo cum illo sene benedicto, precum eius beneficio protectus. » Itaque, incolumitate ei a Domino reddita, ad sanctum inclytum Anbā Eliam se contulit, a quo nunquam deinceps usque ad diem mortis suae discessit.

Incedens autem hic sanctus adulescens ad normam praeceptorum sacri Evangelii, dicentis: « Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, et servo, sicut dominus eius [2] », decertare coepit et ascesim exercere, ac, relicto usu panis et olerum, grana cerealia (*cruda?*) adhibuit, seque perpetuo addixit ieiunio. Magnam noctis partem impendebat stando ad orandum, genua flectendo, uberes fundendo lacrimas, in diuturna perseverando vigilia, his omnibus non obstante tenuitate atque teneritudine corporis eius; aliud namque est corpus civium urbanorum, aliud agrestium corpus. Inde, gravi correptus febri, ita debilitatus est ut sanguinem ore quotidie emitteret quantum

[1] Ponimus supplendam in textu voculam ما vel الذي. Quod nisi admittatur, vertendum: ..... mundum in quo erat. — [2] MATTH., x, 25.

mensura qisṭ [1] capere potest; et de aegrotantis salute desperatum est. Sed cum fratres ad eum convenissent, nocte media, Christum Dominum vidit, discipulis suis puris ipsum collaudantibus stipatum; et surgens Salvatorem adoravit, a quo sanitate donatus est. Post huiusmodi eventus, ad prius rediit vitae institutum in ascesi sua, in religione, in laboribus et orationibus, quibus nec modus erat nec mensura; et corpus illud delicatum evasit fragmento ligni aridi simile, pelle eius ossibus adhaerente; cumque nullam corpori requiem concederet, in pristinum relapsus est morbum, et, annos natus triginta tres, obiit, die quinto mensis hatūr. Quem luxerunt fratres atque sepelierunt, dixitque inter flendum pater noster Anbā Elias: « Sepulcrum tantum ampliate quantum duobus satis sit; » ut nimirum, cum ipse mortuus esset, sepulturae illius consors fieret. Dolebant autem *fratres* sese ab eo separari, sed gloria ei apud Christum Dominum collata gaudebant.

Ad patrem nostrum Anbā Eliam quod attinet, in ascesi proficiebat, non secus ac Nilus temporibus quibus accrescere consuevit, ipsum invisente [2] discipulo eius Abū Iohanne, qui cum eo habitare non potuerat eo quod ex odore saniei priscorum cadaverum stomacho aegrotavisset. Ad eum *die quadam* adduxerunt adulescentem morbo daemoniaco laborantem; qui, hoc illustri *patre* se vixdum intuito, confestim sanatus est. Ac quotquot ei offerrentur aegroti, statim atque ab eo respiciebantur, convalescebant. Ipse, cum in morbum incidisset, Dominum ut mortis anxietates et commotiones sibi leviores efficeret perturbatus et lacrimas in terram fundens deprecabatur, p. 344.
*adstante discipulo eius Abū Iohanne, qui amarum ac tristem illius causa fletum edebat. Porro illi oranti et Deum deprecanti apparuit Christus Dominus, discipulis comitantibus. Cui assurgens *Elias,* eum adoravit, translationem [3] postulans, et, aperto ore, obiit, eiusque spiritum angeli, vestibus gloriae fulgentes, prosecuti sunt [4].

Ipsius benedictio atque intercessio nobis adsit. Amen.

[1] Nomen, apud Arabes, mensurae aridorum, quae dimidia τοῦ صاع pars est. — [2] Arabice usurpatur verbum افتقد, quod valet etiam: « absentis desiderio teneri ». Ratione contextus huius loci habita, prior interpretatio praeferenda videtur. — [3] Intellige translationem ex hoc mundo. — [4] Enunciatio, si verbum الحق transitive usurpetur, ut valeat

p. 164. **Mensis Kīhak dies decimus octavus.**

Hodie memoria Heraclae ('Arīqlā [1]), martyris, et Philemonis, presbyteri atque eremitae. Quorum preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, translatio corporis sancti inclyti, Titi [2] apostoli, qui Pauli apostoli discipulus fuit. Illud imperator inter *omnes* imperatores magnus, Constantinus, ex urbe Cretae ('Iqriṭiš [3]) in urbem Constantinopolim transtulit. Cum nempe imperium a Christo accepisset ac, de rebus ecclesiasticis maxime sollicitus, omnes imperii sui, imprimis tamen Constantinopolis, quae caput imperii erat, ecclesias pulchris cuiusvis generis ornamentis
p. 165. instrueret, *statuit easdem ornatu corporeo, gemmis atque lapicidinarum marmoribus, ita condecorare, ut simul lapidibus spiritualibus caelestibusque gemmis ditaret. Illuc igitur sanctorum apostolorum corpora et quidquid ossium martyrum venerandorum reperisset, congessit. Quare, certior factus huius sancti apostoli *Titi* corpus in Cretae urbe asservari, eo sacerdotum praecipuos cum magna pecuniarum vi misit, qui corpus Constantinopolim honorificentissime detulerunt; idque, templo eleganti aedificato, ibidem, marmorea inclusum urna, repositum est, atque inde Deus magna prodigia et miracula insignia eduxit. E quorum numero hoc fuit. Dum illud corpus traherent, idem in templum illaturi, extrema urna, in pedem alicuius ex baiulis delapsa, eum contudit eiusdemque confregit os. Quamobrem baiulus, flens atque eiulans, oleo ex lampade ante imaginem sancti suspensa cum fide accepto pedem illevit, quem dein ligavit; et, quia domum reverti non poterat, illam noctem iuxta urnam corporis sancti pernoctavit; ac postridie, pede a fasciis soluto ut videret quid ei imponendum, hunc reperit sanum integrumque, perinde ac si nihil ei accidisset, manentibus tantum sanguinis reliquiis. Quod ille, sicut et omnes qui rem viderunt, vehementer admiratus, surrexit, sanguinem abluendo detersit et absque ullo dolore incedere coepit prout solitus erat, laudes

« adiunxit, annexuit », hunc quoque sensum prae se ferre possit: eiusque spiritum angeli vestibus gloriae exornarunt. — [1] De nomine arabico transcribendo atque transferendo inter nostrates non convenit. Aliis Heraclas est, aliis Heracleas, aliis Heraclius, aliis Archelaus. — [2] Cod. D: Yusṭos. — [3] Intelligenda videtur urbs insulae primaria.

Patri, Filio et Spiritui sancto persolvens huiusque sancti apostoli mirabilia praedicans.

Benedictio precum eius nobis adsit. Amen.

Scitote, fratres, die huic respondente traditam narrationem p. 344.
de sene qui in deserto degeret. Ei in mundo erat frater ditissimus; moriensque frater saecularis, relicta uxore cum liberis, curam suorum tutelamque fratri monacho demandavit. Qui, cum res sibi renunciata fuisset, munus suscipere nolebat. Verum officium necessarium esse causati sunt, dicentes: « Nisi veneris et negotia orphanorum viduaeque disposueris, eorum opes pessumdabuntur atque amittentur. » Illis magna vi urgentibus assensit, ea lege ut illuc se conferret ac cito rediret; eoque profectus, senem invenit media in via sedentem, qui reti texendo operam dabat. Ubi autem in domum fratris pervenit, ad eum multi confluxerunt, solatii et reverentiae exhibendae causa, et orphanorum negotia recte disposuit; videntesque quantus monacho honor adhiberetur, complures ex mulieris *viduae* domesticis huic consilium ita dare coeperunt: « Si istum tibi assumere potueris, marito tuo *defuncto* utilior tibi erit. » Illa postero die sese sollicitissime adornavit et ingressa cibum ei apposuit: quam agendi rationem cum vidisset monachus, intellexit insidias [1] *sibi structas.* Et, die subsequenti, eandem iterum conspicatus ornatam atque cibi afferendi causa ingredientem, sese similem exhibens homini cui daemon insit, coepit vultu tristi spumas ore emittere. Quo spectaculo ita perterrita est mulier ut, catino e manibus elapso, aufugeret et *circumstantes* sic deprecaretur: « A me, quaeso, virum istum daemoniacum depellite. » Accedentes igitur, eum expulerunt, ipseque ad cellam suam reversus est. Dum vero rediens per viam iter faceret, senem aspexit qui reti texendo operam dabat, cuius vero rete in multa fragmenta discissum iacebat. Quem ita interrogavit frater: « Qui fit, o senex, ut rete tuum disruptum sit? » Respondit: « Id tu comminuisti. Hoc ego tibi gnaviter texueram, et tu dirupisti. » Quare miratus est frater monachus. Ipse nimirum daemon faciem assumpserat hominis rete in via contexentis. Idcirco *domum* regressus est frater, grates Deo agens.

[1] De hoc, qui non ita frequens occurrit, nominis نصبة significatu cf. Dozy, *op. cit.*

qui gratia sibi collata virginitatem suam tuitus erat et incolumem se corruptionisque expertem ad cellam reduxerat.

Dominus Deus nos servet a vitiis ac molestiis saeculi, et puros atque a sordibus immunes in regnum caeleste introducat. Amen.

p. 165. MENSIS KĪHAK DIES DECIMUS NONUS.

Hodie requie donatus est sanctus Iohannes, episcopus *urbis* el-Borollos [1]. Is, nobili prosapia ortus, parentes habuit sacerdotes [2], qui suas facultates omnes pauperibus erogabant. Parentibus mortuis, quaecumque reliquerant accepit, iisque hospitium peregrinis aedificavit, in quod aegrotos congregavit, eis inserviens et quae necessaria essent subministrans. Porro advenit ut monachus quidam eum conveniret et, quae faceret conspicatus, eo audiente vitam monasticam laudaret huiusque excellentiam ei exponeret. Postquam ille discessit, surrexit Iohannes, quidquid possidebat egenis distribuit, ad montem Scete se contulit, et, cum temporibus Anbā Danielis, archipresbyteri [3] deserti, aequalis esset, apud eum monachus factus,

p. 166. *multa religionis opera exercuit. Dein in recessu [4] solitarius habitavit; sed Satanas huiusque legiones, ei propter egregium vitae institutum invidentes, multis plagis eum verberando affecerunt, adeo ut ex plagarum dolore aegrotus aliquandiu iacuerit. Subinde tamen, a Christo Domino sanatus et confirmatus, fortis evasit ac daemonum victor. Postea, ad dignitatem episcopalem in urbe el-Borollos evectus, cum tunc temporis complures essent in *illis* regionibus sectae, operam impendit zizaniis e frumento evellendis et septem haereticorum factiones ad fidem orthodoxam reduxit.

[1] Urbs quae vix non tota hodie evanuit, et quae, a scriptoribus recentioribus passim vel Brullos vel Beryllos appellata, graece nomen habebat, ut videtur, Παραλίαν. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 104. — [2] Ita ad litt., quod tamen de uno patre intelligendum liquet. — [3] Arabice: قمّص, quod haud inepte vel archipresbyter, vel hegumenus, vertitur. — [4] جوسق, *nomen peregrinae originis et perraro occurrens*, a persico كوسك derivatum vixque diversum, quod cum P. el-Bostānī et G. Freytag in suis lexicis, ille قصر, hic palatium, interpretentur, hoc tamen loco nonnisi modestius quid, casam scilicet, casulam, cellam, significare potest.

Illius aetate apparuit monachus, ex Aegypto superiore oriundus, qui, propositis rebus quas sibi ab angelo Michaele revelatas dictitabat, multos seduxit. Cuius facta postquam cognovit sanctus a Satana originem ducere, iussit in illum apprehensum verberibus animadverti, tum eundem errores suos profitentem mendacii convicit et e finibus *illis* expulit. Alius fuit qui diceret Habacuc prophetam sibi apparentem mysteria revelare, eique multitudo magna adhaesit. Hunc quoque expulit sanctus, eiusdem dictis confutatis. Item plurimos ex libris fallacibus qui per Ecclesiam *vulgati* erant confutavit.

Quotiescumque sanctus Iohannes *altare* conscendebat, missam celebraturus, rubicunda fiebat facies eius, totumque corpus eiusmodi erat ac si e fornace ardenti egressus fuisset; et dum sacrificium offerret, lacrimae eius ut imber defluebant, quia hierarchias caelestes in altari conspiciebat. Insuper ter accidit ut, missam celebrans, quoties digitum in calicem insereret ad signanda oblata tum cum dividuntur, ignem intra calicem ardere experiretur. Eius temporibus fuit secta haereticorum qui vigesies de die ad sacram communionem haud ieiuni [1] accederent. Eos excommunicavit, prohibens ne deinceps nefandum facinus admitterent; cumque vetanti non paruissent, ipso Dominum deprecante, ignis e caelo delapsus illos cum eorundem duce consumpsit; quod ut viderunt reliqui, timore perculsi, ad orthodoxiam redierunt. Postea, ubi voluit Dominus ei requiem ab huius mundi labore concedere, ad eum sanctum Antonium et sanctum Macarium (Maqāryūs) misit, qui de translatione eum praemonerent eique animum adderent. Populum igitur suum arcessivit, eumque cohortatus, in lecto suo decubuit et in pace requievit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

*MENSIS KĪHAK DIES VIGESIMUS. p. 167.

Hodie ad requiem vocatus est vir iustus, propheta Aggaeus. Hic sanctus, ex filiis Aaronis sacerdotis et tribu Levi progenitus, inter duodecim prophetas minores computatur; et, Nabuchodonosore (Boḫtnaṣr) Hierosolymam in captivitatem redi-

[1] Cod. B: ad communionem procaces atque protervi accederent.

gente filiosque Israelis Babylonem (Bābel), *in* Chaldaeorum urbem. abducente. illius prophetae parentes e captivorum numero fuerant. eodem *filio* in Babylonia donati sunt. Postquam Cyrus. qui *et* Darius vocatur, solio potitus est, altero regni eius anno, vaticinia edidit hic propheta. Tum Cyro copiam faciente Israelitis ut Hierosolymam reverterentur ac praescribente ut templum instaurarent, de templi aedificatione vaticinatus est hic propheta, et Israelitis [1] exprobravit quod, cum ipsi in domibus laqueatis et exornatis habitarent, domus Dei diruta iaceret, iisque praedixit, nisi sollicitos sese de domo Dei exhibuissent atque eam gnaviter, prout decebat, instaurassent, Deum opes eorum pessumdaturum, sementium fructus parcius daturum, siccitate et siti in eos saeviturum, et benedictionem vix non totam ab eorum negotiationibus retracturum. His auditis, qui in populo pii erant minis *divinis* sibi intentis perterriti, domum *Dei*, prout decebat, exstruxerunt. De qua, postquam perfecta est, vaticinatus est *Aggaeus*, affirmans eius instaurationem Deo placere. Vixit hic propheta annos plures quam septuaginta, et, in pace mortuus, Hierosolymae, in sacerdotum sepulcro conditus est.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

p. 345. . . . . *[2] latus australe, et praesul Anbā Constantinus (Qosṭanṭīn), episcopus urbis Lycopolis ('Asyūṭ). Nisi hi duo ei qui purus et pius habitus fuisset manus imposuissent, eundem patriarcha non praeficiebat. At vero sanctus Abū Šenūdah noctem illam orationi impendit, Dominum rogans ut animum suum securum ac quietum de isto sancto praeficiendo praestaret, securitateque divino instinctu menti indita, postero die eundem sanctum Pisentium (Bīsantāwos) admisit et ordinavit presbyterum, tum litteras ei dedit ad patriarcham, a quo festive exceptus et episcopus consecratus ac superveniente gratia Spiritus sancti donatus, ubi ad sedem suam se contulit, Ecclesiam collustravit. Consecrationi eius interfuerunt pater episcopus Anbā Pisentios (Bīsantāwos) [3], urbis Copti (Qifṭ) praesul, et Anbā

[1] Cod. B : sacerdotibus. — [2] Narratiuncula haec in uno codice G prostat, et ibi quidem inscriptione simul et initio mutila, ita ut ex iis etiam fragmentis quae aetatem tulerunt quaedam inde obscura satis atque ambigua nobis obversentur. — [3] Idem nomen ac supra, quamvis alia sit persona.

Ephremus (Afrāhām). Diospolis Parvae (Hū) [1] episcopus. Illo laetati sunt Ecclesiae filii, ipseque, ad normam canonum apostolicorum incedens, multa miracula patrabat, adeo ut, si cui benediceret, in hunc benedictio et gratia cito diffunderetur, et, si quem anathematizaret, istum poena statim consequeretur. Sacerdotibus et plebi timorem, tremorem ac metum incutiebat, eumque reverebantur universi. Erant autem homines ea tempestate in magnis angustiis constituti propter Persas. qui prohibuerant ne ullus suis temporibus constitueretur episcopus. Quare, episcopo urbis Latopolis ('Asnā) mortuo, illi *Pisentio* per epistolam pater patriarcha demandavit vicariam urbis Latopolis praefecturam; unde vehementer gavisi sunt huius ecclesiae fideles. Septem annos munus exercuit, oves invisens, dioecesim perlustrans, Domini praecepta omnes edocens. Postea, ubi Domino volente transmigraturus fuit, in urbe Latopoli aegrotavit. Quem navigio ad ipsius monasterium transvehendum curarunt, ad eumque populi confluxerunt, dolentes ac flentes quod futurum esset ut pastore illo benigno ac misericorde carerent. Ipse, illos cohortatus, Christo Domino eosdem commendavit et in pace quievit. Precibus eius Dominus nostri misereatur. Amen.

Hac etiam die, martyrium patris episcopi puri et inclyti Anbā Heliae (Hālyās), qui episcopus erat tum el-Muḥarraq, monasterii *nimirum* Dominae nostrae, purissimae Virginis et praecelsae Mariae, Matris Luminis illius per quod mundo salus obtigit, tum urbis el-Qūṣyah. Erat is pater episcopus Anbā Helias, temporibus Ariani ('Aryānūs) principis, cum corpore suo die nocteque decertans, a sabbato usque ad sabbatum ieiunans, orationibus nocturnis diurnisque addictus. Porro eum quadam die adiit pauper, flens, clamans atque opem implorans p. 346.
adversus *iniuriam sibi illatam a scriba *urbis* el-Qūṣyah, qui iniquus vaferque erat et timoris Dei vix non expers. Itaque pater noster *episcopus*, de nocte surgens, ad illum venit, cui et dixit : « Nonne compertum habes, Deum pauperes mundi exaudire atque eorum ultionem cito consequi? Ipse orphanorum pater est et iudex viduarum. Salva animam tuam, fili mi ; non enim tibi proderit vestis haec pulchra, *qua indutus*

[1] Altera erat in Aegypto superiore Diospolis, cognomine Magna, quae et Thebae, urbs hecatompylos, appellabatur.

prodis, neque, tempore anxietatum et perturbationum mortis, salutem tibi afferre poterit sive aurum, sive filius, pater aut uxor; vita autem nostra umbrae evanidae similis. » Quibus verbis auditis, praeses [1], flens atque eiulans: « Vae mihi, pater! ait. Non *enim* mihi constat, a me, toto tempore quo ministerio in hac urbe functus sum, ullum opus bonum editum esse. » Et continuo, sancti alloquio motus, gratia Spiritus sancti in se delapsa, pauperi illi syngraphas et instrumenta tradidit ad domum illius pertinentia; hanc enim voluerat ei iudicum sententia eripere. Tum vectigal sementibus impositum et quidquid ab illo acceperat ei reddidit; quaecunque hominibus ipse deberet solvit; et, factus humilis atque in egenos misericors, si quem videret angustiis pressum, eum levabat solabaturque; ac quandiu in aedibus praefecturae remansit, nemini licuit alium percutere, quia timor Dei ei obversabatur, et *insuper* precibus continuis, ieiunio diuturno, fletibus atque gemitibus diurnis nocturnisque deditus erat. Illum vero virum pauperem constituit omnium fortunarum suarum procuratorem, haec ei praescribens: « Cave ne cor indigentis moerore afficias. »

Arianus, certior factus de signis et miraculis quae sanctus Anbā Helias patraret, ad eum milites misit, et ad se ab iis adducto amplos pollicitus honores, dixit: « Thus offer diis quos colit imperator. » Cui ille: « Nunquam committam ut daemones adorem. Tu vero, o Ariane, necesse est martyrium patiaris. » At *Arianus,* ei iratus, eum confestim multis affecit tormentis, Domino tamen eundem incolumem praestante, ac postremo praecepit ut capite truncaretur. Itaque martyr gaudens Deum his verbis precatus est: « Domine mi Iesu Christe, si quis, angustia vel calamitate pressus, nomen meum invocaverit, ei salutem confer; et qui martyrium meum conscripserit, illius nomen inscribe tu in libro vitae. » Ad quem vox de caelo venit, dicens: « Amice mi, Elia [2], quaecunque postulasti, imo et his maiora, tibi praestabo. » Tum ille, facie ad carnificem conversa: « Tuum, inquit, munus in me comple; » et, capite statim amputato, fideles eum secreto ablatum absconderunt donec, tem-

[1] Arabice: الارخن; quo nomine praepositus quivis, ac proin idem quoque qui supra كاتب, scriba, vocatus, designari potest. — [2] In hoc uno codicis loco « 'Ilyās », alibi semper « Hālyās » legitur.

pore persecutionis exacto, ecclesiam ei superstruerent; multaque prodigia ac miracula Dominus ex corpore eius edidit. Postquam autem civitas diruta fuit, temporibus patris nostri Anbā Constantini, episcopi urbis Lycopolis, asportavit is corpus *sancti* in urbem Lycopolim, ubi aliquandiu mansit. Verum, instaurata *urbe* Qūṣyah et incolis ad eam reversis, apparuit iste sanctus mercatori qui *Nili aquis in conspectu urbis Ly- p. 347.
copolis vehebatur, eique dixit: « Crastina die, navigio ad huius civitatis littus appulso, in ecclesiam ingressus, corpus meum tecum asporta et ad sedem meam cura deferendum, quia peregre habitare nolo. » Respondit *mercator:* « Pater mi, timeo ne urbis cives me ab eodem auferendo impediant. » Tum ille: « Ingredere, inquit, tu et famuli tui, ac corpus meum asportate; neque enim quemquam invenietis qui vobis obsistat. Et hoc quidem erit tibi signum: a morbo quo laboras sanaberis. » Postero die, ingressus est mercator in civitatem, et famuli una cum ipso; atque in ecclesiam intrans, oratione praemissa et benedictione sancti implorata, tum — hoc vobis vere affirmo, fratres, — vidit idem mercator sanctum e sepulcro cum gaudio surgentem, qui, viri nobilis [1] manu apprehensa, eum hortatus est ne timeret atque ab infirmitate et dolore sanavit. Auferens autem ille corpus sancti, neminem invenit qui se alloqueretur, et confestim laetabundus discessit et usque ad littus *urbi* el-Qūṣyah adiacens navigavit, atque in littore carrum reperit, eique corpore sancti imposito, sivit boves sua sponte incedere. Qui continuo ac festinanter progressi sunt, quodam eos impellente, donec ad el-Qūṣyah devenirent. Tum urbem carrus ter circuivit, ac deinde, bobus ad ecclesiae portam consistentibus, corpus cives laeti acceperunt et in ecclesiam introduxerunt. Nunc vero *idem* corpus in monasterio et-Muḥarraq asservatur.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Mensis Kīhak dies vigesimus primus. p. 167.

Hodie martyrium passus est propheta sanctus et apostolus Barnabas (Barnābā), cuius nomen vertitur Filius consolationis. Hic sanctus, qui ex urbe Cypri et tribu Levi oriun-

[1] Ipse scil. mercator nomine الارخن, principis, viri nobilis, condecoratur.

dus, Iosephus (Yusof) *prius* appellabatur, a Domino electus, in numerum septuaginta discipulorum, quos ad praedicandum ante passionem suam [1] misit, relatus est, atque Barnabas nominatus. Dein, accepta in coenaculo cum *caeteris* discipulis Spiritus Paracleti effusione, apostolorum in evangelio praedicando ac Christo annunciando socius fuit, et, cum agrum possideret, hoc vendito, pretium ad apostolos attulit. Postquam apostolus Paulus, p. 168. fide suscepta, se adiunxit discipulis, *quorum plerique eum factum esse discipulum non credebant, venit hic Barnabas, eum illis sistens et testimonium eidem apud illos perhibens, eum revera Christo nomen dedisse; *itemque* iis enarravit quomodo Dominus ei apparuisset et eum allocutus fuisset. Cum eo *etiam* multas peragravit regiones et Christum praedicavit, siquidem Spiritus sanctus dixerat [2]: « Segregate mihi Barnabam et Saulum [3]. » Quo tempore, Lystram ingressi, evangelium *ibi* praedicabant. Paulo paralyticum in ea repertum sananti comes aderat hic discipulus. At cum ambos Lystrenses deos appellarent vellentque sacrificia iis offerre, gloriam hominum respuerunt illi, et, scissis vestimentis, se homines esse, circumstantibus similes, professi sunt. Compluribus autem regionibus Paulo comite lustratis, ab eo discessit, et, assumpto secum Marco, in Cyprum remeavit, ubi uterque praedicando civium plurimos ad fidem in Christum Dominum conversos baptismo tinxerunt. Quare, Barnabam invidia prosequentes, Iudaei qui in Cypro habitabant praefecti et seniorum insulae animos in eum concitaverunt; a quibus apprehensus et verberibus acerbe caesus, tum lapidibus obrutus, tum e lapidum congerie eductus atque flammis traditus, certamen suum absolvit. Marcum apostolum, qui cum illo aderat, Dominus incolumem servavit et superstitem reliquit, ut in civitate Alexandria et regionibus circumiacentibus praedicaret. Ipse *Marcus* sanctum Barnabam, qui integer remanserat et a flammis prorsus illaesus, ex igne extraxit, abstulit et fasciis involutum in speluncam, extra urbem, in Cypro *tamen sitam* [4], deposuit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem etiam die, memoria nostrae omnium communis Do-

[1] In edit. arab. الامه, non الأمّة, cudendum erat. — [2] B et C add.: discipulis. — [3] *Act. Apost.*, XIII, 2. — [4] B et C: extra Cyprum sitam.

minae, Matris Dei, Virginis inclitae Mariae, per quam Adamo huiusque posteris salus obtigit.

Eius intercessio nobis in aeternum adsit. Amen.

Scitote, fratres, die huic respondente Anbā Samuelem p. 347. (Samūyil) ad requiem vocatum esse. Fuit is e numero sexaginta sanctorum qui in finibus nostris *floruerunt* et quorum, cum viri fuerint puri atque praecellentes, vitae rerumque egregie et praeclare gestarum imum nemo assequi [1] potest. Isti sunt qui, in palaestra religionis gnaviter decertantes, religionis suae mundae fastigium a nullo perspici sinebant; sed opera sua occultanda [2] curabant, iuxta praeceptum Salvatoris dicentis: « Intra in cubiculum tuum et, clauso post te ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui secreta intuetur, te palam remunerabitur [3]. » Ad hunc autem sanctum Anbā Samuelem quod attinet, e finium nostrorum incolis atque ex eorum genere et prosapia ortum ducens, in vico a nobis haud procul distante natus, sacram illam didicit artem qui est labor asceticus ac, vitam monasticam in monte Benhadab professus, summum in ascesi exercenda, itemque in oratione, fortitudinis apicem attigit. Idem, propter devotionem atque solitudinem maxima constantia toleratam, fama late vulgata celebris evasit, dotibus spiritalibus clarus, prudentiae in omnibus operibus suis plenus, ad vitam solitariam tramquillamque acerrima vi contendens, *ad universas disciplinas spiritales se accom- p. 348. modans, iuxta hoc sapientis Salomonis effatum: « Vir prudens bona in omnibus rebus suis obtinebit, et qui spem in Domino ponit beatus erit ac felix in omnibus viis suis, virique prudentis virtutes ab ipsius civibus collaudabuntur [4]. » Is sanctus, vita decora ac nobili qua excellebat, insignem sacerdotii gradum a Deo meruit; atque in monte Benhadab manu patris episcopi Anbā Timothei, episcopi urbis Kopti (Qift), presbyter ordinatus est, et dux atque rector monachis pietati et ascesi in monte Benhadab addictis praepositus, prout scriptum est:

[1] Cum imitatione, tum imprimis cognitione. — [2] Censeo, in textu, pro مكتوبة, quod codex suppeditat, legendum مكتومة. Quod si tamen prior illa lectio admittatur, sensus erit: in tabulas referenda suisque rationibus, mercedis obtinendae gratia, imputanda. — [3] MATTH., VI, 6. — [4] *Proverb.*, XVI, 20, 21.

« Ipse oleo Messiae sui unxit me, ut populum eius Iacob et Israel, ipsius haereditatem, pascam [1]. »

Simili modo pater noster Anbā Samuel animas fratrum cum mansuetudine regebat, quemadmodum de Iuda (Yahūdā) sacerdote testatur Scriptura, populum regni ab eo eruditum esse. Porro erat hic in sermone pacificus, neque studio partium divitibus prae pauperibus favens, neque in optimates prae plebeiis iniuste propensus; sed, universos ut seipsum diligens, Dei praecepta iuvenes senioresque edocebat. Hic sanctus nunquam, toto vitae tempore, commisit ut in ulla re sermocinationum huius mundi particeps fieret; neque nomen viri *cuiusquam* praepotentis memorabat, nisi quis ipsi de eo referret, ab eodem Deum amari, pauperes diligi et eleemosynas distribui: quae si audiret, illi *viro praenobili* bene precabatur atque benedicebat. De isto illustri sancto Anbā Samuele narratum est, eum, quandiu fratribus in fastigio praepositus fuit, nihil unquam alimentorum huius mundi seorsim ab illis degustavisse, neque vestem [2] ab eorum veste diversam induisse, sed inter eos fuisse velut parvulum et adulescentulum, alacrem sane atque constantem. A tempore quo monasticum vitae institutum amplexus est usque ad diem mortis, eorum *esculentorum* ex quibus sanguis effluit nihil in os introduxit, nec quidquam praeter panem et sal comedit, neque ieiunium fregit aut aliquid omisit precum sibi incumbentium. Duodeviginti annos presbyter et abbas degit, quibus exactis, Deus, volens requiem ei ab omnibus laboribus concessam, angelum ad eum misit, qui diceret: « Accinge te nunc ad regnum caeleste consequendum. » Itaque fratres convocatos hortatus est ad canones et regulas vitae monasticae servandas. Dein morte requievit, et corpus eius decenter compositum ad ecclesiam Anbā Petri Magni in urbem Coptum detulerunt.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 168.

MENSIS KĪHAK DIES VIGESIMUS SECUNDUS.

Memoria angeli praecelsi, archangeli Gabrielis, laeta praenuntiantis; item ecclesiae eius, in urbe Dānāh aedificatae; miraculorum etiam in ea editorum et consecrationis eiusdem,

[1] Cf. Is., LXI, 1; I *Sam.*, IX, 16; X, 1, et alibi passim. — [2] De nomine تراج cf. sup., p. 244, in nota.

hoc ipso die celebratae, prout ea de re testimonium perhibuit Archelaus ('Aršilāwos), memoratae civitatis episcopus. Hic est angelus praenobilis qui ad Virginem allegatus est et cui, *prae (p. 169.) caeteris angelis universis, praeclara annuntiatio commissa fuit. Qui, ubi ad Virginem venit, dixit ei: « Ave, tu quae gratia plena, Dominus tecum [1]. » Idem etiam est qui Zachariae Iohannem Baptistam [2] praenuntiaverat. Quare praecellens habenda est dignitas huius angeli insignis, excelsi, nobilis, electi, Gabrielis, fausta praedicentis. Nunc ergo, quae recta sunt animo prosequentes, ad festum illius agendum conveniamus et, amotis simultatibus, mutuam ineamus reconciliationem, spem nostram in Deo misericorde ponentes, ut in nos ipse respiciat; preces ad illum [3] ex toto corde fundamus, non secus atque ad principatus illius consortem Michaelem, ut nos omnes ex inimici insidiis eripiat [4], quoniam absque Dei ope et sanctorum eius intercessione nemo est qui salutem adipiscatur. Porro ea est nominis Gabrielis interpretatio ut valeat: Deus et homo [5]. Idem quoque est qui nuntium pastoribus attulit, dicens: « Hodie natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus [6]. »

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Hac etiam die requievit sanctus pater Anastasius, urbis Alexandriae patriarcha. Is sanctus, Alexandriae, ex civitatis primoribus natus, quibusdam muniis publicis [7] praepositus fuerat. Dein confinibus presbyter praefectus est ac postea ad patriarchae dignitatem electus. Qua ubi insignitus est, maximam Ecclesiae *regendae* sollicitudinem adhibuit, episcopos et sacerdotes *sedibus et* locis quae vacua erant imposuit, complures ecclesias aedificavit, alias plurimas a Melchitis recepit, quibus, propter virtutes, scientiam et religionem, venerationi erat, et quorum multos ad fidem orthodoxam reduxit. Imperatori qui

[1] Luc., I, 28. — [2] B et C: Iohannis Baptistae nativitatem. — [3] Sensum magis perspicuum efficit C, qui add.: scilicet angelum Gabrielem. — [4] Cod. C: ad principatus illius consortes: Michaelem, Raphaelem et Sūryālem, ut nos... eripiant. — [5] C: ut valeat: vir Dei. — [6] Luc., II, 11. — [7] De quonam munere sermo fiat, cum ex contextu non colligatur, definiri nequit. Nomen quippe arabicum hic usurpatum, ديوان, etsi summum regni consilium seu senatum saepe notat, potest et varia officia ac munera, idque imprimis quo quis rei nummariae atque aerario publice praesit, designare.

tunc temporis Constantinopoli et regioni Aegypti praeerat, Phocae [1], interfecto alius successit, ad quem vir quidam improbus epistulam misit, patrem *patriarcham* apud eum accusans quod inter praedicandum [2] imperatorem huiusque fidem anathematizavisset, cum tamen nihil fecisset hic pater eorum
p. 170. quorum ipsum accusabant. *Lectis autem litteris, imperator iratus mandata ad praefectum Alexandriae misit ut ecclesiam Cosmae et Damiani patri *Anastasio* ademptam eiusque praedia Eulogio ('Awlūğyūs), Graecorum (er-Rūm) patriarchae, traderet. Eam ob causam magno moerore affectus est pater *Anastasius*. Quem tamen Dominus consolatus est, Petrum, Antiochiae patriarcham haereticum, interimendo et in huius locum suscitando virum nomine Athanasium, monachum sanctum et doctum, qui ad patrem Anastasium litteras dedit fidei orthodoxae consonas. Iis sibi redditis gaudens *patriarcha*, eas omnibus episcopis suis et sacerdotibus [3] recitavit, hique laetitiam inde perceperunt, earumdem eloquentiam et scribentis scientiam admirati. Porro pater Athanasius, aliquot episcoporum suorum et sacerdotum comitantibus profectus, Alexandriam venit, apud patrem Anastasium habitavit et cum eo in quodam coenobio spatium unius mensis commoratus est, altero ab altero addiscente et ambobus de religionis principiis inter se disceptantibus. Dein ad dioecesim ille in pace reversus est. Is vero pater perseveravit in grege tum per se et coram, tum per libros, erudiendo; tantaque erat eius facundia et scientiae copia ut quotannis librum conscriberet cuius initium una ex alphabeti litteris. Et primo quidem anno exorsus est a littera A, illo volumine epistulas, commentationes et conciones suas complectens; altero anno, a littera B exorsus est; et ita porro, quoad in munere patriarchali annos exegit duodecim et duodecim litteris librorum initium fecit; tumque, tempore ieiunii quadragesimalis Natalis gloriosi, in pace quievit.

[1] Nomen hoc in uno cod. C prostat. — [2] Ita ex vulgari verbi كرز acceptione. Si tamen ratio habeatur moris *Synaxarii*, cui كرز idem frequentissime valet atque كرّس, i. e., consecrare, putaverim equidem probabiliorem forsan esse hanc interpretationem: cum consecraretur, vel: postquam consecratus est. — [3] B et C: episcopis suis et sacerdotibus convocatis.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Requie donatus est Anbā Nābas [1], episcopus *urbis* 'Aydāb. p. 348.
Sic autem sit inpraesentiarum exordium sermonis ac studii nostri *a suavibus librorum prophetarum effatis, quibus inci- p. 349.
tamur ut cordibus gestientibus properemus ad Domini electos, horum memoriam cum laetitia agamus atque eorum perfectionem cum exsultatione et iubilatione celebremus, quemadmodum in psalmis scriptum est [2]: « In noctibus sanctorum extollite manus vestras et benedicite Domino; vobis benedicet Dominus. » Et iterum [3]: « Omnes iusti ad te preces fundunt. » Item dicit *psalmista* [4]: « Ecce mors electorum Domini coram eo pretiosa. » Scriptum etiam est apud Isaiam [5]: « De nocte excitatus est spiritus meus; diluculo ad te vigilat, Deus meus, quia mandata tua lumen sunt super terram. » Sed agedum! festinemus ad initia vitae illius *viri* describenda, ut dimidiam partem summae perfectionis eiusdem assequamur, quia de eo locuti sunt libri *sacri*, eorum opera [6] qui ministri fuerunt sermonis [7].

Is in vico parvo, ab oriente *urbis* Copti (Qifṭ) natus, vir fuit corpore formosus, robustus, aspectu pulcherrimus. Quem adhuc iuniorem vinitor *in locum* Taḫāt [8] cum iis qui uvas in torcularibus premebant adduxerat. Ipse vero partem sibi elegit vitam illam decoram et amabilem, quae est religiosa ascetarum vita, ac tranquillam praetulit commorationem in deserto, obediens et discipulum se addicens senioribus sanctis, perfectis, laborisque amantibus, quorum opera atque agendi rationem in se exhibuit, aggressus sedulam morum et virtutum eorum aemulationem, neque ab eorundem dotibus procul distans. Praedicabatur *iuvenis* recto corde, adeo ut etiam Aegyptiorum lingua tānis diceretur. Verum ne sermonem multis protrahamus,

[1] Nābas vel Nābis; decurtatum, ut videtur, Barnabae nomen. — [2] *Ps.* CXXXIV, 2. — [3] *Ps.* CXLV, 10. — [4] *Ps.* CXVI, 15. — [5] Is., XXVI, 9. — [6] Arabice: من جهة; quae locutio proprie valet: ab aliqua parte, respectu alicuius; hic autem significare videtur causam aut occasionem, ita ut sensus sit vel ab apostolis, vel cum apostolis laudatum esse Anbā Nābam, in iis nempe Scripturarum locis ubi illae extolluntur dotes quibus ipse, non secus ac apostoli, excelluerit. — [7] Appellatio scripturistica qua Evangelii praecones designantur. Cf. Luc., I, 2. — [8] Nomen omnibus lexicis extorre, quod, nisi locum aliquem notet, nescio equidem quid notare possit.

huic inhaereamus sapientis Pauli dicto [1]: « Non sinit me tempus de rebus agere Gedeonis, Barac, Samsonis, Iephte, Davidis, Samuelis et reliquorum prophetarum. » Et vere, si longiori librorum sacrorum commemorationi immoraremur, temporis angustiis ab ea re retraheremur, cum tanta sit sententiarum in illis inscriptarum suavitas. *Ipsa* namque *Scriptura* dixit [2]: « Sermo tuus in gutture meo dulcis, in ore meo favo iucundior; » itemque: « Sermo Domini favo suavior et melle. »

Nunc vero ad expositionem revertamur quam exorsi eramus, et finem vitae illius *sancti* narremus. Dignitatem episcopatus meruit, qua praefuit ecclesiis ʿAydāb, urbis sitae in littore *maris* el-Qolzom [3] et in confinibus Berberorum qui Beğae (el-Bağāh) appellantur. Eam enim dioecesim patres nostri ab initio occuparunt propter mercatores et navarchos qui per Mare Rubrum navigabant, ut illuc applicarent [4]. *In urbe* Copto, domicilium habebat ecclesiam exiguam, ubi cum paucis sacerdotibus, qui ipsi aderant, orabat et sacrum peragebat sacrificium. Ad ʿAydab autem, quae in desertis Berberorum locis a Copto itinere plurium quam tredecim dierum distat, presbyterum et
p. 350. diaconum per vices mittebat. *Quod si ipsi necessarium foret illuc pergere, eum Beğae cum omni ecclesiae supellectili, qua ei opus esset, camelis vehebant, camelorumque mercedem accipiebant.

Considerate igitur hanc quae ei divinitus obtigit sortem, eo quod a teneris amore deserti diligentissimo detineretur, ita ut nollet multis hominibus commisceri. Propterea in episcopatu suo loca illa deserta, a conturbatione, altercatione et fallacia hominum remota, obtinuit, quemadmodum de Iohanne Baptista scriptum est [5], eum in deserto commoratum usque ad diem quo Israeli manifestaretur. Ea igitur ratione sancti quoque Anbā

[1] *Hebr.*, XI, 32. — [2] Cf. *Ps.* XIX, 11; EZECH., III, 3. — [3] Urbs fere eadem quae nunc vulgo Suez appellatur, Sinui Arabico seu Mari Rubro adiacens. — [4] Verbum تقرّب, quod accedere primitus valet et quod de navium appulsu hic interpretamur, haud minori forsan iure intelligeretur, prout apud christianos passim consuevit, de accessu ad Eucharistiae sacramentum; tumque significaretur, occupantibus pridem illas regiones in animo fuisse ut navigantibus sacrae communionis recipiendae copiam subministrarent. — [5] LUC., I, 70.

Nabas [1] episcopi opera recta vere ut radii solis fulserunt, dum in corpore viveret; ac bonus odor aromatum eius sursum ad Deum ascendebat, iuxta illud Pauli dictum [2]: « Bonus odor sumus Deo in Christo, ad constantem aromatis directionem a vita in vitam. » — Erat hic vir perfectus in omni oratione et continentia; eius vultus gaudii plenus atque laetitiae; *tota* habitudo libera apertaque, et eiusmodi ut aditum omnibus patere denuntiaret. [3] Dei gratia in ore ipsius insidebat, et supra corporis vestes omnibus erat exornatus virtutibus; nullusque fuit hominum, qui, ad ipsum ingressus et solus cum solo versatus, non egrederetur laetus, gestiens ac gaudio faciei illius inebriatus, prout scriptum est [4]: « Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa; » itemque [5]: « Bona mihi lex oris tui, millibus auri et argenti praestantior; » et iterum [6]: Vox gaudii et exsultationis in tabernaculis iustorum sufficit. » Et revera nobis sufficit dictum *istud*, si convenerimus ut stemus in tabernaculis sanctorum, praesertim ut adoremus; manifestum enim est, voce exsultationis et salutis attingi aures internas, quae omnia membra contineant regantque, et sicut cera liquefiant prae copia aromatis electorum corda nostra commoventis, ut crescamus et puros in suavitate ac caritate mutua fructus edamus.

Porro erat ille *Anbā Nābas* spiritualis, simplex admodum, habitu humilis, sermone utens sale atque urbanitate condito, pulchra facie praeditus, fidelis; sapiens sicut Petrus, Iohannes et caeteri apostoli, qui recte scribendi imperiti, sed, Spiritui sancto innixi, eloquia prophetica ex thesauris cordium omnis unguenti divini plenorum proferebant. Multum autem in episcopatu senuerat, temporis spatio quadraginta annis maiore in gradu sacerdotali exacto. Multitudinum frequentiam non se-
ctabatur, sed solitarius degebat, *vitae eremiticae amans; ne- p. 351.
que plures tribus aut quatuor sacerdotibus ei aderant, quibus-

[1] Codex hoc loco نبيس prae se ferre videtur; quae sit lectio varia pro نابس. — [2] Cf. II *Cor.*, II, 15, 16; cuius loci ratio necessario habenda est ei qui velit in effato nobis prostante non omnino caecutire. — [3] Huiusmodi paraphrasi nobis videmur reddere posse vocabulum perraro occurrens, سابل, quod Dozy, *op. cit.*, interpretatur: « public, commun, à l'usage de tous ». — [4] *Ps.* CXIX, 162. — [5] *Ps.* CXIX, 72. — [6] *Ps.* CXVIII, 15.

cum in proprio conclavi, clauso ostio, sacram missam celebrabat [1]. Patres episcopi aetatis illius aequales, nimirum Anbā Bifāmūn, qui memoria vere dignus est, Anbā Iohannes et Anbā Babnūdah, animum eius sibi conciliare studebant: itemque qui illos *tempore* subsequebantur eundem rogabant ut secum in ecclesiam publicam saepe conveniret, quia eum sibi potestate praecellentem habebant, iisque loco parentis erat. Multos enim ex iis qui variis infirmitatibus laborarent sanabat; sed et insuper res plurimas, antequam evenirent, vere praevidebat atque praenunciabat: illustresque navarchi, quales beatus Serapio (Sarābyūn), Samliq, Dorotheus (Ẕaratāwos), Dastānas et Labdāsāti, ad eum ventitantes, benedictionem eius aucupati, optabant ut a se quidquam postularet vel praeceptum sibi imponeret, quod Deus ipsius ore eloqueretur. At vero audite nunc et admiramini.

Quadam die [2], aegrotante beato Heraclide, viro vitam monasticam amplexo in Apostolorum ecclesia, quae est templum ipsius nomini consonum, et omnibus existimantibus morbum esse mortiferum, sanctus Anbā Paphnutius (Babnūdyūs) [3], pro officii sui ratione, ingressus est, ut illius patrem alloqueretur et de eiusdem statu nomine quorumdam ex navarchis certior fieret. Qui dum per portam domus intraret, quemadmodum ex relatione eorum qui rem oculis usurparunt certo comperimus, timore de homine [4] in ipsum illapso, dixit: « Dominus caput est servi sui [5]; isque, qui, nondum mortuus, a parentibus tamen quasi mortuus habetur, pro modo meriti sui, ex morbo convalescet, sed lumen visus amittet. » Quam ob causam ille, monachus factus, sollicitudines huius saeculi effugit, et imo ei emolumento fuerunt istius mundi labilis molestiae.

Alia die, beati Lugii (Lūǧyūs) uxor, marito e vivis sublato, dolore conficiebatur. Cui auctores fuerunt quidam ut ieiunio se dederet atque poenitentiae operibus, ne tentatione oppri-

[1] Ad litt.: quibuscum...... communionem recipiebat. — [2] Quae hoc continentur paragrapho superioribus paulo adhuc obscuriora videntur atque intricatiora. Ea idcirco ad litteram, quoad fieri possit, transferre conamur. — [3] An idem atque Anbā Nābas? — [4] *Aegrotante?* — [5] I. e., penes Deum arbitrium est de salute vel morte servi sui decernendi. — Locus igitur non erat notulae quae in edit. arab. huic enunciationi subiuncta est.; et legamus oportet: السيد راس خادمه.

meretur. Sed beatus Anba Nibas [1], qui eius statum prophetae Dei instar attente considerabat, eam *hortabatur* ad cibos quibus uti solita esset sumendos et ad corpus aqua calida lavandum, ut ad quietem *mortis* [2] consueto vitae instituto insistens perveniret; quippe quam praescierat morti proximam et post paucos dies decessuram. Haec est autem visio quam sibi *ea de re* exhibitam narravit: « Quadam nocte, ait, tristitia propter illam eiusdemque liberos affectus, timensque ne isti utroque orbarentur parente, siquidem eorum pater iam antea obierat, homines audivi sermonem *temere [3] miscentes, dicentesque: p. 352. « Cecidit quidem turris, sed pars eius immota stat. » « Haec vero, inquit aliquis, et ipsa mox ruet. » Intellexit igitur Anbā Nibas de turri domus agi, monuitque ut de ea [4] sollicitos se praeberent; et sicut praedixerat, ita factum est.

Turmae viatorum [5] dux, nomine Agilas (ʿAǧīlās), vir potentia insignis, homines qui libere ac sincere locuti erant antequam ipse gradum principatus in exercitu obtineret apprehensos coniecit in carcerem et potestate in eos aperte abusus est. Unde, sanctum Anbā Nibam convenientes [6], rogaverunt ut illum adiret et pro se intercederet. Qui, ad illum pergens, eundem instanter deprecatus est, dicens: « Noli, fili mi, hoc facere, neque te durum corde praebeas. » Dum haec proferret, *dux*, demone maligno incitante, coepit sanctum Anbā Nibam conviciis mendacibus ita impetere ut senex, ira commotus, in haec erumperet verba: « Nec quiete *deinceps* frueris, nec felix eris unquam. » Ubi autem discessit iratus senex, repente in morbum implicitus est Agilas et, circa meridiem illius diei mortuus, sepulcro conditus est.

Tota sancti Anibae (ʿAnibas [7]) vita annorum fuit nonaginta,

[1] Sic codex hoc loco et infra pluries. — [2] Ut latiorem verbi تنيّح sensum ita hic coarctemus suadet enunciatio proxime subsequens. — [3] Ad litt.: sermonem delirum, desipientem. — [4] De muliere scilicet aegrotante deque eius familia. — [5] Arabice: سيّارة. Quae vox eam proprie designat mercatorum seu peregrinantium turmam, quae et قافلة (gallice «caravane») vocatur, et cuius dux passim armatorum manu stipatus incedit. — [6] Quod vel de captivis libertate donatis vel de eorum amicis intelligas. — [7] Nova eiusdem nominis forma, eaque contractione nominis Anbā Nibas, ut videtur, enata.

ex quibus quadraginta munere episcopali fungens exegit; et in perfecta felicitate obiit, neque ad extremum usque halitum ulla re caruit aut ulla in eo virtus defecit. Eius mors evenit die vigesima secunda *mensis* kīhak, eadem nempe qua ipsius festum agimus, dicentibus *hominibus*, cum cantatorum optimo, Davide [1]: « Haec dies quam fecit Dominus; hac igitur conveniamus, laetemur atque exsultemus; » quia haec est revera exsultationis dies, qua nos oportet ob iusti memoriam laetari gestireque. Itemque scriptum [2]: « Iustus convivium perpetuum. » Dixit etiam Paulus [3]: « Bonus odor Deo sumus; » *cuius rei* hoc est signum, iustorum aromate nos attingi per illas eorundem orationes quibus pro nobis apud Salvatorem nostrum et Deum Iesum Christum intercedunt, ut nos caritate sua custodiat, iuxta *eiusdem* Pauli effatum [4]: « Pax Dei, quae omnem intellectum exsuperat, corda vestra custodiat atque dirigat ad Dei amorem et spem Iesu Christi, qui nos ab omni re mala eripiat et ad regnum suum caeleste perducat: cui sit gloria in aeternum. Amen. »

Hac etiam die [5], memoria praeclari angeli Gabrielis, faustorum nuncii, itemque aedificatio ecclesiae urbis Caesareae, miraculorum in ea manifestatio, et consecratio eiusdem festo illius
p. 353. *archangeli* die, qui est vigesimus secundus mensis kīhak. *Erat in urbe longinqua vir qui ibi pridem aegrotus iacebat neque ullum invenerat levamen. Qui, cum miracula et prodigia quae in ecclesia angeli Gabrielis patrabantur audisset, occurrente nocte festi illius *angeli*, votum emisit, dicens: « O Gabriel, memento mei coram Deo, ut mihi sanitatem largiatur levamenque obtineam; » et, media nocte vertente, sudore emisso, convaluit, Deusque sanitatem ei restituit. Mane igitur surrexit laetus et filium suum, viginti quinque aureis donatum, ad ecclesiam misit. Dum hic in itinere versaretur, ecce leo, e sylva egressus, eum devoraturus apprehendit [6]. Exclamavit autem *puer*: « O Gabriel angele, memento mei apud Deum, qui me incolumem praestet. » Et confestim Gabriel, e caelo delapsus, puerulum leoni eripuit, huius dorso illum imposuit et ad ecclesiam ita duxit ut feram *puer* moderaretur, eique perinde ac

[1] *Ps.* CXVIII, 24. — [2] *Prov.*, XV. 15. — [3] II *Cor.*, II, 15. — [4] *Philipp.*, IV, 7; *Gal.*, I, 45. — [5] Narrationem huic valde affinem, breviorem tamen, videsis supra, p. 258. — [6] Ad. litt.: devoravit.

iumento insideret donec ad ecclesiam perveniret. Quod intuentes turbae admiratae sunt. Ipse *puer* donum votivum quod manu gerebat laetus obtulit; leo vero, illo ad portam ecclesiae deposito, abierat. Porro homines universi attoniti stabant, videntes miraculum quod evenerat. Ut testatur Archelaus ('Aršilāwos), civitatis memoratae episcopus, hic ille est angelus qui ad Virginem missus fuit, cui, prae omnibus *caeteris* angelis commissa est nobilis annuntiatio et qui, ad Virginem accedens, dixit ei [1]: « Ave, gratiae plena, Dominus tecum. » Idem etiam est qui Zachariae laetum de Iohanne Baptista nascituro nuntium attulit. Praeclarae admodum sunt excellentiae huius angeli Gabrielis, evangelistae magni, electi, venerandi. Nunc ergo, die festo conveniamus, cum intentionibus puris quae Deum misericordem deceant, ut ad nos respiciat, atque ab eo supplices, ex toto corde, suffragantibus etiam angelis Michaele et Raphaele, petamus ut nos e Satanae insidiis eripiat, siquidem absque divino auxilio salutem adipisci nemo potest. Ea est vis *nominis* Gabriel ut virum Dei significet, quia *Gabriel* faustum incarnationis Dei nuntium attulit, idemque haec verba gaudii plena ad pastores direxit [2]: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus. »

Ipsius intercessione Dominus nostri misereatur. Amen.

Mensis kīhak dies vigesimus tertius. p. 170.

Hodie requie donatus est sanctus athleta Timotheus, eremita. Natus erat is sanctus parentibus piis, a quibus *sollicite* educatus et sacrae Ecclesiae disciplinis excultus fuit. Tum, instituti monastici cupidus, domum reliquit et in quodam coenobio habitavit, ubi monachus factus est. Dein menti illapsa est cogitatio de vita solitaria capessenda in loco qui a coenobio prope aberat, ut ibi peregrinos hospitio exciperet et cibum egenis suppeditaret. E coenobio igitur egressus, cellam illi propinquam sibi aedificavit, in qua domicilium aliquandiu habuit, labore manuum victitans. Porro insidias ei dolose struxit virtutis inimicus per feminam monacham, quae ad eum venit, *ut ab eo laboris partum emeret. Propter frequen- p. 171.

[1] Luc., I, 28. — [2] Luc., II, 11.

tem enim illius accessum, familiaritate inter ambos enata, cibum una sumpserunt, moxque peccati morbo impliciti, imo mortui sunt, et in morte peccati sex menses permanserunt. Tunc Deus — qui exaltetur! — eum non dereliquit, verum horam e vivis excedendi et coram Christo, die illa tremenda, consistendi in memoriam ei revocavit. Quare coepit propriam miserari sortem seque ipse increpare; et, ex eo loco, *in quo erat,* profectus, desertum ingressus est, Deo — qui exaltetur! — eum dirigente ad partem in qua fons aquae fluentis et palma dactylorum ferax, ubi sedem fixit. Inimicus vero, ei propter animae salutem invidens, graves in interiora corporis eius morbos immisit, ita ut prae doloris aestu facie in terram prostratus iaceret, orans et sibi dicens: « Dolor iste fructus est immundarum illarum voluptatum *quibus indulsi,* proindeque, o anima mea, doloris vim patienter sustine, ut morbi tui *spirituales* sanentur. » Postquam quadriennium in eo statu remansit, ad eum respexit Deus, misitque angelum suum qui illius pectus manu sua unctum ab omni dolore quo affligebatur [1] liberavit, tum, corpus [2] digito discindens, cor [3] mundavit, idem in locum suum reposuit, pectusque coagmentavit atque clausit quale prius fuerat. Tum dixit ei angelus: « Ecce sanus factus es; noli ad peccatum reverti, ne poenas des maiores quam hae fuerunt. »

In deserto commoratus est Timotheus annos triginta; decennium antea in monasterio et in solitudine [4] exegerat. Toto illo tempore quo desertum incoluit, vestium expers erat; verum Deus corporis pilos ita produxit ut iis eiusdem tum antica tum postica pars tegeretur. Assecutus est hic pater insignem vitae asceticae gradum. Ad eum familiariter accedebant ferae deserti, eiusque pedes lingebant. In pace quievit, corona certaminis sui redimitus.

Precum eius benedictio nobis adsit. Amen.

Item hodie, prout testantur quidam Indices [5], ad hanc diem,

[1] Cod. B: a dolore fornicationis. — [2] B et C: latus. — [3] Arab.: كبد, quod proprie iecur est. Sed idem nomen, sensu latiore, tum omnia corporis interiora, tum cor imprimis designat. — [4] B et C: in monasterio solitarius. — [5] De sanctorum ac festorum Indicibus seu Catalogis agitur.

requie donatus est David propheta [1], filius Iesse. Is, qui alter regum Israelitarum et prophetarum primus recensetur, insignis fuit inter illos reges vita egregia, iusta atque perfecta. Erat ex tribu Iudae et ex *civitate* Bethlehem *oriundus.* Hunc Deus regem Israelitis praefecit, postquam Saül, filius Cis, praeceptum divinum transgressus est. *Tunc Samuel propheta a Deo iussus p. 172. est unum ex filiis Iesse regem ungere. Elegit igitur Samuel filium natu maximum, pulchra facie et corporis robore conspicuum. Quem tamen Deus non admisit, sed Samueli dixit [2]: « Noli pulchritudinis eius et staturae procerae rationem habere; non sum enim sicut homines, qui ad egregiam formam externam attendunt; sed corda probo ego et quae latent comperta habeo. » Itaque Davidem unxit ille regem. Cui Deus in omnibus rebus eius affuit; et propter cordis munditiam ac mansuetudinem, inimicum suum necem sibi inferre conantem saepe superavit vitaque donavit. Aliquando scilicet Saul, ad illum requirendum egressus, nocte ingruente, somno se dedit. Ad quem dormientem accessit hic propheta et extremam pallii partem abscidit, ut ostenderet se illo potitum esse et dimisisse incolumem; postea autem ipsum pallii amputati poenituit [3]. Eundem *Saulem* cum iterum dormientem invenisset, abstulit hastam eius et vas aquae iuxta *dormientis* caput repositum, ipsi vero non nocuit; hortantibusque amicis ut illum interficeret respondit [4]: « Absit hoc a me ut in dominum meum, unctum Domini, manum iniiciam. » Nuntiante ei quodam necem Saulis, inimici eius, eodemque subiungente: « Illum ego interfeci », tristitia affectus est, vestimentum scidit, et eum qui se interfectorem profitebatur occidit [5].

In prophetam istum plurimas Deus congessit virtutes, inter quas maxime enituit virtus humilitatis. Cum propheta esset, perfecta conspicuus iustitia et regia dignitate ornatus, se ipse canem mortuum, pulicem contemptibilem, vermem atque iumentum vocabat. Ea humilitate universis hominibus nobilior evasit, et in multis libris Deus eum laudibus extulit, dicens [6]: « Davidem, filium Iesse, inveni virum cuius cor cordi meo consen-

[1] In edit. arabica, pro من, nomen نبي cudendum erat. — [2] I Sam., xvi, 7. — [3] Cf. I Sam., xxiv. — [4] I Sam., xxvi, 11. — [5] Cf. II Sam., i, 1-16. — [6] *Act. Apost.*, xiii, 22.

tiens et qui votis praeceptisque meis obedit. » Eius sive superstitis sive mortui causa. Deus saepe filios Israelis servavit et Hierosolymam tuitus est; eum lingua prophetarum suorum celebravit et reges populi ab eo prognatos constituit. Tum vero eum summo donavit honore, cum, ex eius progenie incarnatus, seipsum illius filium appellavit [1]. Vaticinatus est *David* in libro *Psalmorum*, qui ipsi auctori adscribitur et quo adversus daemones armamur atque omne genus sermonis pulchri eximiaeque doctrinae continetur. Idem, quod ad adspectum ipsius attinet, fuit vultu [2] rufus, oculis caeruleis, statura mediocri. Erat insuper vi ac vigore corporis praeditus, divinitusque corroboratus: nam, dum adhuc adulescentulus gregem patris sui pasceret, modo lupus, modo leo venerunt ut ovem e pecore devorarent; ipse vero lupum occidit et leonis maxillas diffidit. Quo tempore Saul castra contra Philistaeos posuerat, prodiit Goliathus gigas, cuius altitudo sex cubitorum et spithamae unius erat, totum corpus armatura ferrea tegens, manu gerens hastam crassitudine liciatorio textoris parem, sagittisque [3] utens
p. 173. quarum pondus sexcenti sicli [4]. Qui cum, per aciem *Philistaeorum circumcursans, quadraginta dierum spatio in Israelitas superbe se efferret, ex *Saulis* exercitu nemo adversus eum progredi audebat. Advenerat autem David, fratres suos invisendi gratia; et, postquam illum vidit eiusque sermones audivit, zelo divino in eum incensus, funda sua et quinque lapidibus parvis secum assumptis, ei obviam processit. Quem ille irrisit, Dei nomen conviciis lacessens. David vero respondit [5]: « Tu venis ad me cum gladio, et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Dei fortis. » Tum lapide in fundam immisso eum ita percussit ut, lapide in frontem ingresso, in terram procideret *gigas*; huius porro gladium eduxit *David*, eoque caput *iacentis* amputavit et *ita* opprobrium abstulit ab Israelitis.

Tota vitae *Davidis* series septuaginta annorum fuit; ex quibus triginta annos antequam ipsum Samuel propheta regem po-

[1] Cf., v. g., MATTH., XXII, 41 sq. — [2] Ita ad litt.; quod sane de capillis et barba intelligendum. — [3] C: hastae cuspide. — [4] Arabice: m i ṯ q ā l, de qua voce vides notulam, sup., p. 239. Cf. I SAM., XVII, 7. — [5] I SAM., XVII, 45.

puli ungeret, et quadraginta regia auctus dignitate exegit. Tempore natali Christi incarnationem mille centum et viginti annis praecessit. Postquam in pace quievit, sepulcro patrum suorum conditus est.

Ipsius preces atque intercessio nobis omnibus adsint.

Scitote, fratres, haec ab Anastasio (Nasṭās) hodie narrata p. 353.
fuisse: Postquam Qafrī [1], filius fratris regis Nubarum (en-Nūbah), venit et monachus apud nos in coenobio *nostro* factus est, triennio elapso, ad me accessit mihique dixit: « Pater mi, *modicum quid a te exopto. » Cui ego: « Quid illud, fili mi? » p. 354.
Respondit: « In animo est ad monasterium sancti Abū Šenūdah transire, quia ibi frater *mihi* monachus, qui *hucusque* [2] ab abbate suo licentiam petebat ut ad me veniret, eaque obtenta singulis noctibus ad domicilium meum se conferebat, apud me orabat et recedebat, nullo fratrum huius rei conscio. At vero ego quoque velim, te copiam faciente, ad illum pergere. » Huiusmodi sermonem miratus sum, meque invasit cogitatio maligna et dixi: « Num est hoc *verum?* [3] » Copiam *tamen* ei dedi, et ex hoc monasterio egressus est, me propter desiderium eius et verba obstupescente nec fidem dictis adhibente. Verum Diudus (Dyūd [4]), praeses monasterii Abū Šenūdah, me convenit et haec mecum communicavit: « Filius meus singulis noctibus ad monasterium tuum se confert, fratris qui ipsi in eo est causa; sed abhinc diebus septem de eo nihil comperi. » Porro die septima [5] filius meus Qafrī rediit gaudens, laetabundus, exsultans, mihique reditum suum nuntiavit. Quod ubi rescivi, surgens, ad illius cellam me contuli, dixique ei: « Fili mi, ad me venit Diudus, abbas monasterii Abū Šenūdah, mihique revelavit septem fluxisse dies quibus filium suum non viderit; atque ego vicissim quae ad te attinebant ei patefeci, et haec est dies post illud colloquium tertia. Equidem tibi me prosterno, terram capite contingens [6]. » Tum subiunxi: « Ne-

[1] Vel: Qafrā (?) — [2] Si secus, vix intelligeretur constans temporis imperfecti usus in tota hac pericope. — [3] Ad litt.: Num erit hoc? — Quod possit forsan et de dubitatione utrum licentia concedenda sit an deneganda explicari. — [4] An idem nomen atque Dāwūd (David)? — [5] Post ipsius discessum. — [6] Haud inepte putaveris, ultima hac enunciatione contineri responsum a monacho reduce, humilis excusationis gratia interiectum, ita ut aliquid in textu supplendum videatur, v. g.: Equidem, ait ille, tibi ...

cesse est ut mihi tuam simulque illius fratris rem manifestes, nec mihi mentiaris. »

At ille: « Pater, statim atque a te discessi, illum adii fratrem, qui, manum meam apprehendens, me duxit, viri viam cognoscentis instar; tum vir quidam, propter nos transiens, antegressus est, nos dirigendi gratia, et, una tantum nocte praeterlapsa, ubi dies illuxit, agnovimus versari nos in locis splendentibus, quae luminaribus et lampadibus suspensis collustrabantur; et circumspicienti mihi apparuit aedificium concameratum, sublime, celsissimum, oculosque intendens, vidi me stare iuxta altare erectum, corio rubro coopertum atque involutum, cui etiam velum obductum [1], ita ut nemo ad illud accedere posset. Et dum mecum reputarem, nesciens quis ille locus, atque eadem ratione se haberet frater meus monachus, vir ille qui nobiscum de nocte iter fecerat — hunc enim, e monasterio Abū Šenūdah egredientes, inveneramus, nosque Hierosolymam ita adduxerat ut cum ipso incedente incederemus, — nobis dicebat: « Inspicite et attente considerate, dein gaudete, exsultate, vestros recreate oculos et praedicate, nunciate atque narrate hanc esse Dei urbem, Hierosolymam; et ecce sepulcrum sanctum atque domum quae a Salomone, filio Davidis, aedificata. » Porro, prae vehementia gaudii ex iis quae contemplabamur concepti, animae nostrae *e corporibus* evolabant. Adveniens autem famulus *templi* Resurrectionis, nobisque occurrens, interrogavit: « Quanam ingressi estis? » ac timorem nobis increpando incussit. Cui postquam respondimus, orandi causa nos venisse, nobis dimissis, abscessit. Dum nos
p. 355. ita haberemus, ecce vir qui dux nobis fuerat *ad nos accessit et praeposito [2] templi dixit: « Istos voluit Deus in domo sua adesse. » Ille, cum se ei excusasset, coepit loca et monumenta Domini nostri Iesu Christi nobis ostendere, ibique tres dies permansimus. Postquam in patriam reverti statuimus, ante nos

[1] Si cui tamen libeat, non حجاب legere, sed حُجّاب, quae est forma plur. nominis حَاجِب, sensus erit: cui adstabant custodes. — [2] Arabice: قَيِّم, « praepositus » vel « custos. » An idem cum eo qui supra خادم, « famulus, aedituus », dictus est?

progressus est *idem ductor*; quem secuti, ad sedes nostras *pristinas* illico pervenimus. »

Ego vero, *ait Anastasius*, ubi haec a filio Qafri audivi, visioni eius fidem adhibui atque in summam deveni admirationem eorum quae Deus in sanctis suis peragit, longinqua iis admovens; ac propter peccata et iniquitates meas lacrimatus sum. Attendite igitur, fratres, ad eiusmodi mirabilia et obstupescite.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in saecula saeculorum. Amen.

MENSIS KĪHAK DIES VIGESIMUS QUARTUS. p. 173.

Hodie martyrium passus est inclitus sanctus Ignatius, urbis Antiochiae patriarcha. Is sanctus fuerat discipulus apostoli Iohannis, qui et evangelista et virgo. Cui in praedicatione famulatus est, plurimas cum eo circuiens regiones. Ab eodem patriarcha urbis Antiochiae constitutus, in ea gloriosum Evangelium praedicavit, multosque ad Dei cognitionem adductos baptizavit atque scientia illuminavit, idololatriae errorem iis manifestum faciens. Quare idololatrae, ira incensi, eum apprehenderunt et compluribus atque acerbis cruciarunt tormentis: prunas ardentes manibus imposuerunt, manusque prunis oppletas duarum horarum [1] spatio forcipibus continuerunt; latera sulfure et oleo calefacto combusserunt; pectinibus ferreis dilaniaverunt corpus, et postquam ancipites de eo cruciando haeserunt, quidnam nimirum *tormenti* ei *adhuc* inferre possent, illum in carcerem detruserunt, ubi diu iacuit. Eius aliquando memores, eum inde eduxerunt, magnificisque tentarunt promissis; quibus cum nullo modo flecteretur, iterata supplicia minati sunt. Ipse vero firmus, fortis et immotus in illis omnibus perstitit, Domino eum incolumem praestante. Feris denique obiectus praeda, *animam suam in manus Domini tradidit. p. 174.

Ipsius preces nobis adsint.

Eadem die, memoria sancti Philogonii (Filūġūnyūs), patriarchae antiocheni. Is sanctus matrimonio iunctus fuerat, filiamque genuerat. Dein, uxore mortua, vitam monasticam amplexus.

[1] C: complurium horarum.

tum, propter dotes eximias, scientiam, ascesim ac pietatem egregiam, electus ad dignitatem patriarchae in urbe Antiochia, gregem Christi optime pavit, oves a lupis arianis et a sectis Macedonii et Sabellii custodiens. In principatu vitam duxit angelicae similem, cum neque drachmam unam neque vestem mutatoriam [1] possideret. Cursu consummato, in pace quievit. Eum laudavit sanctus Chrysostomus in sermonibus panegyricis, quos *ad plebem* habuit, et in homiliis, quibus eius merita extulit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

p. 355. Martyrium Pauli (Būlā) et Siphanae (Sīfānā) [2]. Illa aetate convocavit praefectus magnus praefectos locorum quae suae potestati subiacebant et praesentibus dixit: « Unusquisque vestrum christianos intra fines praefecturae suae requirat et, si possit, in animum iis inducat ut thus *diis* offerant; recusantes tormentis afficiat. » Erat autem Iulius praefectus vici cuius nomen ʿArūš, in quo vico duo viri habitabant, fidei a pueritia maxime addicti, quorum alter Paulus, alter Selfānā. Isti iusti erant et timore Dei pleni. Quibus ad se arcessitis et coram se adstantibus dixit Iulius praefectus: « Diis imperatoris sacrificate. » Illi vero iusti uno ore responderunt: « Non est nobis Deus nisi Iesus Christus. » Itaque praefectus, ira excandescens, carduos [3] calefactos afferri iussit et per eosdem subiacentes pertrahi sanctos. Hi idcirco, vestibus depositis, sese pertrahendos tradiderunt super carduos fervidos, quibus comminutis et factis aquae frigidae similibus, illi *martyres* acclamaverunt et Deum laudarunt. Quare furore percitus Iulius praecepit ut adduceretur iugum boum robustorum, utque sancti, ad aratri lignum alligati, pertraherentur donec, pellibus dilaniatis, ipsa lacerarentur corpora; quod cum factum esset, nihil mali illi inde experti sunt. Tum iussit eos, capitibus deorsum versis,

[1] Vel: superfluam. Arabice enim legitur: زايدة, quod proprie valet: accrescens, redundans. — [2] Quod nomen infra Silfānā vel Selfānā scribitur. An idem atque Silvanus? — [3] Arabice: خرشف. Nomen quod in lexicis vix non omnibus desideratur, et quod hic nos ex R. Dozy, *op. cit.*, auctoritate interpretamur. Apud Gul. Freytag et Petrum el-Bostānī, (in محيط المحيط), duae formae ab illa vix diversae: خرشفة, خرشاف, terram quamdam duram, asperam ac lapillis commixtam designant.

ab *arbore* lebḫah [1] extra delubri portam suspendi; sed ignis e caelo demissus dimidiam illius lebḫah partem incendit, parumque abfuit quin delubrum atque dii qui inibi erant consumerentur. Confestim, sacerdotibus ad praefectum clamantibus, praescripsit hic ut *martyrum* capita amputarentur. Qui *ita* coronam *in regno aeterno consecuti sunt, atque ex utroque p. 356.
miracula et sanationes plurimae prodierunt. Eorum corpora incolae regionis acceperunt et in locum tutum reposuerunt, donec, exacto persecutionis tempore, pulchram ecclesiam iis in *illo* vico exstruerent.

Eorum intercessione nostri omnium misereatur Dominus. Amen.

Mensis Kīhak dies vigesimus quintus. p. 174.

Hodie requie donatus est sanctus Abū Iohannes Kāmā. Erat is ex incolis Šubrā Manšū [2], ex nomo saitico (Ṣā). Parentes habuit fideles ac pios, quibus nulla alia proles. Qui, cupientes gaudium ex eo in his terris capere, invitum puellae matrimonio iunxerunt. Itaque, interius conclave ingressus, stans etiam atque etiam oravit; tum, ad puellam accedens, ei dixit: « Nosti, soror mea, mundum cum omnibus voluptatibus suis transire. Visne igitur ut una ambo habitemus, corpora autem pura custodiamus? » Quae respondit: « Testis est Dominus qui vivit [3], ab anima mea huiusmodi desiderium nunquam abfuisse, cui tamen obsequi [4] non licuit. Nunc vero largitur mihi Dominus quod optabam. » Unde, cum ea de re consensissent, diu perseveraverunt una ambo dormientes, virginitate intacta. Dum decumberent, angelus, volucris instar, in eos descendebat, alis super utrumque demissis atque expansis; et propter egregiam eorum virtutem, in eorundem aedibus, Domini opera, enata est vitis, quam nemo plantaverat et quae crevit atque ipsorum cubiculum obumbravit, ut hoc signo indicaretur amborum puritas ac sanctitas. Quod namque *duo adulescentes alter alterius lateri p. 175.
adiacentes dormirent, nec tamen eos natura ad voluptatem

[1] De hac arbore vides, quae sup., pag. 21 et 242, notavimus. — [2] B: Mandū. — [3] Ad litt.: « Vivit Dominus, quia .... ». Usitata iurandi formula. — [4] Matrimonium detrectando.

violenter pertraheret, res erat insitas hominum vires [1] superans. Cuiusnam enim, ad ignem *propius* accedentis, pedes non comburuntur, nisi adsit *nempe inusitata eadem* Dei providentia, quae illos *duos iuvenes* custodiebat? Parentes autem, cum viderent eos prole diu carere, eorum adulescentiam in causa esse existimabant.

Postea dixit *Iohannes uxori:* « Soror mea, velim equidem in desertum secedere; verum nihil nisi te copiam faciente aggredi possum. » Quae petitioni eius consensit, postquam ipsam ille in virginum monasterio collocavit, ubi mater [2] egregia facta est ac miracula patravit. Ad sanctum vero quod spectat, e patria egressus, personam splendentem coram se adstantem vidit, quae, causam discessus sciscitata et quae in animo haberet audiens, consilium dedit ut ad coenobium [3] patris Darūdī, *unum* ex sancti Abū Macarii (Maqār) coenobiis, se conferret, et apud senem Darūdī usque ad huius mortem maneret. Ad quem idcirco pergens, apud eundem, quoad hic vixit, commoratus est, monachus interim ab eo constitutus et in virtutibus illius institutus. Dein praecepit ei angelus Domini ut locum peteret, haud procul a monasterio Abū Iohannis Curti, occidentem versus, distantem, ibique habitationem sibi exstrueret; et postquam illuc se contulit, ad eum convenerunt fratres [4] trecenti, qui ecclesiam ac castellum [5] aedificarunt et quos orationes psalmodiamque edocuit. Quadam nocte, *monachis* psalmodiae vacantibus, illi apparuit sanctus Athanasius apostolicus, qui multa mysteria ipsi revelavit; et ex illa die sancti Athanasii nomen in cantico trium puerorum memorare coeperunt. Alio tempore, ei apparuit diva Virgo et dixit: « Haec est domus mea in aeternum; quemadmodum tibi affui, ita filiis tuis adero, et nomen meum super hoc monasterium invocabitur. » Erat quippe ecclesia nomine illius dicata.

In Aegypto superiore monasteria erant quorum monachi, cum optarent umbrae sancti Abū Kamae subiacere, ad eum miserunt, rogantes ut sub regulam atque in ordinem eius admitterentur.

[1] Ad litt.: naturam humanam. — [2] I. e., praeses, abbatissa. — [3] Ad litt.: cellam; arab.: قلاية. Quod tamen nomen, hic et paulo infra, ut alibi passim, integrum coenobium designare videtur. Cf. supra, pag. 188. — [4] Monachi scilicet. — [5] Agitur de arce seu turri, quales monasteriis, praesidii ac refugii causa, saepe adiungebantur.

Itaque, advocans fratrem, cui nomen Šenūdah, huic dixit: « Sta super fratres tuos usque ad tempus reditus mei. » Ille vero frater non desiit stare, pedibus sustentatus, neque sedens, neque humi cubans, donec ab Aegypto superiore rediret sanctus, qui illum in eodem reperit statu, pedibus tabe et vermium colluvie confectis. Eum igitur interrogans: « Fili mi, ait, quare hoc fecisti? Tibi nihil aliud praeceperam nisi ut super fratres stares, *rebus p. 176.
scilicet eorum invigilans eosque observans. » Tum ille se prosternens dixit: « Condona mihi. » Posthac, adventantibus diebus *obitus* sancti Abū Kamae, ad quietem admissus, spiritum in manus Domini tradidit.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Hac etiam die ad requiem vocatus est sanctus Abū ʿAbšāy, p. 356.
el-Qabrīn [1] cognominatus, in compito [2] Ṭūd. Is fuit asceta, Deo ab infantia famulans, nocte ac die decertans. Ieremiae prophetiam legebat, et ita quidem ut, quoties legendo ad finem libri pervenisset, toties *prophetam* illum coram se adstantem intueretur, qui, accedens et *lectoris* caput osculatus, in caelum ascenderet. Eodem modo, quemcunque legisset librum, meruit sanctus hic vir, qui angelus in terris fuit, ut illius auctorem videret. Idem non sinebat corpus unquam ab orationibus, genibus flectendis, diuturnisque vigiliis cessare ac quiescere. Posthac, cursu consummato, quiete *suprema* donatus est; et, cum eius corpus in eiusdem ecclesia relictum fuerit, miraculum *hoc* in illa ipsa ecclesia edidit Dominus: quicunque, hanc adiens, sese aqua putei ecclesiae abluerit, a morbo suo statim convalescit; iis praesertim qui tertiana febri laborant concedit Deus sanitatem.

Ipsius [3] precibus Dominus nostri omnium misereatur. Amen. p. 176.

MENSIS KĪHAK DIES VIGESIMUS SEXTUS.

Hodie martyrium passa est sancta et pura Anastasia. Fuit haec bellatrix [4] ex urbis Romae civibus, eiusque pater idolorum cultor, mater vero christiana. Illam sibi enatam *mater* secreto baptizavit, ne se pater, consilii conscius, ab eo perficiendo pro-

[1] Vel: el-Qabrayn (?) — [2] Vel: vado. Arabicum namque nomen مشرع utriusque significatus capax. — [3] In textu: Ipsorum. Sed mendum ex subiecta materia manifestum videtur. — [4] Hoc de certamine spiritali intelligendum nemo est qui non perspiciat.

hiberet; tum optime educavit, singulis diebus ac noctibus eam disciplinis christianis imbuens, donec ita in fide christiana confirmaretur ut difficile esset eandem ab illa retrahere. Quae, postquam adolevit, *a patre* [1] in matrimonium collocata viro infideli, huius societatem familiaritatemque odio habens, ei morbum atque eas mulierum excusationes quae commercio cum viris obstant plerumque praetexebat. Insuper pannis detritis et vestibus sordidis semper induebatur, eo consilio ut illi fastidium sui conspiciendi ac vitae secum consortii appetendi ingereret, et sic ab eo forsan dimitteretur. Simul perpetuas orationes et supplices ad Deum preces fundebat, ut sibi celerem ab isto seiunctionem concederet, et, quoties ille, laboris sui causa, domum relinquebat, ipsa quoque egrediebatur, eos qui propter fidem carcere clausi erant visitans, iis inserviens, solatium afferens et quae necessaria forent suppeditans. Quod cum rescivisset maritus, eam domi conclusit atque observavit, ipsa *interim* continuas ad Deum preces, cum fletu multo et humilitate, obsecrationesque ad Christum Dominum dirigente, ut se ex illius manibus eriperet. Eius preces exaudiens Deus atque obsecrationes suscipiens, *mariti* mortem acceleravit. Postquam autem obiit, eiusdem obitu magnopere gaudens, illa citissime surrexit, omnesque facultates suas pauperibus, confessoribus captivis et universis *fidei* athletis distribuit. Fama eius ad principem qui Romae erat delata, eam is misso nuntio arcessivit et de religione interrogavit. Quam profitentem se esse christianam plurimis verbis blandis allocutus est, adiectis promissis magnificis, ut a sententia dimoveret et a fide retrahe-
p. 177. ret; *at obedire nolentem multis acerbisque affecit tormentis. Dein, cum dubius haereret quid de ea statueret [2], iussit eam in mare demergi; sed demersam Dominus illinc eduxit vivam atque incolumem. Ea re audita, princeps praecepit ut inter palos extensam dure verberarent, et, cum nihil nocumenti inde experta esset, iussit eam in fossa ignis plena, quam ei apparaverat, comburi; ubi illa, spiritu emisso, ad regnum perpetuum migravit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

[1] Hic collocationis auctor tum contextu suadetur, tum in cod. C nominatur, secus tamen ac in cod. B, qui ponit filiam a matre collocatam. — [2] Ad litt.: cum de re illius dubitaret.

Eadem die, memoria sanctae Iulianae martyris. Cuius intercessio nobis omnibus in perpetuum adsit. Amen.

Requievit pater sanctus, episcopus Anbā Harākyūn, qui ab p. 356.
Anbā Theona (Tāwonā), patriarcha alexandrino, consecratus fuerat *et praepositus* sedi Abū'l-Hayyib, ex locis urbi Alexandriae subiacentibus [1]. Ille, cum audisset persecutionem desaevire, ad Anbā Petrum patriarcham, martyrum postremum, se contulit, ut se ei adiungeret et ab eo disceret quae sibi facienda essent [2]. Viro autem illi inclito, egresso et iter facienti, occurrerunt Berberi in via, eumque secum arreptum fame atque acerbis verberibus cruciarunt et vi camelis imposuerunt. Quadam igitur nocte, dum vinctus ac manibus colligatis veheretur, ingemiscens ac flens a Domino petiit ut spiritum suum reciperet, siquidem taedio erat affectus et animo deficiebat. Unde ei apparuit angelus Domini *et dixit: « Pax tibi! Quare exigua p. 357.
eiusmodi plaga turbaris? Nondum membra praelo strinxerunt, neque te in serias olei et sulphuris plenas immiserunt, neque lectulis ferreis, quibus ignis ardens subiectus, imposuerunt. Patientem te praebe; victoriam reportabis. » Posthac Berberi montem petierunt, vicosque dispersos depopulati sunt, donec ad urbem el-Behnesā pervenirent. In hac ea aetate versabatur Iohannes princeps, ex familiaribus Victoris, filii Romani (Rūmānūs), administri regii; in illis quippe regionibus sedem fixerat, una cum equitum quingentorum praesidio. Qui cum audisset Berberos regionem invasisse, obviam iis processit, non habens secum tunc temporis nisi ducentos equites. Qua sua turma comparata cum multitudine Berberorum, qui erant numero duo milia, ex equo desiluit et, ambabus manibus orientem versus protensis, dixit: « O Domine et Dominator Deus omnipotens, tu viginti et novem regna manu Iosue, filii Nun, evertisti; tu Samsoni fortissimo adstitisti, ut Philistaeos devinceret; tu Davidi virtutem dedisti, qua caput Goliathi abstulit. O mi rex et Domine mi, Iesu Christe, adsis hodie mihi, servo tuo Iohanni, et populum tuum ab isto hoste crudeli salvum praesta. Tibi

[1] Arabice: اعمال. Quae appellatio, in *Synaxario* frequens, eas regionis partes designat quae urbis cuiusdam primariae ditioni aliquo modo subsunt, et gallice « districts, provinces » nuncupantur. — [2] Huius incisi possit fortasse et hic esse sensus: ... et quae facere in animo haberet cum eo communicaret.

gloria in aeternum. Amen. » Oratione sua absoluta, equum conscendit, militibus altissima voce inclamans: « Forti animo estote; Dominus vobiscum est et pro vobis pugnabit. » Atque confestim, Christi virtute *muniti*, adversus illos Berberos progressi sunt. Erant autem Berberi aspectu admodum terribili, quoniam facies eorum velatae, ipsi vero nigri, tremendi ac formidandi, camelis insidentes. Qui ita caesi sunt ut pauci tantum ex eis remanserint.

Deinde, ubi milites, quiete interposita, coeperunt praedam explorare quam apud Berberos reperissent, invenerunt oves, boves et animalia multa, homines etiam innumeros, tum viros, tum feminas; item invenerunt istum sanctum Hārākyūnem, indutum vestibus detritis et chlamyde pileo oblongo instructa [1], quae verberibus dilaniatae fuerant. Huius corpus quoque totum vulneribus atque ulceribus obsitum erat. Itaque unus ex ducibus procedens Iohannem principem ita precatus est: « Te rogo, domine mi, imperator atque princeps, ut senem hunc monachum mihi attribuas. » Cui eum *princeps* donavit. Abductum igitur in domum suam, postquam a doloribus quiescere sivit, ille sic allocutus est: « Indica mihi, pater, e quonam monasterio sis, ut illuc te reducam et tu pro me ores. » Respondit ei *Hārākyūn*: « Dominus Deus tibi benedicat, fili mi. Ego, episcopus fui urbis Abū 'l-Hayyib; sed nunc, propter graves angustias quibus premuntur christiani, nullus est fidelis qui sese manifestare possit. » Quare cum illo remansit, exercitiis asceticis plurimis, mortificationi, ieiunio perpetuo, certamini nocturno diurnoque deditus.

Rumor autem ad Anbā Theodosium (Tāawṭūsyūs), episcopum
p. 358. el-Behnesā, perlatus est, *inventum esse episcopum inter Berberorum captivos, eundemque nunc in domo cuiusdam primorum versari, porro ascesim multam ab eo exerceri, eiusque manibus miracula a Domino et prodigia patrari. Dum igitur de itinere suscipiendo ad eum invisendum cogitaret, visione donatus est hominis qui ipsi dixit: « Propera ad episcopum Anbā Hārākyūnem, eius benedictionem accepturus; necesse

[1] Eiusmodi paraphrasi reddi posse visum est notissimum illud Arabum vestimentum quo caput simul et humeri obteguntur et cui proprium nomen برنس vel برنسة, gallice « burnous ».

enim est ut sedem tuam obtineat. » Continuo surrexit ille, commotus et haec secum reputans: « Quidnam mihi accidet? Mene e munere meo eiicient ut alium sufficiant? » Itaque mente conturbatus ad episcopum venit, quo salutato, apud eum sedens, eum sic compellare exorsus est: « Audivi, pater, hominem e suo gradu detrusum iri, ut alius in ipsius locum substituatur. » At confestim sanctus Anbā Hārākyūn, Spiritu sancto in se delapso, Anbā Theodosio dixit: « Non ita se habet res, pater, quemadmodum opinaris. Tibi sors obtinget Ieremiae prophetae, qui in desertis fuit, pro populo israelitico orans. Te oportet, propter perturbationem qua christiani prementur, in desertum exire et ibi peregre habitare; mihi vero misero fugiendi copia non datur, mihique ecclesiae curam relinques. » Unde confortatus est episcopus *Theodosius*, alterumque saepe invisebat, de modo quo se haberet sollicite inquirens, donec a Diocletiano prodiit edictum crudele et nuntius tremendus quo edicebatur: « Quicunque diis adorationem, occidentem versus, non exhibuerit, neci cito tradatur. » Tunc episcopus *Theodosius* populum suum convocatum ad patrem Anbā Hārākyūnem adduxit, cui illos commendavit, dicens: « Hic deinceps erit pastor vester, et qui ei obedierit mihi obediet. » Atque illico in desertum secessit, patre Anbā Hārākyūne remanente in civitate. De hoc cum audisset praefectus miracula multa ab eo patrari, per satellites a se missos apprehensum coniecit in carcerem, ubi duodecim annos clausus mansit, Anbā Paulo, filio illius ducis qui ipsum e captivitate receperat, eum invisente ac quomodo se haberet explorante, eique fructus pro diversis anni temporibus [1] afferente. Hunc autem nunquam sinebant nefarii homines ad illum accedere, nisi denario aureo singularum admissionum causa accepto. Anbā Paulum, ducis filium, pater noster Anbā Hārākyūn sacerdotem ordinaverat atque veste capitio instructa [2] donaverat, illeque missam secreto domi celebrabat, eo quod nemini in ecclesia sive sacrum conficere sive orare liceret. Fama vero sancti ob magnum miraculorum atque prodigiorum quae in carcere patraret numerum late pervulgata, praefectus iratus eum nuntio misso arcessivit; tum, dextram protendens, lancea e manu unius militum coram se adstantium apprehensa,

[1] Ad litt.: temporibus suis. — [2] Ad litt.: « burnus. »

illum confodit. Qui spiritum illico emisit; praefectoque praescribente p. 359. *ut in cumulum immunditiarum [1] proiiceretur neque ullus ad eum accederet corpus dies quinque permansit a feris et volucribus illaesum, angelo Domini ipsum custodiente. Tum Paulo, principis filio, apparuit sanctus et dixit: « Te sacerdotem ordinavi, meque pater tuus in domum vestram admiserat. Cur igitur me exsulantem negligis obliviscerisque, et corpus meum proiectum ac iacens derelinquis? Hoc aufer; et novi tuam tibi mercedem a Domino in caelis retributum iri. » Qui illud furtim ablatum domi in una apothecarum suarum occultavit. Porro diabolus per urbem divulgabat, a Paulo missam secreto offerri; neque eam rem satis esse duxit, sed, *ipso impellente*, narrabant ab eodem ablatum episcopi corpus, quod in unam apothecarum suarum condiderit. Id cum audissent amici illius, ad eum accedentes, eidem dixerunt: « Chlamyde et pileo episcopi [2] capiti imposito, per urbem palam absque timore incede. » Praefectus autem rei certior factus, milites misit, qui *Paulum* apprehensum in vincula coniecerunt. Verum advenit Iohannes princeps, ille *idem* qui praesidiis militaribus praepositus erat, ad carcerem se contulit, sanctum Paulum convenit salutavitque, tum eius causa praefectum adiit atque compellavit, illum *denique* salvum praestitit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 177.

Mensis Kīhak dies vigesimus septimus.

Hodie martyrium passus est sanctus Anbā 'Abṣādī episcopus. Postquam nimirum ad imperatorem Diocletianum pervenit fama 'Abṣādī et Galinici (Ġalīnīkūs) [3], duorum illustrium Aegypti superioris episcoporum, illeque rescivit ab his christianos in fide Christi confirmari et idololatriam impugnari, aliquem misit qui eos apprehenderet ac cruciaret. 'Abṣādī autem a legato *imperatoris* unius noctis dilationem petiit, sacrum confecit, fideles communione donavit atque hortatus est ut in fide orthodoxa perstarent; tum eis valedixit et, anima in manus Domini

[1] Arabice: كوم. Quo nomine imprimis veniunt, teste Dozy, *op. cit.*, communes ingentesque sordium et immunditiarum cuiusvis generis acervi, multis regionum orientalium urbibus adiacentes. — [2] I. e., quibus ab episcopo donatus es. — [3] B: Ġalākimūs; C: Ġalānīkūs.

tradita, ab iis discessit. Eum legatus adduxit ad Arianum, Antinoes ('Anṣinā) praefectum. Qui, statim ac praesentem vidit, faciemque et habitum decentem contemplatus est, corde in ipsum propendit, dixitque ei: « Tu vir honestus; te igitur tui misereat, iussaque imperatoris perfice. » Respondit ille, affirmans se a sententia non deflexurum nec regnum Dei cum vita terrena commutaturum; et cum diuturnum inter se protraxissent sermonem, neque a proposito sanctus recederet, eum iussit *Arianus* equuleo torqueri. Tum in fornacem ignis, dein in caldarium missus est, Domino eum in his omnibus praestante doloris expertem. Postea praecepit praefectus ut caput eius abscinderetur; quod audiens sanctus, exsultavit, vestes suas sacerdotales induit, manus protendit et, sacro truncatus capite, *coronam vitae in regno caelesti adeptus est. p. 178.

Ipsius preces ac benedictiones nobis in aeternum adsint. Amen.

[1] Martyrium subiit sanctus insignis et vir integer, Abbā 'Abṣādah, episcopus *urbis* 'Abṣāy. Pascebat is gregem ovium, quem p. 359. insequebatur et custodiebat, ieiunans, noctesque totas ducens pervigiles et orationibus fundendis ac corpori prosternendo addicens. Erat autem parentibus eius pecus caprinum, ab iis commissum adulescenti cui nomen Aqarbīdā et quem ab huius progenitoribus conduxerant. Stabat iste et carmina amatoria ad tibiam canebat, a qua re ipsum egregii parentes dehortati erant, eo quod idololatrae, quandocunque vellent in delubra sua convenire, tibiam inflarent. Quoties eadem adulescens ille utebatur, invadebat Satanas caprarum gregem, quae lasciviebant et exsultabant; dicebatque Anbā 'Absādah: « Vae tibi, 'Aġarbīdā, quia abyssi puteus tibi paratus. » Noctu autem intuens eum decumbentem ac dormientem, videbat Anbā Absādah serpentem nigrum, cornibus superne instructum, cuius caput crinium antiae supereminebant, adrepentem, os suum ori adulescentis imponentem eique venenum suum infundentem. E somno expergefactum rei certiorem faciebat sanctus: at huic ille huiusmodi dabat responsum: « Non interficieris nisi manu mea, o ephebe exiguae mentis. »

[1] Prudentem lectorem haud fugiet hanc, quae solius cod. G propria est, narrationem, licet de eodem episcopo martyre 'Abṣādī agat, de quo paulo supra dictum, in multis tamen a superiore relatione differre.

Porro sanctus Anbā Absādah, grege parentibus permisso, in p. 360. desertum ascendit, *ubi multa pietatis officia praestitit, donec eum [1] Dominus Deus ad gradum illum excelsum qui est *gradus* episcopalis vocavit opera inclyti Anbā Petri, martyrum postremi, illius *nempe* ipsius qui et de episcopo vaticinatus est, his verbis ad eum directis: « Fieri non potest quin coronam martyrii consequaris. » Ad sedem cum accessisset, eo gavisi sunt dioecesani. Sententias *quippe* ferebat iustas, nulla consecrationis ergo munera accipiebat, res ad normam veri et aequi iudicabat atque dirimebat, eumque plebs reverebatur. Magna autem perturbatione exorta propter Persas, qui ea tempestate in Graecos (er-Rūm) irruebant, misit imperator Numerianus procuratorem, exercitus ex Aegypti regionibus comparandi gratia; apprehensusque Aḡarbīdā inter alios milites et in urbem Antiochiam adductus, equitatus stabula quae arci regiae suberant scopis purgabat ac custodiebat, tibicinemque agebat et fistula canebat ante equos, qui, diabolo ipsos invadente, exsiliebant, saltabant et lasciviebant. Imperator vero, egressus in praelium, interfectus est. Cui duae erant filiae. Harum natu maior, cum equos saltantes et Aḡarbīdam tibia canentem contemplaretur, spectaculum admirata, tibicinis amore capta est. Quem illi placentem effecit Satanas, ut eum assumeret sibique coniugio copulatum ad dignitatem imperatoriam eveheret; et ubi audivit pater noster episcopus Anbā Absādah illum solium imperii Graecorum conscendisse, perspexit quidnam mali in christianos moliretur diabolus, qui istud imperium sibi domicilium elegisset [2]. Iste *Aḡarbīdā*, solio potitus et in eo confirmatus, fide a daemone immutata, dereliquit caeli et terrae Creatorem atque idola lapidea coluit. Ad eum autem fama perlata de sancto Anbā Absādah, episcopo puro, qui plebem suam hortaretur atque incitaret ut ab idololatria procul abessent, ira succensus est et decretum emisit quo haec edicebat: « Absādah episcopus, si dicto audiens fuerit et thus idôlis obtulerit, honoribus adhuc amplioribus augeatur et caput praeponatur universis delubrorum sacerdotibus; sin vero obedire noluerit, morti tradatur. »

[1] Ita, corrigendo tamen دعا, quae est codicis lectio, in دعاه. — [2] Incisum aequivocum, quod posset etiam verti: qui istum imperatorem sibi domicilium elegisset; vel: qui illi *Aḡarbīdae* istud imperium domicilium constituisset.

Statim atque edicta allata sunt, illum misso nuntio arcessivit Arianus praefectus, et arcessito recitatum est decretum. Sed *praefecto* proponenti ut deos imperatoris adoraret respondit sanctus: « Corpus hoc in manu tua est; quodcumque volueris cito fac in me. Equidem non committam ut Dominum meum Iesum Christum derelinquam atque idola adorem aerea, aurea et lapidea. » Continuo iussit *praefectus* praelum afferri. Tum legatus imperatoris, ira percitus, Ariano dixit: « Tibi non licet eum torquere. » Is vero, propter legati verba excandescens, respondit: « Praesto mihi est diversissimorum cruciatuum copia. » Et confestim praecepit ut *episcopus* carceri obscuro mandaretur atque in hunc fimus asinarius mollis congereretur; tumque ostium captivo occlusum est, qui inibi remansit dies *viginti p. 361. quattuor, neque manducans neque bibens quidquam. Postea eductus est sanctus, luce vultui eius in coronae modum circumfusa, eique, cum laetabundus esset, proposita idolorum adoratio; sed cum obedientiam detrectaret, ei succensuit *praefectus* et iussit fimum efferri atque alium suffici, dein *episcopum* custodiae septem alios dies mandavit. Quo tempore lapso, extractum repererunt incolumem atque illaesum, eo quod adesset ei Christi virtus. Itaque *praefectus*, ei iratus, praecepit ut caput eius abscinderetur; et sanctum, vestibus sacerdotalibus indutum, eduxerunt. Cui fratres et *caeteri* adstantes dixerunt: « Pater, vestimenta tua milites sibi sument. » Respondit eis: « Vestimenta mea sicut vestimenta Domini mei, de quibus sortiti sunt milites. » Tum ei aliquid manducandum obtulerunt. At ille: « Ieiunium equidem non frangam nisi in regno Domini mei Iesu Christi. » *Dein* oravit, populum suum Christo Domino commendavit, collum protendit, et, capite amputato, spiritus eius in summum caelum subvectus est. Qui autem ex plebe eius aderant corpus pecunia a militibus redemptum et humeris suis impositum ad littus urbis Abṣāy detulerunt, ibique sepelierunt dum finem acciperet persecutio; atque hac finita, ecclesiam ei et pulchrum monasterium superstruxerunt. Ubi Deus usque ad hanc nostram aetatem sanationum miracula edit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 178. MENSIS KĪHAK DIES VIGESIMUS OCTAVUS.

Hodie fuerunt natales gloriosi Domini nostri Iesu Christi, in corpore ex Virgine illibata Domina Maria *editi.* Divino scilicet numine praefinitum fuerat, promulgatum iri ab Augusto imperatore edictum ut universus dinumeraretur orbis et *incolarum* eius nomina describerentur. Quamobrem ab *urbe* Nazareth ad *urbem* Bethlehem una cum Virgine ascendit Iosephus, ut suum et illius nomen profiteretur, siquidem ipse ex tribu Iudae et ex domo Davidis, Bethlehem autem Davidis civitas erat. Referente sacro Evangelio [1], postquam illuc pervenerunt, impleti sunt dies *Mariae,* et peperit filium suum primogenitum, eum involvit atque in praesepio reclinavit, quoniam iis non erat locus in aedibus quas hospitum more adierant. Subiungit Evangelium [2]: « Pastores ibi erant, pascentes et gregibus suis per vices invigilantes. Quibus adstitit angelus Domini, luce e caelo iisdem affulgente, dixitque angelus: Vobis hodie annuntio gaudium, cuius et universus orbis et vos participes, quia vobis hac ipsa die in lucem editus est Salvator, qui est Christus Dominus, e domo Davidis. Et hoc erit vobis signum: infantem invenietis pannis involutum atque in praesepi positum. Tum apparuerunt cum angelo chori caelestes, collaudantes ac dicentes: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, atque inter homines laetitia. Itaque postquam angeli in caelum ascenderunt, pastores dixerunt alii aliis: Bethlehem adeamus, ut ea oculis usurpemus quae Dominus nobiscum communicavit. » Ad locum igitur cum venissent, infantem huiusque matrem Mariam, Iosephum et Salomen invenerunt, et, vera esse agnoscentes quae sibi dicta fuerant, infante adorato, in partes suas reversi sunt, omnibus manifestantes ea quae vidissent et audissent, qualia sibi praenunciata.

Deo nostro et salutis nostrae procuratori gloria in saecula saeculorum et in perpetuas aeternitates! Amen.

Eadem die martyrium passi sunt centum et quinquaginta
p. 179. viri cum mulieribus viginti quattuor. *Erant isti ex Antinoes ('Anṣinā) incolarum numero, et quidem infideles. Quibus contigit ut, apud Antinoes praefectum versantes, hunc viderent operam

[1] Luc., II, 6, 7. — [2] Luc., II, 8, 15.

dantem sancto Paulo syro cruciando ac tormentis afficiendo. Cum igitur iussisset princeps duos clavos longos ignis instar calefieri [1], iisque sancti oculos perfodi, et iussa peracta fuissent, continuo eruti sunt oculi viri sancti, ipseque in carcerem compactus. Quo postridie *ad praefectum* adducto, iterum adfuerunt, *infideles* illi, ut eum intuerentur. Eius autem oculos viderunt sanos — quippe quos ei restituerat Christus Dominus, prout ipsius dies testatur [2] —, perinde ac si nihil prorsus mali experti fuissent. Itaque, rem admirati, intelligentesque eiusmodi prodigia a nullo idolorum suorum patrari posse, ac Deum, Creatorem suum, eundem esse qui naturam primitus creaverit, omnes simul conclamaverunt: « In Deum sancti Pauli credimus. » Tum, procedentes, ad *eiusdem* sancti pedes prostrati, eum rogaverunt ut sibi benediceret. Qui eos erexit iisque fausta apprecatus est. Ipsi proin praefectum adierunt et, Christum confessi, illo iubente eorum capita abscindi, coronam martyrii consecuti sunt.

Benedictio precum universorum nobis adsit, nosque in aeternum custodiat. Amen.

MENSIS KĪHAK DIES VIGESIMUS NONUS.

Hodie natalium gloriosorum Domini nostri Iesu Christi festum iterum agimus. In eam namque sententiam convenerunt patres Ecclesiae doctores, utraque die [3] festum natalium sanctorum agendum esse; extrema enim nocte diei vigesimae octavae contigerunt natales et *demum* die vigesima nona manifestati sunt. Quia insuper, intercalari quoque anno, incidunt natales in diem vigesimam octavam et, annis haud intercalaribus, incidunt iidem in diem vigesimam nonam, idcirco praescripserunt ut utraque dies festo sancto celebrando dicaretur.

Refert sanctum Evangelium [4]: « Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi *ab oriente p. 180
venerunt, dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? » Fuerunt nimirum Magi illi ex Balaami genere. Qui, astrologiae vacantes, stellas observabant noverantque, ac de eis dis-

[1] B: clavos igneos calefieri; C: clavos igne calefieri. — [2] Cf. infra, ad diem 9um mensis 'amšir. — [3] « Utriusque diei » mentionem omittit A, qui substituit: المؤمنين, a fidelibus. — [4] Matth., II, 1-2.

serebant [1]. In Balaami libris apud eos asservatis haec legebantur: « Fieri non potest quin vobis nascatur vir insignis in Iuda; » dicit [2] enim [3]: « Orietur stella in Iacob, et regnabit [4] in nobili Israelis prosapia. » Et Dominus quidem, suavi providentia sua, homines illos erudivit atque per ea edocuit quibus fidebant, id est, per siderum observationem. Iis igitur stellam istam ostendit, quam viderunt a *reliquis* stellis multis partibus diversam [5]: primum enim a sinistra dextram versus [6] movebatur; dein interdiu progrediebatur et noctu latebat; insuper illis procedentibus procedebat et, iisdem consistentibus, consistebat; iis denique locum prae loco monstrabat, siquidem, ubi Hierosolymam advenerunt, ab iis evanuit. Unde, necessitate adacti, Hierosolymam ingressi sunt ac sciscitati. Postquam autem rescivit Herodes regem Iudaeis natum esse, turbatus est suoque timuit regno; et cum a Iudaeis audiret non posse non nasci Christum, ipsum in lucem editum pro certo habuit. Quare convocatos Iudaeorum sacerdotes interrogavit ubi Christus nasciturus esset. Qui locum indicarunt, prophetae testimonio confirmantes illum in Bethlehem Iuda nasciturum. Tum a magis percontatus est tempus quo stella iis apparuisset, eosque in Bethlehem misit, dicens [7]: « Ite et puerum diligenter inquirite; quem si inveneritis, certiorem me facite, ut pergam ego ad eum adorandum. » Dolosus erat hic istius sermo, eo nempe tendens ut quem putaret Messiam a se repertum interficeret.

Illi vero, Hierosolymis egressi, stella sibi apparente gavisi sunt; nec desiit ipsa eos antecedere quoad domum attingerent — non « speluncam » vocat *Evangelium* —, copia iis facta ut locum quovis *suae commorationis* tempore frequentarent. Dei autem ordinatione, illo ipso die ad locum de quo sermo est

[1] Quod quis sic etiam interpretari possit: atque ex iis divinationes aucupabantur et proponebant. — [2] Supple vel: Balaam, vel: Scriptura. — [3] *Num.*, XXIV, 17. — [4] B et C: et rex. — [5] C plenius, in hunc modum: quam videntes a caeteris sideribus diversam, inde intellexerunt eam esse stellam quae praenunciata fuisset, siquidem multis partibus a reliquis distabat. — [6] Haud scio an et hic queat esse sensus: a septentrione ad austrum. Quemadmodum enim constat vocem شمال tum de sinistra tum de septentrione usurpari, ita يمين, quod primitus « dexter » valet, videtur, non secus ac nomen radice cognatum التيمن, austrum significare posse. — [7] MATTH., II, 8.

advenerant Iosephus [1], Maria Virgo et puerulus Dominus noster Iesus Christus, ut eos *ibi* magi invenirent. Nam Christus Dominus nonnisi in urbe Nazareth educatus est; et quo tempore illi advenerunt, nondum duo anni ab eius natalibus effluxerant. — Subiungit *Evangelium* [2]: « Adoraverunt eum, et, apertis vasis suis, obtulerunt ei munera »: aurum, quia ipse rex; thus, quia Deus; myrrham, ad mortem eius vivificatricem significandam. Porro in visione admoniti ne ad Herodem redirent, sed regionem suam per aliam viam repeterent, *abierunt facti- p. 181. que sunt Dei incarnati annuntiatores et praecones. Itaque haec est dies de qua vaticinatus est Isaias propheta, dicens [3]: « Ecce Virgo concipiet et pariet filium cuius nomen vocabitur Emmanuel. » De hac virgine vaticinatus est Ezechiel cum dixit [4]: « Vidi a parte orientali portam clausam, meque Dominus sic compellavit: Porta haec clausa erit, neque per eam ingredietur aut ex ea egredietur nisi Dominus Deus Israelis. » De filio isto haec protulit Daniel propheta [5]: « Vidi equidem quasi filium hominis in nubibus caeli venientem, donec, Antiquum dierum adiens, ad eum prope accessit, qui illi virtutem contulit, potestatem, regnum, honorem, utque ei serviant omnes populi et gentes; potestas eius potestas aeterna, et regni eius non erit finis. »

Ipsi gloria, honor, virtus et adoratio ad finem usque omnium saeculorum. Amen. Amen.

MENSIS KIHAK COMPLEMENTUM, DIES TRIGESIMUS.

Hodie requievit sanctus Anbā Iohannes, Scaetis (Šihāt) archipresbyter. Is, postquam sacro patris Macarii (Maqār) coenobio praepositus est, Ecclesiam collustravit et pater fuit sanctorum plurimis, ex quibus duo sidera insignia Anbā Abrahamus et Georgius (Ğāwurğah), itemque Anbā Mīnā, urbis Namā [6] episcopus, Anbā Zacharias et *alii* complures, illis similes; ipseque portus evasit ac salutis causa animabus multis. Saepenumero contigit ut, dum plebi communionem distribueret, peccatores in iis a iustis discerneret; saepe etiam Christum Dominum et

[1] Vel: ad locum venerunt in quo Iosephus (?). — [2] MATTH., II, 11. — [3] Is., VII, 14. — [4] EZECH., XLVI, 12. — [5] DAN., VII, 13-14. — [6] B: Namī; C: Tamā.

angelos in altari vidit. Quondam, ipso intuente, sacerdos qui male audiebat ad ecclesiae ostium accessit, multitudine spirituum immundorum, qui fraenum ori eius iniecerant, stipatus atque circumdatus; cumque ad ecclesiae portam pervenisset, e templi adyto [1] cum gladio igneo exivit angelus Domini, qui illos ab ipso depulit. Et postquam idem ingressus est et casulam missae induit, totus igneus evasit, missam celebravit et populum sacrorum mysteriorum fecit participem. Dein ubi, vestibus sacrificii depositis, foras prodivit, sibi demandatum arripuerunt tenebrosi illi milites, eundemque eo modo quo prius tractarunt. Haec fratribus ipse narravit sanctus Anbā
p. 182. Iohannes, ut iis ostenderet *nihil distare, ad ministerium quod spectat, sacerdotem peccatorem a sacerdote iusto, quia propter populi fidem panis in corpus Christi et vinum calici infusum in eius sanguinem mutatur. Quibus etiam similitudinem proposuit: « Quemadmodum, aiebat, si annulus regis ac sigillum ferro et auro imprimatur, sigillum tamen unum est atque immutatum, ita sacerdotium est unum; verum Dominus unicuique pro rata operum parte retribuet. »

Multos casus adversos hic sanctus expertus est. Eum, verbi gratia, captivum in suas regiones abduxerunt Berberi; a quibus gravibus affectus contumeliis, ibidem annos complures remansit. Illum tamen Christus ad monasterium incolumem reduxit. Antequam e vita migraret, mortem divina revelatione praenoscens, fratres congregavit atque hortatus est ad praecepta evangelica servanda et sanctorum patrum viam sectandam, ut cum iis portionem in regno caelorum et haereditatem consequerentur. Tum, brevi correptus morbo, vidit sanctorum multitudinem qui ad ipsius animam suscipiendam convenerant, et spiritum in manus Domini emisit. Eum cum fletibus extulerunt fratres, et prae amore atque ingenti fiducia qua ipsum prosequebantur, lintea eius disciderunt, factumque est ut panniculi iis afferrent salutem qui qualicunque morbo laborarent. Vixit hic pater annos nonaginta [2], eiusque habitatio adhuc manet; quae est cella nomine Yağiğ insignita.

Universorum preces nobis adsint, nosque ab hoste ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

[1] Ad litt.: ex ara. — [2] B: septuaginta.

Eadem die, princeps magnus et insignis Arianus cum exer- p. 361.
citu suo ad urbem Aḫmîm advenit; quem videntes cives perturbati sunt ac perterriti. Aderat in ipsius comitatu pater episcopus Anbā Abādyūn, Antinoes ('Anṣinā) praesul, qui apud eum in honore erat ac libere et absque custodia incedebat. Hunc cum invenissent christiani, adiurando moverunt et secum ad ecclesiam Abṣūdir [1], *seu Salvatori sacram*, intra urbem sitam, adduxerunt, ac de iis quae ad praefectum attinebant et de mandatis quae afferret interrogaverunt. Qui respondit, in iis praescribi ut quicunque christianus Apollinem non adoraret, neci traderetur. Quare magna eos tristitia incessit, noctemque illam cordis moerore oppressi transegerunt. Episcopus autem, eos concione pulcra, vivificatrice atque salutari usque ad mediam noctem hortatus ac consolatus, oravit, missam celebravit et fideles sacra communione munivit, quia *proprius* illorum episcopus aufugerat. At vero principem vir scelestus adivit, eique haec nuntiavit: « Ecce christiani omnes in ecclesiam convenerunt, et episcopum quem in honore habes *meis ego oculis p. 362.
vidi hortantem eos ac vehementer incitantem ut imperatorum iussis obsistant. » Continuo ille, ira incensus, multos milites misit, qui non cessarunt a christianis occidendis donec sanguis, ex ecclesia effluens et per fores erumpens, plateas civitatis implevit. Qui episcopum apprehenderunt et ad principem duxerunt, dixitque ei princeps: « Videris [2]. . . . . » Incolae autem urbis confertim veniebant, exclamantes: « Nos christiani, et Christum confitemur; » ac martyrii accipiebant coronam. Certatim confluebant parentes et laeti accedebant, dicentes: « In regnum caelorum commigramus; » dumque liberos suos gladio offerunt, hos sic alloquebantur: « Nolite timere; non maiore quam unius horae mora interiecta, ad caelestem migrabitis sponsum. » In urbe, uti referunt, interfecta fuerunt, ex magistratibus, primoribus et patribusfamilias, praeter eos qui in ecclesia die Natalium sunt occisi, quinque milia et octingenta capita.

Universorum benedictiones nobis adsint. Amen. Amen.

[1] Nomen origine copticum, a graeco σωτήρ vix diversum, quod Salvatorem significat. — [2] Subsequuntur tres voces, quibus reprehensio verosimiliter continetur, quarum tamen sensui in hoc contextu vel coniicientis in modum proponendo imparem me profiteor.

p. 182. In pace a Domino *concessa* ad finem pervenit et explicit mensis kihak benedictus, Amen.

Amanuensis, pauper, peccator, contemptibilis et vilis, Abrahamus, diaconus nomine, non opere, nomine *item* ecclesiae Virginis Mariae in Babylone bibliothecarius [1] primi gradus [2], a charitate fratrum qui folia haec legerint petit ut ipsi peccatorum veniam exposcant. Ei autem qui aliquid *orationis huiusmodi* dixerit par *referetur*, quoniam « in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis » [3].

Laus Deo perennis, perpetua, aeterna!

[1] Arabice: خزايني. Nomen aequivocum, quod vel thesaurarium, vel bibliothecarium, vel sacrarium pro contextus diversitate notare possit. — [2] Arabice: الدرج سابقا. Duae voculae de quarum significatu in hoc loco nihil certi, vix aliquid probabile proponere ausim. — [3] Marc., iv, 24.

In nomine Sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius, cui semper et perpetuo sit gloria. Amen. p. 183.

Mensis Ṭūbah benedictus.

Huius horae *diurnae* numero decem; dein accrescit.

Mensis Ṭūbah benedicti dies primus.

Hodie martyrium passus est sanctus Stephanus, diaconorum princeps et primus martyrum. Hic ille est quem testatur Scriptura [1], plenum fuisse Spiritu sancto, sapientia et virtute, miraculaque ac prodigia in populo patravisse [2]. Quare ei invidentes Iudaei, *fidei* inimici, rapuerunt eum et in synedrium suum adduxerunt, dicentes [3]: « Iste blasphemat in Deum et in Moysen, affirmatque fore ut Iesus consuetudines mosaicas mutet et hunc locum sanctum destruat. » Tum qui sedebant in iudicum concilio vultum eius vultui angelico similem viderunt. Quem cum interrogavissent essentne vera verba de ipso prolata, iis oratione ad persuadendum apta respondit, concionemque ad eos habuit [4] de Abrahamo huiusque exitu ex Haran, de eiusdem circumcisione, de ortu Isaaci, Iacobi et filiorum Iacobi, de Iosepho ab his vendito, et de modo quo se eis revelaverit eosque ad se advocaverit. Sermonem protraxit usque ad templi aedificationem et finem fecit loquendi eos sic compellando [5]: « O homines crassa cervice et incircumcisis cordibus, Spiritui sancto vos semper resistitis, sicut patres vestri, qui prophetas adventum Messiae praenuntiantes expulerunt. Hic est quem crucifixistis et qui a mortuis resurrexit. » His igitur auditis, dentibus in eum illi stridebant. Sanctus autem martyr Stephanus, fide et Spiritu Sancto plenus, caelum intuens, gloriam Dei vidit et Iesum *a dextris Dei stantem, dixitque [6]: « Ecce video caelos p. 184.
apertos et Iesum stantem a dextris virtutis Dei. » Quamobrem, continentes aures suas, eum lapidandum apprehenderunt et, depositis vestibus suis apud Saulum, qui est Paulus, extra urbem

[1] Ad litt.: Liber, *Actuum* scil. *Apostolorum*. — [2] *Act.*, vi, 8. — [3] *Act.*, vi, 13, 14. — [4] *Act.*, vii, 2-53. — [5] *Act.*, vii, 51, 52. — [6] *Act.*, vii, 55.

eductum lapidaverunt. Ille vero, genibus flexis, ait [1]: « O Domine, spiritum meum apud te suscipe. » Dein subiunxit [2]: « O Domine, ne imputes iis hoc peccatum. » Et haec profatus, obdormivit. Cuius corpus homines fideles abstulerunt, comploratione prosecuti sunt et sepelierunt.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die martyrium passus est sanctus Leontianus (Landiyānūs). Degebat is in Syriae finibus, temporibus Maximiani infidelis, qui, de sancto eiusque religione certior factus, eum misso nuntio arcessivit et accito ingentem munerum ac divitiarum molem pollicitus est, si, Christi cultu derelicto, idola imperatoris veneraretur. At vero sanctus loquentem irrisit, eius munera atque honores despexit, tormentaque ac minas contempsit. Quare praecepit ille ut equuleo suspensus comprimeretur, dein tudibus verberaretur, tum in ahenum ferventis olei atque adipis deiiceretur. In his autem omnibus patientem se praebuit *sanctus*, eumque Christus Dominus corroboravit atque incolumem praestitit. *Tyranno* igitur, postquam ipsum cruciatuum adhibendorum pertaesum est, iubente illius caput abscindi, coronam martyrii consecutus est. E cuius corpore prodigia et miracula multa edita sunt, adeo ut eius fama in universos Syriae fines divulgaretur. Ei exstructae sunt ecclesiae complures ac monasteria, et in uno ex monasteriis eius baptizatus est pater noster sanctus Severus patriarcha.

Ipsius preces et benedictio nobis adsint. Amen.

Eadem die, in urbe Aḫmīm martyrium subierunt octo millia martyrum ex christianis et centum quinquaginta viri [3]. Quorum omnium intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem etiam die ad requiem admissus est pater patriarcha Macarius (Maqāryūs), qui quinquagesimus nonus est e numero patriarcharum alexandrinorum. Cuius preces nobis adsint. Amen. Constitutus fuerat *patriarcha* anno tertio principatus [4] 'Abū'l-'Abbās er-Rāḍī Billah. *Integrum* regiminis eius tempus viginti anni, eiusdemque aetate mortuus est Dakī, Aegypti (Miṣr) prae-
p. 185. fectus, cuius munus excepit *Balīn. Huic defuncto successit Ḥad ben Ṭofḥ, qui cognominatus est el-'Aḫšīd et quem auxit

[1] *Act.*, VII, 58. — [2] *Act.*, VII, 59. — [3] Sic. An vero aliquid et quid, ex scriptoris sententia, inter « martyres ex christianis » et « viros » intersit, alii viderint. — [4] Arabice: خلافة, i. e., califatus.

el-Muttaqī Billah praefectura provinciarum Syriae [1]. . . . . et mortuus est el-'Aḫšīd anno primo principatus [2] el-Muṭī' Lillah, *mense* dū 'l-ḥiǧǧah anni trecentesimi trigesimi quarti [3].

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Martyrium passi sunt egregii patres eremitae Dioscorus (Disqorūs) et Seklābius. p. 362. His, qui in monte urbis Aḫmīm *habitabant*, apparuit Michael archangelus et dixit: « Quare sedetis vos, certamine inito et hominibus *hoc* messis tempore mercedem accipientibus? Ecce Arianus praefectus in urbe Aḫmīm *versatur*, iamque civitatis incolae coram eo Christi nomen confessi sunt et, capitibus ab illo amputatis, coronam gloriae in caelis obtinuerunt. Surgite igitur ac Christi nomen coram eo confitemini. Fieri non potest quin tormenta subeatis; sed deinde gloriae coronam, iustitiae ac devotionis vestrae complementum, consequemini. » Tum, pacem iis apprecatus, in caelum magna circumdatus gloria ascendit. Illi autem, extemplo surgentes, cum ad urbem se contulissent. Arianum invenerunt sedentem atque iudicantem, coram quo christiani *constituti*, pars in praelis, pars in seriis sulfure et adipe oppletis, pars in lectulis ferreis; et conclamaverunt: « Nos christiani, Christum Dominum palam confitemur. » p. 363. *Quos praefectus, ira percitus, iussit torqueri; verum salvos eos praestitit angelus Domini. *Hic* apparuit etiam militibus qui in arce ab orientali civitatis parte praesidebant — erant autem in illa arce milites quadraginta, quorum duo duces Philemon et Acurius —, eosque admonuit ut, Arianum adeuntes, nomen Christi confiterentur. *Illuc* postquam se contulerunt milites, istos sanctos repererunt colligatos et in aquae stagnum ab orientali urbis parte situm proiectos; verum luce e caelo in hos demissa, eorum vincula soluta sunt, ipsique Deum collaudaverunt et sanctissimum eius nomen glorificaverunt. Quod insigne miraculum ubi viderunt milites, accedentes fidem coram Ariano confessi sunt; a quo, variis affecti tormentis, eodem iubente ipsorum capita amputari, coronam gloriae adepti sunt.

Illorum precibus Dominus Deus nostri omnium misereatur. Amen.

[1] Hic occurrit incisum, septem vocibus constans, cuius nullus deprehenditur vel probabilis significatus. — [2] Ad litt.: califatus. — [3] Quod intelligendum de computatione Arabum propria.

p. 185.

MENSIS ṬŪBAH DIES SECUNDUS.

Hodie martyrium subiit sanctus Galanicus (Galānīkūs) episcopus. Postquam nimirum huius fama ad imperatorem Diocletianum perlata est, isque rescivit homines ab illo excitari ad cultum deorum imperatoris respuendum, viros misit eundem apprehensuros et cruciatibus affecturos. Qui, cum audisset eos qui missi fuerant adventare, populum in urbem Awsīm congregavit, missam celebravit, adstantes participes effecit corporis et sanguinis Domini, dixitque eis: « Non iam videbitis faciem meam [1]. » Omnes itaque amare fleverunt, sed eum a consilio deterrere non potuerunt. Tunc egressus se ipse legatis tradidit, qui apprehensum commiserunt praefecto cruciandum, isque eum diversis suppliciorum generibus in urbe Antinoe (Anṣinā) affecit, Domino eum confortante et patientiae virtutem ei conferente. Eundem dein secum in urbem Atku abductum *praefectus* ibi cruciavit. Postquam *Arianum* pertaesum est cruciatuum adhibendorum, praecepit ut *episcopo* manus praecideretur, imo *et brachium* usque ad humerum abscinderetur [2]. Tum eum secum iterum assumpsit et cum eo solvit, ad *urbem* Ṭūḫ navigaturus. Praesentiens autem sanctus mortem *sibi imminentem*, quendam ex nautis, qui vir fidelis erat, sic precatus est: « Ubi ad terram appulerimus et diem supremum obiero, corpus meum proiice in tumulum [3]. » Quibus dictis, mortuus est. Itaque, statim ac ad terram deventum est, illius corpus nauta in tumulum proiecit; et ecce homines fideles, ab angelo Domini admoniti, *idem* sancti corpus acceperunt, sepelierunt et apud se absconderunt donec ad finem perveniret tempus persecutionis.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die requievit sanctus Theonas, papa Alexandriae. Hic *vir* sanctus, qui doctus fuit atque pius, et magna in homines amoenitate ac comitate praeditus, per amoenitatem

[1] Cf. *Act. Apost.*, xx, 25. — [2] B: et (manus) humero alligaretur. — [3] Arabice: كوم. Quod hic intelligas vel de quocumque loco elatiore, vel de ripa fluminis, vel de eo sordium acervo quem illo nomine passim designari supra, pag. 282, notavimus.

suam [1], mansuetudinem ac sermonem lenem, pulchram in urbe Alexandria aedificavit ecclesiam, nomini divae Virginis Mariae dicatam. Fideles enim usque ad Theonae tempora, ex timore impiorum, in domibus et in cavernis orabant ac missas celebrabant. Nec destitit is pater sese *in omnes* mansuetum benevolumque praebere donec pulchram iis exstruxit ecclesiam multosque illorum convertit et baptizavit. Primo autem episcopatus sui anno, sanctum Petrum, *qui futurus erat* patriarcha *post ipsum, baptismo tinxit; eundemque anno quinto, lectorem, p. 186. anno duodecimo, diaconum, anno decimo sexto, sacerdotem ordinavit. Illius aetate apparuit in civitate alexandrina Sabellius impius, qui Patrem et Filium et Spiritum sanctum unicam esse personam opinatus est. Istum anathemate perculit eiusque doctrinam confutavit hic pater. Qui, cursu consummato et novendecim annis in principatu transactis, in pace quievit.

Ipsius preces et benedictio nobis adsint.

Eadem die requievit sanctus pater Anbā Yūnā, in monte p. 363. urbis Hermonthis ('Ermont). Erat nempe ex praedictae urbis populo *oriundus*, nobili loco natus, e primoribus eiusdem civitatis progenitus, filius promissionis, sicut Samuel. Avunculum habuit sanctum presbyterum, anachoretam insignem, Anbā Victorem (Biqṭor).

Hic enim sanctus Anbā Victor e domo patris sui aufugerat, eo quod huic in animo esset filium secum sollicitudinibus huius saeculi implicare, eundem matrimonio iungere et ei urbis principatum obtinere. Itaque fugiens *sanctus* in desertum interius, in monasterio Anbā Ezechielis habitavit, quieti salutari et silentio deditus. Eum soror ipsius in desertum invisebat, fratrem suum rogans ut sibi, precibus ad Dominum pro se fusis, prolem exposceret. Qui cum videret gravem sororis tristitiam et fletum, dixit ei: « Si quidem optas ut a Christo Domino aliquid tibi petam, promitte mihi filium triennem a te Domino oblatum iri. » Id illa, ex ingenti qua flagrabat cupiditate, promisit, quia noverat rem esse in sancti potestate. Haec namque de eodem ipsa enarravit: « Equidem res domesticas administrabam, quibus me parentes praeposuerant. Frater autem quidquid reperisset accipiebat et eleemosynae loco elargiebatur, quod mihi molestum

[1] Vel: ex amoenitate et benevolentia... (?)

erat. Unde, quadam die, cum paululum pulticulae ex hordei granis cum lacte subactis [1] confecissem et exinde pulmentum quoddam cui nomen yaḫnah [2] paravissem, cumque res domus arcte custodirem, nec quidquam inveniret frater eleemosynae causa dandum, ex illo pulmento aliquid furtim surripuit et pau-
p. 364. peribus largitus est. Quod graviter ferens, dixi: « *Quomodo ab isto fune liberabor? » Dum vero nocte dormirem, mihi visa sum e tecto domus in plateam deiici, tantusque me angor ac tremor invasit ut anima mea a corpore prope avelleretur; et febrim, ignis ardores ac dolores experta sum, perinde ac si *adventantem* mortis nuntium exspectarem. Quidam autem oculis meis obiectus est, terribilis, qui, coram me stans, me sic compellavit: « Haec sunt quae ex ore tuo exciderunt verba, et propter eadem anima tua a corpore divelletur. » Quare, perturbata ac contremiscens, e somnio evigilavi, et, fratrem adiens, veniam ab eo petii. At ille: « Deinceps, ait, misericors esto in Dei imaginem, in pauperes scilicet. » Cui ego: « Si me tuis precibus Dominus adiuverit, quae bona sunt omni ope exercebo, quandiu superstes ero. » Ille igitur corpus meum signo crucis munivit et me e lecto meo cuiusvis morbi expertem erexit; atque hoc fuit salutis meae exordium. »

Caeterum beata haec femina vita sua, puritate, humilitate, vigilantia et magno virtutum numero admirabilis fuit. Ita omnia *merita eius* a patre Anbā Victore, eiusdem fratre, qui eam laudibus extollebat, audivi. Unde [3] haec quoque mihi infanti quondam acciderunt. Calathum videram suspensum, in quo cum aliquid esculenti esse suspicarer, illo manu excusso, ex eo in oculum meum decidit calcis particula, qua offuscatus est eiusque acies obtusa, conferto lacrimarum imbre inde defluente. Tum parentes mei multam mea causa pecuniam in medicos erogarunt, nec levamen expertus sum. Quare in desertum me duxerunt, ad Anbā Victorem, hunc pro me deprecantes. Forte autem obierat sancta haec femina, Anbā Victoris soror, eamque iuxta fratrem ipsius, in monasterio Anbā

[1] Arabice: كشك. Vulgare intritae seu graneae cuiusdam apud Aegyptios valde usitatae nomen, quod paraphrasi, quantum res sinit, reddere conatus sum. — [2] Arab.: يخنة vel يخني. — [3] Ad litt.: « propterea »; quanquam nullus inter sententias nexus proprie causalis deprehenditur.

Ezechielis, sepelierant. Videns igitur me sanctus huiusmodi infirmitate laborantem, dixit mihi: « Vade et decumbe super illo *sororis meae* sepulcro, et ego confido oculi tui lumen tibi a Deo restitutum iri, quale prius fuit. » Quare, firmae fidei plenus, quae praescripserat peregi, et, paululum pulveris accipiens atque inspuens, eo oculum unxi aegrotantem; atque ex illa die gratias Deo ago propter salutem quam precibus sancti consecutus sum; arbor enim ex fructibus suis dignoscitur.

Iam itaque vobis huius sancti *Yūnae* originem exposuimus. Porro mater eum, ut nobis traditum est, ubi triennem ablactaverat, in desertum, ad seniorem Anbā Victorem, fratrem suum, duxit. Qui eum diligenti studio atque egregio cultu educavit. In illo deserto interiore ambo, seorsum a caeteris, velut Moyses et Iosue, degebant, et *Anbā Victor quidem* puerum constanter instituebat ad librorum sacrorum lectionem atque exstimulabat, puer vero *seni* obediebat, virtutes eius aemulans et in id contendens ut ne a praeceptis eius declinaret, sed eius vestigiis perpetuo insisteret. Aestivo tempore, quotidie, hiemali autem, tertio quoque die usque ad vesperam ieiunabant. *Oleo p. 365.
non utebantur neque vescebantur, neque cibum ullum praeter sal et panem sumebant. Labori manuum vacabant et alter cum altero orabant. Complures enim artes exercebat hic senex. Quod si adverteret puerum somno gravari, relicto labore praesenti, alium aggrediebatur; et si ipse somno gravaretur, in desertum egressi, lapides comportabant et aggeres ex iis construebant. Non potuit inimicus sustinere adspectum eorum in tali certamine *perseverantium*; quare iis apparuit specie luporum qui puerum devorare vellent. Hos ut vidit senior, misericordia motus, sputum ex ore emisit, et aufugerunt daemones, fumi instar *evanescentes*. Inimicus, constantia patientiae illorum sanctorum et tolerantiae perspecta, in eosdem satellites suos immisit, adductis latronibus, quorum menti malignas indidit de iis cogitationes, eis nempe esse thesaurum quem in illa piscina [1] absconditum custodirent. Illos itaque latrones aggressi sunt ac cruciarunt, imprimis vero senem, quem verberibus ita contuderunt ut mortuum putarent; tum, iis relictis, abierunt. Quare puer, e deserto egressus, monachos

[1] Quae ex contextu intelligenda monachorum domicilio vicina.

coenobii sancti Anbā Darii (Dāryūs), in vicinia [1] urbis Hermonthis ('Ermont), rei certiores fecit. Qui, iumento secum assumpto, profecti sunt et sanctum Anbā Victorem ad monasterium detulerunt, ubi eum perhumaniter curarunt donec sanationem illi Dominus concederet; iisque diebus, monasterium illud factum est salutis portus omnibus qui illuc se conferrent, sanationis a qualicumque infirmitate quaerendae causa. Postquam vero senex convaluit, ab exercitiis asceticis non destitit, sed aqua *monachorum hydrias* implebat, et, progressus, anachoretas montem illum incolentes invisebat, missaque celebrata, sacra communione reficiebat.

Haec mihi enarravit presbyter Ezechiel monachus: quo tempore Anbā Victor in monasterio exteriore habitabat, comitem habebat monachum cui nomen Theositus. Ambo deserti eremitis aquam suppeditabant, quia *Theositus* huic ministerio praepositus erat. Quadam die, dum erant in monasterio Gabrielis, intra illius deserti fines, dixit *comiti* senex: « Considera nubem istam quae contra monasterium hodie advehitur, eique plurima vasa praepara; his quippe tantum infundet aquae quantum diuturno tempore colligere consueverunt [2]. » Verba haec proferendi nondum finem fecerat senior, et nubes pluviam ante monasterium demisit, cum sol eo die splenderet, illaque pluvia impleti sunt duodecim utres, quotquot nempe in monasterio reperti sunt. Ventitabant homines ad binos sanctos invisendos, quibus nomina dederunt Moysen alterum et Eliam ('Īlyā) alterum. Hic autem sanctus Anbā Victor in senectute honesta quievit. Quem ibi sepelierunt ubi *ipse et socius* morabantur, in coenobio Anbā Darii, iuxta ecclesiam; et multa miracula ex corpore illius prodierunt.

Filius eius spiritalis Anbā Yūnā in eodem monasterio remansit, plurima religionis opera secreto exercens, sollicite cavens ne quis quid de ipso nosset. Cui Deus virtutem contra
p. 366 daemones contulit. Contigit quondam ut Nilus *solito segnior esset et ad festum *sanctae* Crucis deveniremus antequam quindecim cubitos attigisset, et deinceps restaret ac decresceret. Illum Anbā Yūnam adieram ego, peccator, et cum, benedictione

[1] Ita hoc loco interpretandum censeo nomen حاجر, quod septum, parietem, primitus significat. — [2] Vel: quantum diuturno tempori satis esse queat (?).

eius accepta, apud eum assiderem, eum convenit quidam ex primoribus urbis Esneh ('Esnā), qui eum sic interrogavit: « Pater mi, ad te accessi anno superiore, tibique indicavi consilium mihi esse ut sementem in insula facerem, quod ut praestarem suasisti, atque uberem collegi messem. Dic igitur mihi futurumne sit hoc anno ut terra satis irrigetur. » Qui respondit: « Equidem Dei largitati confido, te hoc anno, sicut anno superiore, ibidem seminaturum. » Subiunxit aliquis ex coenobii monachis qui *nobis* assidebant: « Pater mi, putasne Nilum hoc anno tantum auctum iri quantum anno superiore? » At ille: « Fili, inquit, non est unquam Nilus alteri similis [1]. »

Pastor erat ex Copti (Qifṭ) finibus, cui tres amici, cunctique simul comedebant et bibebant, atque in eadem domo habitabant, cum nulli eorum esset uxor. Pastor autem *ille*, vendita gregis sui parte, quinque denarios aureos acceptos in aedibus quae sibi cum aliis communes defodit, caeterorum nemine rei conscio. Postquam quadam nocte biberunt, surgens idem primo diluculo, aurum quaesivit nec invenit. Quare sodalibus dixit: « Sanctum patrem adeamus, benedictionem eius accepturi. » Ei respondit qui aurum surripuerat: « Hodiene eum adibimus? Non est nobis res cum ipso. Ego vero admiror illam hominum de eo opinionem, qua existimant res occultas ab eo cognosci. Vere vobis affirmo ab illo rerum neque origines neque fines perspici [2]. » Cui sodalis: « Nihil est quod eundem lateat. » Invitum igitur apprehenderunt atque reluctantem adduxerunt ad sanctum Anbā Yūnam. A quo cum benedictionem accepissent, cumque assedissent, sanctus, ad istum *furem* conversus, dixit ei: « Fili mi, quidnam mali in te feci, ut adversum me loquereris? » Ille vero, pudore suffusus, nullum dedit responsum. Tum ad *sanctum* accessit pastor *ille primus*, eumque aureorum amissorum admonuit. Respondit ei sanctus: « Eos reperies. » Dixit ei *pastor:* « Pater, totam domum perscrutatus sum, nec quidquam reperi; sed nunc a te non recedam nisi mihi revelaveris ubi denarios reperturus sim. » Cui ille: « Statim atque ad aedes vestras communes reversus fueris, partem pete

[1] I. e., ut videtur, aquarum altitudo atque affluentia pro diversis annis diversa. — [2] Enunciatio cuius sensum nonnisi coniectura assequi ac proponere licet; ad litt.: ... ignorari quo (tendat?) transiens vel abiens: ما يعرف الى اين ماضي او ذاهب.

australem; sub pariete domus pavimentum prostat; hoc tolle, et denarios subiacentes invenies. » Vir, cum discessisset, denariis repertis, quemadmodum sanctus praedixerat, ad sanctum rediit, rem ei nuntiavit et Domino propter beneficium in se collatum gratias egit.

Quidam fuit ex Moslemis qui in morbum incidit et postremo mutus ac loquendo impar factus est. Iamvero qui commercium cum eo habebant ex christianis, cum in ea miseria versantem viderent, hoc ei consilium dederunt: « Adi sanctum Anbā Yūnam et ab eo cum multis lacrimis pete ut, tui misertus, Dominum deprecetur sanitatis tibi impetrandae causa. » Venit igitur vir ille mutus et ad pedes sancti sese prostravit,
p. 367. comitibus pro eo loquentibus *et sanctum orantibus ut a Domino sanationem eius et vinculorum linguae solutionem postularet. Qui dixit ei: « Quaenam est mihi misero potestas ut hoc faciam? Verumtamen Dei virtute, quae istis locis sacris inest, propter precantium fidem miracula patrantur. » Itaque illi hominem infirmum in monasterio reliquerunt et ad sua negotia reversi sunt. Mutus vero, si quem videret qui ad sanctum accederet, datis manu signis eum rogabat ut sanctum pro se deprecaretur; saepe etiam sanctum ipsum sequebatur et digitum eius apprehensum in os suum inserebat. Postquam dies decem ibidem moratus est, nuntio ad amicos eius misso sanctus eis dixit: « Virum hunc domum reducite, et equidem spero eum a Deo sanatum iri et, vinculis linguae eius solutis, expedite locuturum. » Dumque, itinere inito, in via versarentur, locutus est Moslemus. Haec autem *ita* fecit pater noster *Anbā Yūnā*, ut a vana gloria procul abesset.

Abbas monasterii sancti Anbā Matthaei (Mattawos [1]) se ad huius monasterii hortum contulit, eum explorandi gratia, et, vespere sibi subito superveniente, in illo horto pernoctavit una cum fratribus qui ipsum comitabantur. A somno autem expergiscens, sensit dimidiam corporis partem paralysi affectam esse ac loquendi facultatem impeditam, salusque eius desperata est. Fratres igitur sanctum adierunt, ei nuntiarunt quod abbati acciderat, eumque rogaverunt ut Domino illius causa supplicaret. Fratribus respondit sanctus Anbā Yūnā; « Nolite timere; nihil mali experietur; dies quindecim exspectate, et tunc

[1] Vel: Mattūs (?).

sanitatem consequetur. » Et revera, iis adimpletis quae sanctus praedixerat, ille lingua expedita locutus est, ac, cum corpus convaluisset, laudes Deo persolvit.

Vir fuit ex civibus urbis Esneh ('Esnā), corporis pulchritudine conspicuus [1], cuius, cum illo anno anginae morbus grassaretur, filius ita angina laboravit ut de eo desperaretur. At vero pater, cui inerat fiducia in sanctum Anbā Yūnam, amicis suis dixit: « Sinite me sanctum adire eumque filii mei causa deprecari; forsitan experietur hic misericordiam Dei, ipsum propter sancti orationes sanaturi. » Itaque, filio in mortis angustiis relicto, ad sanctum venit, ministri illius regii instar cuius haec sunt in Evangelio verba [2]: « Domine, descende priusquam moriatur filius meus. » Dicebat *autem pater* sancto: « Nisi beneficium precum tuarum expertus fuerit, non iam eum vivum reperiam. » Cui ille: « Ne timeas; non enim morietur. » Domum reversus est pater, fiduciae plenus, et, cum ii qui aegrotum circumstabant spem de eo abiecissent, ille eis dictitabat: « Confido nihil verborum sancti irritum fore. » Dominus *revera* sanationem filio propter sancti preces concessit, Deumque laudarunt atque celebraverunt.

Fuit vir alius, febri laborans *quartana quae tertiana ap- p. 368.
pellatur [3]. Is sanctum adiit, eique morbum suum manifestavit. Cui sanctus: « I, in aqua calida pelvis ecclesiae lavare, et sanitatem consequeris. » Ille, dicto audiens atque obediens, fecit quod ipsi praescripserat sanctus, et sanitas ei, patris nostri Anbā Yūnae precibus, restituta est. — Ea tempestate grassata est lues gravis, qua multae mulieres mortuae sunt. Erat autem inter notos sancti diaconus cuius uxor praegnans in illum incidit morbum et muta facta est, eius mente ita perturbata ut circumstantes non agnosceret, diesque complures in eiusmodi statu permansit. Diaconus ad sanctum se contulit, auxilium ab

[1] Ad litt.: in persona sua formosus. Dubitare autem licet an haec notatio, hoc loco, tantundem valeat, vocum sensu paulo latiore, ac: conditione vitae conspicuus et plurimum pollens. — [2] Ioh., IV, 49. — [3] Sic in textu arabico. Ne autem enunciatio absona prorsus et secum aperte pugnans sit dicenda, intelligi fortasse possit de ea aegrotatione quae febrim tertianam cum quartana aliquo modo coniunctam connexamque prae se ferat, si nempe febris, non eiusdem tamen, accessio tertio quoque die, eiusdem vero, demum quarto quoque die, recurrat. Illam vulgo vocant: « fièvre double-quarte ».

eo implorans. Quem postquam audivit sanctus, secum reputavit virum hunc exigui esse ingenii ac corporis habitudine rudem, eiusque liberos matre mortua miserrimos futuros. Quare Deum oravit atque obsecravit, dicens: « O Domine, lucernam domus istius pauperculi ne exstinguas. » Eius orationem exaudivit Dominus, et inde, cum mulier iis qui circumstabant videretur iam exspiravisse neque ab eis in iacente per duarum horarum spatium repertus fuisset halitus, huius tamen sancti deprecatione in illam spiritum vitae [1] Dominus reduxit, et, lingua eius restituta, recte locuta est.

Iamvero huic sancto Dominus eam contulit insignem gratiam ut ne somnio nocturno, sicut caeteri homines, pollueretur, quia corpus suum ieiunio et oratione domabat. Videns autem Dominus magnos eius labores et asceseos molestias, eum requie a laboribus donatum atque ab iis liberatum voluit; et dicebat ille nobis: « Sol haud procul ab occasu distat. » Alias dicebat: « Advenit Dominus, ut ad Dominum ipse, sicut omnes patres mei, transmigrem. » Postquam graviter aegrotavit, a consuetis precibus non destitit, nosque hortatus ut in oratione, ieiunio et omnibus regulis monasticis *observandis* perseveremus, dixit: « Domino ego vos commendo; ipse vobiscum erit. » Et ubi in eo fuit ut spiritum emitteret, ei apparuerunt omnes sancti, exsultantes, inter quos erat Anbā Victor, avunculus eius, vestibus magnificentissimis ac splendentibus indutus, qui, eum osculatus eumque exstimulans, dicebat: « Festinus ad nos venias, ut fias gaudii perpetui haeres. » Adveniente vespera noctis quam subsequitur dies secundus mensis tūbah, animam in manus Dei vivi exhalavit, annos tunc natus septuaginta duos et menses quattuor. Tum corpus eius detulimus et deposuimus [2] ante altare, accensisque lampadibus ac cereis multis, laudes, psalmos atque cantus spiritales super eum persolvimus. Postridie, praesente episcopo, praesentibus etiam civibus urbis atque innumeris virorum ac mulierum multitudinibus, missae celebra-

[1] Arabice: ماء. Quod nomen cum primitus aquam, tum etiam succum plantarum significat. Unde facilis obviusque ad principii vitalis notionem transitus. — [2] Arabice: اقبرنا, quod proprie valeret: sepulcro et humo mandavimus. At sensum verbi non ita premendum hoc loco esse ex subsequentibus colligimus, in quibus idem ipsum verbum usurpatur.

tae sunt et fideles ad sacram communionem admissi; dein corpus illius in latere ecclesiae humo mandavimus. Et haec quidem est pars exigua vitae illius sancti.

Ipsius precibus Dominus nostri ad extremum usque halitum misereatur. Amen.

Mensis Ṭūbah dies tertius. p. 186.

Hodie fuit occisio parvulorum infantium, spiritalium, innocentium, numero centum quadraginta quattuor milium. Cum nimirum impius Herodes exspectavisset magos ad se redituros neque isti ad eum reversi essent, magna percitus ira, viros misit qui universos infantes civitatis Bethlehem et omnium finium eius, a biennibus ad iuniores usque, secundum tempus quod a magis certo noverat, interficerent. Narrat sacrum Evangelium [1], angelum, postquam discesserunt magi, Iosepho in somnis apparuisse, dicentem ei: « Surge, accipe puerum et matrem eius, in Aegyptum proficiscere, et esto ibi usque dum dicam tibi; futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. » Qui consurgens accepit puerum et matrem eius et in Aegypti regionem secessit, ut adimpleretur quod a propheta dictum [2]: « Ex Aegypto vocavi filium meum. » At vero Herodes maledictus voluit, propriae opinioni ac superbiae obsequens, infantes occidere, eo quod speraret Dominum forsitan in eorum numero futurum et ita interfectum iri. Christus autem Dominus, utpote in omni re iis usus quae humanitatis propria erant, praeter peccatum, ex illius tyranni conspectu aufugit, quia, si in manus eius incidisset et, ab eodem occisus, mortem tamen, ut virtutem divinitatis decebat, evasisset [3], existimatum fuisset ipsius incarnationem phantasma esse. Eo igitur consilio in Aegyptum fugit, ut prophetiam adimpleret nosque excitaret ut a malo fugiamus neque ei resistamus, dein vero ut Aegyptiorum deos atque idola confunderet et destrueret. Sed quomodo potuit Herodes omnes illas infantium multitudines occidere, nisi dolo usus, missis nempe per *varias* regiones *viris* qui nuntiarent a Caesare imperatore editum esse decre-

[1] Matth., II, 13, 14. — [2] Hos., XI, 1. — [3] Nisi quis ita vertere malit: et ab eodem occisus esset, non autem, ut virtutem divinitatis eius decebat, mortem obiisset, *tempore nempe et modo pridem praefinito cruci affixus.*

p. 187. tum *de recensendis universis parvulis infantibus biennio iunioribus, ut in ipsius exercitu constitutis stipendiis milites fierent? Coacta igitur infantium cum matribus copia, ex servis suis mille satellites emisit, qui illos una die in uno monte interemerunt; adimpletumque est quod a propheta dictum fuerat [1]: « Vox in Rama audita est, fletus atque gemitus: Rachel filios suos deflet, neque vult solatium amissionis eorum accipere. » Bethlehem scilicet ad Rachelem refertur. Narrat sanctus Iohannes evangelista [2], vidisse se illorum infantium animas clamantes et dicentes: « Quandonam poenam ab iis repetes qui nobis iniuriam intulerunt? » Subiungit *idem* [3]: « Vidi iis datas esse singulas stolas albas, eisque dictum: Requiescite nunc, donec compleantur fratres vestri martyres qui in mundo sunt. » Testatur etiam Iohannes [4], canticum quo Dei laudes decantabant quattuor animalia et seniores non notum esse nisi illis centum quadraginta quattuor milibus virginum, quorum corpora non sunt voluptate coinquinata et qui cum Domino semper versantur. Beati igitur illi *infantes*! itemque beati ventres qui eos portaverunt!

Ipsorum sancta intercessione Dominus Deus clemens nostri in saecula saeculorum misereatur. Amen.

Mensis Ṭūbah dies quartus.

Hodie translatio Iohannis, virginis, evangelistae, qui et Apocalypsim conscripsit. Is, cum munus ei obtigit ut se in Asiae regiones conferret, flevit et moerore affectus est, quia noverat incolas homines pravos esse, indociles, durae cervicis. Dein *tamen* virtute a Deo accepta confortatus, patriam una cum Prochoro (ʿAbroḫūros) discipulo reliquit, amboque, navem conscendentes, urbem Ephesum petierunt. Sed navi naufragium passa et confracta, uterque tabula lignea e navi arrepta suspensus remansit. Et discipulus quidem tabula atque fluctibus ad insulam quandam est devectus; sanctus Iohannes vero quadraginta dies undis iactatus est, donec, iubente Domino, mare illum in eundem locum proiecit in quo erat eius discipulus. Actis igitur Domino gratiis propter alterius cum altero concursum, ad urbem Ephesum profecti sunt. Cum autem ab initio

[1] Ierem., xxxi, 15; Matth., ii, 18. — [2] *Apoc.*, vi, 9. — [3] *Ibid.*, vi, 11. — [4] *Apoc.*, xiv, 3.

non possent in ea, ob incolarum pervicaciam, Christi nomen praedicare, arte sibi utendum censuerunt. *Unde Iohannes se p. 188. matronae nobili, cui nomen Rumyah, locavit operarium ad balneum calefaciendum, et discipulus eius Prochorus balneator factus est. Contumelias multas, verbera et convicia passi sunt ab illa matrona, quae eos, utpote alienigenas, despectui habebat, et quae eo ambitiosae dominationis in eos processit ut eosdem sibi servos vindicaret. Nec desierunt apud eam inter opprobria et contumelias commorari donec quondam ad balneum se contulit filius dominae balnei. Inerat autem illi balneo potestas quaedam diabolica, qua suffocatus adulescens continuo obiit. Itaque concurrente urbis populo ad videndum quod adulescenti accidisset, adfuit inter alios sanctus discipulus [1] Iohannes. Quem intuita illa matrona conviciis affecit, his increpans verbis: « Huc non venisti, inimice mi, nisi ut moerore meo gauderes. » Ipse vero, pro mansuetudine sua et sanctitate, ei perhumaniter respondit et, ad adulescentem mortuum progressus, hunc signo vivificae crucis signavit, et in faciem eius insufflavit; *quo facto* ille confestim ad vitam reversus est. Quare conclamantes universi urbis cives confluxerunt, ut sanctum discipulum venerarentur, imprimisque hera ipsius, Rumyah; et haec quidem flens veniam ab illo petebat eorum quae admisisset.

Credidit igitur in Dominum multitudo ingens, eosque, signis et miraculis inter eos patratis, baptizavit *Iohannes*, exceptis tamen idolorum sacerdotibus, qui de ipso interficiendo cogitabant et quos in eum incitabat Satanas. Verum electos suos Dominus ipse tuetur; et per labores plurimos atque molestias quas sustinuit, discipulus hic id consecutus est ut illos omnes ad cognitionem Domini adduceret. Et sane iam testatus erat apostolus Paulus [2] Ephesios duros esse, indociles, ad idololatriam propensos. Postquam dein iis episcopos et presbyteros ordinavit *Iohannes*, in varias exiit Asiae regiones easque ad Dei — qui exaltetur! — cognitionem convertit. Vixit sanctus

[1] Notare iuvat in hac narratione deinceps discipuli (arab., تلميذ) nomine saepe non Iohannis asseclam intelligi, sed Iohannem ipsum, Christi discipulum. Caeterum duo « discipuli », تلميذ, et « apostoli », رسول, vocabula in *Synaxario* passim promiscue usurpantur. — [2] *Eph.*, ii, *passim*.

Iohannes annos nonaginta, extremam senectutem assecutus, neque, propter virginitatem et puritatem suam, gladio, sicut caeteri discipuli, interemptus est; adeo ut sint omnes *apostoli* gloria pares. Scripsit Evangelium suum; scripsit et Apocalypsim, visionem scilicet qua in insula Patmos donatus fuerat, una cum aliis mysteriis [1]; scripsit item tres epistulas catholicas. Ipse est qui supra pectus Domini in coena recubuit et hunc interrogavit [2]: « Quis est qui tradet te? » Ipse etiam est p. 189. qui cruci *cum virgine Maria adstabat, dicente Domino Virgini [3]: « Mulier, ecce filius tuus », et dicente eodem ipsi *Iohanni*: « Ecce mater tua. » Ipse est de quo Petro quaerenti [4]: « Domine, hic autem quid? » respondit Dominus: « Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? » Qui, ubi translationem suam ex hoc mundo praesensit, populo convocato panem qui est corpus Christi fregit atque distribuit, adstantesque hortatus est ut in fide christiana firmi perstarent; tum discipulo suo et duobus aliis ex fratribus praecepit ut securim, ligonem, et corbem assumentes, se sequerentur, ex urbe Epheso ad locum ab ea prope distantem egressus est, in fossam ab illis se praescribente percussam descendit, vestes exuit, servata tantum tunica linea, manibus in altum protensis oravit, dein comitibus valedixit, eosque redire iussit ad urbem et admonere fratres ut fidei in Christum Dominum et bonis operibus perseveranter inhaererent, unicuique enim rationem necessario reddendam eorum quae fecerit. Tum subdidit: « Equidem innocens sum a sanguine vestro, quia nihil ex praeceptis Domini non docui vos; vos autem faciem meam non iam videbitis. » Ubi sanctus haec prolocutus, illi, manus eius et pedes osculati, eum in fossa reliquerunt genibus flexis orantem atque adorantem, et abierunt. Re autem audita, ita incensa sunt populi corda ut omnes *ad praedictum locum* egrederentur. Et sepulcrum quidem non invenerunt, verum, repertis sancti calceamentis et vestibus, Deum collaudaverunt, et admirati sunt tum opera illius qui discipulo suo requiem dedisset, tum hanc requiem quam ipse *Deus sancto* praenuntiaverat.

Benedictio precum eius nobis adsit. Amen.

[1] B et C: (visionem) mysteriis plenam. — [2] IOHAN., XIII, 25. — [3] IOHAN., XIX, 27, 28. — [4] IOHAN., XXI, 21, 22.

MENSIS ṬŪBAH DIES QUINTUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Eusignius (Awsegnyus [1]). Hic, qui stipendia meruit Constantini temporibus, Deum religiose colebat et, misericordiae plenus, multas largiebatur eleemosynas. Quo tempore Constantinus, antequam in Christum crederet, imaginem crucis in caelo volitantem [2] vidit, ignorans ad quem pertineret signum istud, ad eum accessit is Eusignius, eumque admonuit hoc esse Christi Domini signum; ipse enim *Eusignius* unus erat in *imperatoris* exercitu, *qui auderet p. 190. nomen Christi memorare. Itaque Constantinus, postquam, hostibus ope signi crucis devictis, vere christianus factus est, pharum religionis Christi erexit. Vixit autem hic miles Eusignius post Constantinum huiusque filios usque ad Iuliani tempora, ita ut aetatem centum et decem annorum attigerit.

Quadam die, per plateas Antiochiae transiens, occurrit duobus hominibus litigantibus, qui eum, utpote virum aetate provectum et honoratum, elegerunt, ut rem inter ipsos dirimeret. Qui cum sententiam iustam dixisset, ab homine improbo apud imperatorem accusatus est quod se pro iudice urbis gereret. Quare arcessitum imperator reprehendit interrogavitque: « Quisnam arbitrum te ac iudicem constituit? » Cui beatus, ardore et zelo impulsus divino, respondit: « Equidem neque arbiter sum, neque iudex. Tu vero cultum Dei caelorum, in cuius manibus vita tua, dereliquisti ut idolis immundis servires, neque sententiam sequeris imperatorum qui te praecesserunt. Ante te, Constantino imperatore et filiis huius post ipsum regnantibus, annos sexaginta [3] in castris merui; et inter illos nullus peior te fuit [4], qui, Dei timore deposito, idolis mutis adhaesisti. » Quocirca Iulianus, illi vehementer iratus, eum iussit cruci affigi, tum lampadem ardentem eius lateribus admoveri, dein caput acie gladii abscindi. Quae omnia in se peracta ipse pro nomine Christi Domini patienter pertulit; verum, ubi accesserunt

[1] C: 'Awsafīnūs, vel: 'Awsafnyūs. Est nomen graecum Εὐσίγνιος; cf. *Acta Sanct.*, die 5 augusti. — [2] B et C: « crucis siderum », h. e., sideribus delineatae, mutua siderum dispositione constantis. — [3] C: annos multos. — [4] Sic, cum exspectanda fuisset alia sententia, huiusmodi nempe: et nullus fuit te non melior.

qui caput amputaturi erant, eos rogavit ut exspectarent donec preces fudisset; et, postquam orationem absolvit, sacro capite abscisso, coronam martyrii cum sanctorum multitudine in regno caelesti consecutus est.

Benedictio precum huius martyris nobis in aeternum adsit. Amen.

p. 369. Item hodie martyrium passus est sanctus Banicarus (Bānīkārūs). Contigit enim, temporibus Diocletiani, imperatoris impii, qui, pace cum regibus Persidis pacta, idola colebat et omnes quotquot suae suberant potestati cogebat ad victimas iis offerendas, ut esset in Persarum finibus adulescens fortis ac strenuus, nomine Banicarus, quem, summum exercitus ducem [1] a se constitutum, reges reverentia et amore propter fortitudinem prosequebantur. Is sanctus, dum quadam nocte decumberet, visione donatus est. Sibi videbatur ad caelum evectus esse et in lacum igneum immersus, *adstantes autem sibi habere* duos ex viris strenuis exercitus Graecorum, quorum alter Theodorus Orientalis, alter Līndyus [2] Occidentalis vocabatur, ac contueri Theodorum Orientalem a caeteris duobus tanquam patrem filiorum amantem consalutatum. [3] Qua visione sanctus *Banicarus* in admirationem et stuporem coniectus est. Postero die, sanctus Theodorus Orientalis et Līndyus Occidentalis advenientes sanctum Banicarum equo suo insidentem rapuerunt et in locum adduxerunt qui vocabatur el-Mašwarah [4], ubi consederunt et alii aliis narraverunt quae in caelo vidissent, siquidem tres eadem visione recreati fuerant. Deinceps sanctus *Banicarus* in patriam suam nunquam reversus est. Posthac, cum ad Diocletianum et Maximum, imperatores impios, rumor pervenisset de *tribus* sanctis deque adoratione ab iis Christo Domino exhibita, hos misso nuntio vocaverunt illi. Coram eo [5] adstiterunt *milites*, timoris expertes, et dixerunt: « Quidnam peccati admi-

[1] In textu: اتابك; vox proprie turcica, qua vezirus magnus designari consuevit. — [2] Ita hoc loco vocatur; postea vix non semper: Lāndyūs. — [3] Enunciatio inconcinna atque incondita, cuius quis sensum nonnisi coniectura assequi possit. Ei fortasse subesse queat et hic significatus: ita ut Theodoro Orientali, tanquam patri..., caeteri duo commendarentur. — [4] I. e., consilium. — [5] Sic. In tota nempe huius visionis narratione haud pauca occurrunt confusa vel inter se minus consona. Et inde etiam fit ut nunc de duobus imperatoribus, nunc de uno, ac quasi unus tantum adfuerit, sermo habeatur.

simus, ut nos cum tanta et tam iniusta violentia arcesseretis? » Responderunt imperatores: « Tu quidem, Theodore, non poteris a nobis non crucifigi. » Tum ad Leontium (Lāndyūs) [1] conversi, hunc interrogaverunt: « Quod nomen tibi est? » Qui dixit: « Leontius mihi nomen, genusque meum ex Occidente. » Adspexit imperator etiam ad sanctum Banicarum, qui locum et munus inter Persarum primores obtinebat, et dixit: « Quod est tibi nomen et e qua civitate ortum ducis? » Respondit dux bellatorum fortium Banicarus: « Ego ex Perside *oriundus*. » Iamvero, audito Persidis nomine, timuerunt imperatores ne simultates sibi cum Persis intercederent, *quia cum his pax p. 370.
nonnisi iis diebus composita est. Tunc schedulam accepit alter imperatorum, in qua haec scripsit: « Nos, Diocletianus et Maximianus, imperatores augusti, ad Carmanium, urbis Alexandriae et Pentapolis praefectum, haec mandamus: Qua hora ad te pervenerit Banicarus, dux persicus, eum blande compella, et si, tibi dicto audiens, thus diis inclitis obtulerit, egregios in eum conferemus honores; sin vero tibi non obedierit, variis eum tormentorum generibus crucia donec moriatur. Insuper christianos, si qui tibi occurrerint, gladio interfice. » Itaque ubi ad Pentapolim pervenit sanctus Banicarus, quattuor militibus stipatus, coram se adstantem praefectus, tradita sibi imperatoris epistula, iussit in carcerem usque ad diem sequentem coniici. Media autem nocte illi in carcere apparuit Christus Dominus — cui sit gloria! — qui et dixit: « Banicare, amice mi, confortare, et uberrima salus mea tecum erit. » Sanctus Banicarus, ut Salvatorem vidit, confestim pronus adoravit. Cui benedixit Dominus, eum ita alloquens: « Electe mi, Banicare, noli praefectum istum impium timere; magnum enim tibi in hac urbe certamen incumbit, et crastina die *viros* mittet praefectus qui te ad tribunal adducant. Illum igitur propter abiecta ipsius idola reprehende. Ipse te cruciatibus multis nominis mei causa afficiet; sed ne terrearis, quia tecum sum ego donec certamen tuum compleatur. » His dictis, Salvator, pacem ei precatus, ad caelum cum magna gloria adscendit. Postero mane, iubente praefecto, sanctum Banicarum e carcere eductum ante illum constituerunt. Considerans autem praefectus exter-

[1] Ita deinceps.

nam corporis speciem, staturaeque pulchritudinem, et gratiam Dei in eum profusam, formam admiratus, ei dixit: « Tu es Banicarus [1]. » Itaque ei iratus [2], praecepit ut *a satellitibus* sedi clavis horrenti imponeretur, utque ovum ferreum candefactum capiti eius admoverent et ignes ardentes supponerent. Verum, martyre orante et auxilium a Domino postulante, is, misso angelo suo, illum salvum praestitit. Quamobrem eum praefectus iussit in custodiam detrudi, ubi Dominum precatus est ut vires sibi in certaminis consummationem adderet. Re audita, urbis cives ad eum omnes qui diversis morbis laborarent et eos quibus inessent daemones adduxerunt, adductosque virtute Iesu Christi sanabat. Erat autem in Pentapoli princeps illustris, nomine Theognostus (Tāwoġosṭos [3]), qui munere instituendi regum [4] liberos fungebatur. Unicum is habebat filium, cui inerat spiritus immundus. Itaque, ut rescivit prodigia quae martyr in carcere patrabat, eum adiit salutavitque. Tum ille: « Rem tuam, inquit, pande mihi. » Cui respondit pater adu-
p. 371. lescentis, exponendo ei filii conditionem promittendoque se, *si filius sanatus fuerit, cum omnibus domesticis suis Christum confessurum. Dixit illi Banicarus martyr: « Surge, in domum tuam revertere, et hac *ipsa* nocte Dei gloriam videbis. » Praefectus vero martyrem adesse iussum sic compellavit: « Thus *diis* offer. » At Banicarus, martyr animosus: « O canis inverecunde, ait, ignare et oculis capte, heri mihi tu dicebas: Ego tui misereor, et hodie me minitans alloqueris. » Respondit ei praefectus: « Te pro meritis tuis tractabo. » Tum iussit foveam cavari, in ea accendi ignem, iniici sulphur, oleum, resinam et lignum iliceum, adeo ut flamma assurgeret altissima, dein sanctum martyrem Banicarum, vinculis ferreis alligatum, in mediam foveam deiici. Ad quem, cum oraret et Dominum deprecaretur, descendit archangelus Michael, a quo incolumis servatus atque illaesus, domum petiit Theognosti. Is, obviam ei egressus, in aedes suas introductum sic interrogavit: « O Domine mi, quomodo e fornace illius impii incolumis evasisti? » Cui sanctus: « Nonne compertum habes confidentes nunquam

[1] Fortasse interrogatio. — [2] Obscura videtur atque manca sententiarum series; quapropter oportet suspicemur aliquid intercidisse. — [3] Ita hic, sed mendose, ut videtur. In subsequentibus enim fere: Tāwoġnosṭos. — [4] Vel: imperatorum (?).

pudore suffusum iri? » Et *Banicarum* ille in eum locum adduxit ubi filius suus erat. Satanas vero, martyrem intuitus, adulescente in terram proiecto, alta voce exclamavit: « Ex hoc egrediar, o Banicare, propter Michaelem archangelum qui tibi comes adhaeret. » Itaque adulescens, signo crucis a sancto signatus, Satana ex ipso per Dei virtutem egrediente, sanatus est, et pater, rem admiratus, cum tota domo sua credidit. Porro *satellites* ad foveam misit praefectus, dicens: « Inspicite sitne ille superstes, annon. » *Illuc* igitur perrexerunt milites; sed, fornacis operculo ab iis remoto, erumpens ignis flamma decem eorundem combussit, plurimosque levius adussit, barba et capillis confrixis. Sanctus tamen iis insciis aufugerat [1]. Praefectus, de re ab eis certior factus, gavisus est, dixitque: « Nullus est deus nisi Apollo et Neptunus ('Abūṣidūn [2]), frater eius; et sane ossa illius improbi igne absumpta sunt. » Nondum autem loquendi finem fecerat cum miles adveniens praefecto nuntiavit Banicarum nunc in domo Theognosti principis versari. Cui praefectus, ira excandescens: « Nisi fuerint vera quae dicis, linguam tibi praecidi iubebo. » Et milites cito ad domum Theognosti misit, reversique sunt, martyrem adducentes incolumem et sanum. Quem cum vidissent turbae, conclamaverunt: « Nullus est Deus, praeter Iesum Christum, huius sancti Deum. » Quocirca timuit praefectus ne in se insurgerent urbis cives, dicente ei conclavis eius custode: « Nos mox lapidibus obruent. » Praecepit igitur ut in carcerem reduceretur *Banicarus*. Huic autem apparuit Christus Dominus et, bona caelestia *in societate ami- p. 372.
corum eius Theodori et Lāndyi pollicitus ac pacem apprecatus, in caelum ascendit. *Denuo* vero iussit praefectus martyrem Banicarum arcessi, cui et dixit: « Obedi mihi et magno deo Apollini victimas offer. » At ille: « O vir corde obcaecato, ait, non est Deus, nisi Iesus Christus. » Quod indigne ferens praefectus iussit illum ore inverso suspendi, lapidem ingentem collo eius alligari et faces ardentes vultui subiici. Sed martyrem preces ad se fundentem Deus angelo misso salvum praestitit.

[1] Interpretatio vix non extra dubium omne posita, modo tamen in codice, non secus ac in editione arabica, pro ينقى, legatur: ينفى. — [2] Arabice: ابوصيدون. Cui formae subesse nomen graecum Ποσειδῶν non est cur dubitemus. Et idcirco, quamvis nemine, quantum equidem resciverim, praeeunte, transtuli: « Neptunus. »

Dein praecepit praefectus ut in carcerem retruderetur. Quare quicunque ex urbis civibus, cum alii ab aliis commonefacti essent, infirmum apud se haberent, ii eum ad carcerem afferebant, et martyr aegrotos sanabat. Rei fama ad praefectum delata est, cui dixerunt regni optimates: « Ecce universus civitatis populus in deum illius credidit. » Iussit igitur ille *Banicarum* ad tribunal iudicii adduci atque flagris caedi, adeo ut ex multis verberibus martyr deliquium animi experiretur. Quod intuitus Theognostus data militibus pecunia facultatem emit pusillum aquae in faciem sancti inspergendi; isque paululum recreatus et, oculis apertis, Theognostum iuxta caput suum videns, ei dixit: « Frater mi, mei, tempore afflictationis meae, misertus es. Dominus meus Iesus Christus te a gehennae igne salvum praestabit, et a tormentis in aeternum immunis eris. » Praecepit autem praefectus ut eum in carcerem reducerent. Quo eundem adiit Theognostus et ita precatus est: « Te rogo ut mihi enarres res a te gestas, quas conscribam ego, earum *relationem* in domo mea benedictionis causa depositurus. Item indica mihi quid, ad corpus tuum quod attinet, faciendum sit, postquam martyrium consummaveris. » Et quidem martyr Banicarus ei exposuit quaecunque sibi evenissent atque admonuit ut corpus suum sepeliret. Postero die, martyrem adduci iussum praefectus ita allocutus est: « En molestias perpessus es, et tui me miseret. Magnum deum Apollinem adora. » Cui martyr animosus respondit: « O canis immunde, maledicte atque oculis capte, quomodo Deum caeli et terrae derelinquam, cultumque operibus manuum hominum, quae ligna sunt et lapides, adhibebo? » Itaque eum iussit praefectus equuleo imponi; verum, sancto Dominum invocante, e caelo descendens Michael equuleum confregit, et turbae adstantes conclamaverunt: « O scelestе, quousque hunc martyrem malis afficies, quem Dominus incolumem servat? In Deum ipsius credimus et nos. » Quod conspicatus praefectus vehementer timuit ne urbis cives adversum se rebellarent, et idcirco sententiam scripsit ut *Banicari* caput amputaretur. Martyrem igitur ad eum locum adduxerunt in quo martyrium complendum. Cui oranti et Dominum Deum deprecanti ut sibi esset auxilio apparuit Salvator, qui plurima ei pollicitus est, et postquam finem fecit Salvator cum martyre colloquendi, huius caput amputavit carnifex. Dein accedens

Theognostus corpus in domum suam translatum *pannis magnificis sepelivit et in locum aedium suarum secretum reposuit donec cessaret persecutio, atque *hac cessante* pulcram ei superstruxit ecclesiam. Et hoc quidem compendium vitae illius martyris Banicari. p. 373.

Ipsius precibus Christus Dominus nostri misereatur. Amen.

MENSIS ṬŪBAH DIES SEXTUS.

Hodie, Christus Dominus, in domum circumcisionis ingressus, legem adimplevit, quemadmodum Paulus apostolus, lingua aromatica [1], testatur [2] Christum ministrum fuisse circumcisionis in corpore suo ad confirmandum promissiones Patrum. Et quidem putaverunt Christum Dominum non circumcisum. Quorum opinio si vera esset, non potuissent Iudaei ullam adversus eum accusationem ista graviorem invenire, cum *tamen* sanctum narret Evangelium [3] ab illis falsum testimonium contra eum quaesitum fuisse, nec repertum. Sed [4] Christus Dominus totam Moysis legem adimplevit: adhibuit *circumcisionem, cuius loco nobis baptismum instituit; comedit azyma, quorum loco nobis sacrum suum corpus dedit; sabbatum observavit, cuius loco nobis diem praescripsit dominicam, quae dies est sanctae resurrectionis illius.

Ipsi, cum Patre eius et Spiritu sancto, sit gloria in aeternum. Amen.

Eadem die propheta Elias (Ilyās) thesbites vivus in caelum translatus est. Prophetae huius, qui, zelo ardens, temporibus Achabi regis vixit, anima propter prava regis opera quotidie cruciabatur; ac denique, mente effervente, postquam ante Deum stans eum precatus est, regem convenit eique dixit [5]: « Quare reliquistis, tu et uxor tua Iezabel (ʾIzbāl), Dominum, ut idolo Baal adhaereretis, et vineam Naboth Iezrahelitae (el-ʾIzrāʿīlī [6]) rapuistis? Vivit Dominus Deus Israelis, quem testor imbrem in terram non casurum nisi me edicente. [7] » Quae cum profatus esset, confestim siccata sunt flumina, herba aruit et in uni-

[1] Ad litt.: lingua aromatis. Qua appellatione metaphorica utilitas simul ac suavitas doctrinae paulinae significatur. — [2] *Rom.*, XV, 8. — [3] MATTH., XXVI, 59, 60. — [4] B: Quoniam. — [5] Cf. I *Reg.*, XXI, *passim*. — [6] Sic ex B et C, siquidem A, errore manifesto, habet: « el-ʾIsrāʾīlī », h. e., Israelitae. — [7] I *Reg.*, XVII, 1.

versa regione invaluit aquae inopia et caritas annonae. Itaque ubi vidit Dominus prophetam mortem sibi fame ac siti consciscere et zelo Dei ardere, eum iussit ad montem Kūzān[1] proficisci, eique quotidie corvum cum cibo mittebat. Volebat Dominus prophetae suo morem gerere, neque sivit verbum eius irritum fieri. Corvum autem ad eum cum esca mittens, tentabat Deus num forte ille cibum ea via accipiendum aversaretur, quia corvus in lege antiqua *habebatur* immundus, et huius rei scientia ad sui ipsius propter multitudines[2] miserendum atque ad pluviam iussu suo demittendam moveretur. Accepit vero propheta cibum corvi opera delatum, neque ab eo abhorruit. Tum, Deo praecipiente, exsiccatus est torrens e quo aquam ille bibebat, ut sitientis cor forsitan ad indulgendum hominibus flecteretur; sed neque ob hanc causam, quamvis in eo esset ut siti moreretur, sui misertus est propheta. Quare eum iussit Deus Sarephtham Sidoniorum petere[3], illamque[4] mulierem invenit ligna colligentem, a qua panem petiit comedendum. At illa[5]: « Vivit Dominus, ait, et vivit anima tua, mihi non est nisi quantum pugillus capere potest farinae, quam mihi et filiis
p. 192. meis apparem, ut comedamus et moriamur, itemque *parum olei in hydria. » Dixit ei *propheta*[6]: « Affer mihi paululum aquae, quam bibam, atque frustum panis, et postea comede, tu. » Cui respondit illa mulier: « Equidem moriar necesse est; id igitur isti viro apponam ad ipsum reficiendum, quod nondum consumpsi »[7]. Illius fortitudinem et rectum ac constans animi propositum ubi perspectum habuit propheta, intimo misericordiae affectu motus, Dominum oravit ut pluviam in terram demitteret; prophetae namque verbum, utpote ex mero zelo divino prolatum, Dominus Deus ratum habuerat. Muliere vero afferente sibi aquam et panem tenuem ac rotundum, Elias benedixit domui eius, dicens[8]: « Ne deficiat lecythus olei, nec hydria

[1] B et C: Kuwān. Forsitan autem posset A legi: « Kūrān ». — [2] B et C: propter famem. — [3] B et C ins.: ... ibi a muliere vidua nutriendum, ut forsitan iter per regionem facientis et mortuos iacentes conspicientis cor emolliretur. Qui postquam Sarephtham Sidoniorum se contulit..... — [4] Lectori scil. ex I *Reg.*, xvii, 10 sqq., notam. — [5] I *Reg.*, xvii, 12. — [6] *Ibid.*, xvii, 13. — [7] Quod tribus postremis vocabulis transferimus incisum sensum non prae se fert omnino liquidum ac certum. — [8] I *Reg.*, xvii, 14.

farinae consumatur. » Et ita factum; mansitque *propheta* apud viduam donec finem acciperet annonae caritas. Porro viduae filius erat, qui aegrotavit et mortuus est. Quare *mater*, scissis vestimentis, flens atque eiulans acceptum puerum in coenaculum ad *Eliam* attulit. Qui, Dominum precatus, faciem suam ita mortuo imposuit ut idem revixerit; diciturque hunc fuisse Ionam prophetam.

Posthac Elias, cum ab Achab rege Israelis instanter exoratus esset, ad eum misit discipulum suum, qui nunciaret pluviam haud longe abesse, quoniam ille ipse erat qui caelis occlusis pluviam a terra annos tres et menses sex prohibuerat. Dein prophetas Baal apprehensos *Elias* propheta sua manu immolavit. Quod ubi audivit Iezabel, Achabi uxor, misso nuntio minas ei propter prophetarum Baal interfectionem intendit. Unde, animum despondens, dixit ille[1]: « O Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, et solus remansi ego, quem vita privare volunt. » Cui in visione divinitus datum responsum[2]: « Ne timeas. Equidem septem milia virorum servavi, qui idolum Baal non adoraverunt. Tibi vero nullus vitam eripere poterit, sed te ad caelum, corpore consorte, eveham. » Subinde regi Israelis Achab mortuo successit Ochozias, qui malum coram Domino fecit et, morbo tentatus, legatos ad Deum Afrun (ʿAfrūn[3]) misit, interrogans utrum sanitatem recuperaturus esset. Legatis occurrit Elias propheta et dixit[4]: « Regi notum facite, ipsum hoc morbo moriturum. » Re ab illis cum rege communicata, intelligens hic *praedictionis auctorem* prophetam esse *Eliam*, ad eum misit quinquaginta militum ducem, atque in summo monte sedentem dux sic compellavit[5]: « Propheta Dei, descende et veni ad regem. » Respondit ei propheta[6]: « Si propheta Dei sum, ignis e caelo demissus te comburat. » Et delapsus ignis illum ac quinquaginta *milites*, quibus stipatus erat, consumpsit. » Dein misit rex quinquagenarium alterum, quem eodem modo locutum quo primus, *una p. 193.
cum omnibus qui ipsum comitabantur ignis delapsus consump-

[1] *Reg.*, xix, 10. — [2] I *Reg.*, xix, 18. — [3] Ita *Synaxarium* in A et C, in B vero: Ġafrūn; cum, II *Reg.*, i, 2, 3, in Vulgata. « Accaron », in textu hebr.: עֶקְרוֹן legatur. — [4] II *Reg.*, i, 4, — [5] *Ibid.*, i. 9. — [6] *Ibid.*, i. 10.

sit. Tertius, humiliter accedens, ante prophetam, adhuc procul distans, se prostravit, rogavitque ut se incolumem servaret. Revelatione igitur admonitus, descendit *Elias* ad regem, qui, ab eo propter opera reprehensus, in cubili suo mortuus est. Postea, ad flumen Iordanem cum Elisaeo discipulo profectus, pallium aquis imposuit, quibus in duas partes divisis, transmearunt; et ecce, dum nebula, tonitribus atque fulguribus circumdarentur, propheta ab equis igneis sursum in caelum ablatus est. Quare Elisaeus flens dixit [1]: « O pater mi, o currus Israelis et equites eius! spiritus tuus in me duplex effundatur. » Itaque ille pallium suum bifariam scissum in Elisaeum proiecit, qui exinde spiritum magistri duplicem accepit; et cuiuscunque miraculi ab Elia patrati Elisaeus duplum patravit: Iordanem enim prior semel, alter bis traiecit; ille mortuum, duos mortuos hic ad vitam revocavit; plurimaque *alia* edidit discipulus Elisaeus propter spiritum illum duplicem sibi inditum. Porro futurum est ut ille, Eliam intelligo, in fine temporum veniat, Enocho comite, utque Messiam fallacem [2] increpando confutent, hic vero eos interficiat. Amborum corpora tres dies cum dimidio in terra iacentia manebunt, et deinde aderit resurrectio. Sanctus hic propheta primus fuit qui antiquae legis temporibus desertum incoleret.

Ipsius preces et benedictio nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria patris Marciani, papae Alexandriae. Principatum is obtinuit centum annis post Domini nostri Iesu Christi ascensionem, decennio ab altera Hierosolymorum eversione elapso; et patriarchatu annos septem cum anni parte [3] potitus est, eo temporis spatio plebem edocens et confirmans, multosque ex idolorum cultoribus a se ad Christum Dominum conversos baptizavit, ipsorum mentibus legis scientia illuminatis, et in pace quievit.

Cuius preces nobis adsint. Amen.

Eadem etiam die, memoria Basilii Magni, episcopi caesariensis. Huius sancti patri nomen erat Isidoro ('Isīdros). Is, cum esset sacerdos sanctus ex Antiochiae civibus, quinque liberis donatus est, qui sunt Basilius, Gregorius, Petrus, Caesarius et Macrina (Makrīnah), et qui perfecta sanctitate eminuerunt universi.

[1] II *Reg.*, II, 12. — [2] I. e., Antichristum. — [3] B: annos sex.

Sanctus hic *Basilius*, Spiritus sancti plenus, celebrem composuit missam quae ipsi adscribitur, *eiusque opera Deus mira- p. 194.
cula et prodigia edidit, e quorum numero haec septem in ipsius vita referuntur.

Primum evenit fratri eius Petro, episcopo Sebastiae, cuius causa, cum esset matrimonio iunctus [1], exorta est in populo perturbatio, donec, illum conveniens Basilius, plebi secretum revelavit de illius ad uxorem habitudine, utrumque scilicet permansisse virginem, narravitque quomodo eundem ipse vidisset ab angelo obumbratum [2]. Alterum miraculum vicissitudo est ecclesiae quae, ab haereticis usurpata, ab iis aperiri non potuit, orantibus [3] autem fidelibus et sancto Basilio simul orante, aperta est. Tertium [4] miraculum expertus est Mar Ephraemus cum lucis columnam vidit a terra ad caelum erectam et ei dictum est hanc *ipsum* esse sanctum Basilium; unde Anbā Ephraemus, Caesaream veniens et Basilii virtutes intuitus, ab eo diaconus ordinatus est atque eodem orante ipsum lingua graeca, *quamvis graece non doctus*, alloqui coepit. Factum [5] quartum id quod cuidam medico astrologo accidit: is quippe in sua arte tempora et rerum eventus ex astris discernendi nunquam erraverat [6], et, sanctum videns eo morbo laborantem quo moriturus erat, eum praemonuit de morte tempore a se accuratissime definito obventura; sanctus vero precibus ad Christum fusis id consecutus est ut vitae tempus triduo augeretur. Unde Iudaeus [7] cum tota domo sua credidit, eosque Ephraemus ante mortem eius baptizavit. Miraculum quintum [8] illud est quod factum in servo qui baptismum et Christum, chirographo daemoni dato, abnegaverat et quem sanctus loco aliquo inclusit, non desistens a precibus ad Christum Dominum fundendis donec Satanas chirographum sibi afferret. Miraculum sextum pertinet ad sacerdotem qui virgo cum uxore sua manserat et in cuius domo leprosus quidam versabatur, atque ad

[1] Quod in edit. arab. legitur: متروّجا, corrige in متزوّجا. — [2] B et C: ambos..... obumbratos. — [3] B, rectius: advenientibus. — [4] Ita ex C; A et B, mendose: secundum. — [5] B et C: miraculum. — [6] Ita ex codd. B et C; lectio vero cod. A obscura et verisimiliter corrupta. — [7] Medicus scilicet. Notum quippe est artem medicinae a Iudaeis exerceri solitam. — [8] Quod supra, pag. 23-25, fusius enarratum prostat.

modum quo sanctus, cum illos novisset, nocte cum leproso decumbens, huic sanitatem a Domino conciliavit [1]. Miraculum septimum id quod in muliere pudibunda evenit, quae, cum omnia peccata sua scripto mandata ad sanctum proiecisset, hic illi benedixit, et cuncta illius peccata schedulae inscripta deleta fuerunt, praeter peccatum unum *de quo* iussit eam ad Anbā Ephraemum se conferre. Qui, ab ea conventus, eandem ad sanctum *Basilium* remisit, dicens: « Illum assequere antequam moriatur. » Ipsa autem reversa et funeri eius egredienti obviam facta, feretro manu prehenso, chartulam mortui corpori imposuit, et evanuit quidquid in illa scriptum erat. Eiusdem Basilii alia insuper fuerunt miracula, aliae virtutes. Carmina composuit elegantia, tractationes, homilias et opera ascetica; p. 195. *multos ex libris Veteris et Novi Testamenti explicavit, canones edidit; et haec *omnia* (?) in fidelium manibus hodieque versantur.

Ipsius precum benedictio nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis Ṭūbah dies septimus.

Hodie requie donatus est sanctus Silvester (Ṣilbaṭros [2]), papa Romae. Pater hic, propter virtutis, vitae asceticae atque scientiae amplae [3] excellentiam, urbi Romae patriarcha praepositus est postquam Miltianus (Milṭiānūs) [4] ad Christum migravit. Cuius electio contigit anno undecimo regni imperatoris Constantini Magni. Ubi autem apostolicam Petri sedem conscendit, Constantinum imperatorem baptizavit. Is nimirum nonnisi post undecim regni annos baptizatus est; *interim* tamen operam dabat debellandis impiis, quos interemit, delubris paganorum dirutis et in sanctuaria Dei conversis. Porro clarissima fuit huius patris vita, siquidem perpetuo incubuit gregi edocendo, a fidelium animabus haesitationes ac dubitationes removens, iis explicans res intellectu difficiles. Item constanter adversus Iudaeos Graecosque disputabat, ex quibus plurimos ad Christi fidem adductos baptizavit et quorum doctoribus ipsius nomen

[1] B brevius: ... manserat et qui cum leproso conversatus est donec huic Dominus sanitatem restitueret. — [2] Cod. D: Salīṭros; E: Sīlbaṭros. — [3] B et C: atque laborum plurimorum. — [4] Alias: Miltiades vel Melchiades.

terrori erat atque formidini. Ad hos confutandos multas exaravit tractationes. De Dei — cui sit laus! — cognitione et de incarnatione libros conscripsit, quibus eos refocillaret quorum anima divinae scientiae sitiens est. Anno septimo principatus sui, trecentis et duodeviginti sanctis Patribus Nicaeae congregatis, Arium excommunicavit atque anathemate perculit, itemque eos omnes anathematizavit qui eius doctrinae adhaererent. Cursu consummato, postquam annos duodecim sede potitus est, *in pace* quievit.

Precum eius benedictio nobis in aeternum adsit. Amen.

* Mensis Ṭūbah dies octavus. p. 196.

Hodie consecratio aedis sacrae in monasterio Abū Macarii *peracta* manu patris puri Beniamini, patriarchae alexandrini, postquam nimirum hic *acerba multa* ab El-Moqauqiz expertus est atque ab eodem in Aegyptum superiorem profugus fuerat per decem annorum spatium. Ubi igitur Ecclesiae quies concessa et pater Beniaminus ad cellam suam reversus est, senioribus deserti sancti eum adeuntibus atque orantibus ut veniens ipsis aedem novam, quae est ecclesia Abū Macarii, consecraret, surrexit et cum iis magnopere gaudens profectus est atque aedem consecravit. Dum autem incipit altaris mensam sacro chrismate ungere, vidit manum Christi Domini secum ungentem, et in faciem tremebundus procidit. Quem erexit unus ex Cherubim [1], sic ipsum alloquens: « Surge, ne timueris, et regulam huic loco sancto praescribe; hoc quippe adytum [2] Domini est, in quod nemo per vim vel pecunia *corrumpendo* ingredietur, sed ille tantum [3] qui eidem consecratione praepositus fuerit. Neque ibi conseretur sermo vanus, quoniam hanc legem isti loco sanctitas Domini in aeternum imposuit. Mox autem tempus adveniet, quo mandata violabunt accepta a patribus suis neque horum praeceptis obsequentur; fietque hic locus sanctus locis maledictis similis. » Dixit igitur pater Beniaminus: « Haec est vere domus Domini et haec caeli porta »; dumque ipsum alloquitur *cherubim*, respiciens pater Beniaminus ad occidentalem ecclesiae partem, personam vidit formosam, aetate

[1] C: Seraphim. — [2] Ad litt.: mysterium; C: haec quippe domus. — [3] Ad litt.: praeter eum.

provectam, habitus decentis, staturae procerae, cuius vultus perinde ac vultus angeli fulgebat, atque, illius aspectum admiratus, intra se dixit: « Si vacaverit quaedam ex sedibus *episcopalibus*, hunc illi praeponam episcopum. » Cui cherubim: « Num hunc constitues episcopum? Est hic Abū Macarius, pater patrum patriarcharum, episcoporum et monachorum, qui hodie idcirco tantum in spiritu adest ut cum filiis laetetur; nec porro desinet *aliquis esse* ex filiis eius dux et praeses [1], neque deerunt in domibus eius fructus spirituales. » Tum Beniaminus: « Beatus ille et beati filii eius. » Cui respondit cherubim [2]: « Si mandata eius filii custodierint et praecepta ipsius secuti fuerint,
p. 197. ibi erunt ubi ipse in gloria; * sin fuerint inobedientes, nulla iis cum illo pars. » Tum Abū Macarius: « Noli, domine mi, noli huiusmodi sententiam in filios meos dicere. Verum racemus in quo vel una remanet bacca benedictione Domini donatur; *ita* dummodo in istis remaneat amor quo alii alios complectantur, existimo fore ut Dominus eosdem a regno suo non amoveat. » Quare admiratus est pater Beniaminus senis Abū Macarii misericordiam. Scripsit autem sanctus Beniaminus diploma quod in ecclesia in perpetuam memoriam reposuit, rogavitque Christum Dominum ut die huic respondente mori sibi contingeret, et revera contigit mors eius octavo mensis ṭūbah die.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti Andronici ('Andrūnīqūs), patriarchae alexandrini. Hic sanctus fuerat diaconus, ex nobili Alexandriae prosapia genitus, scientia praeditus atque misericordia, in libris ecclesiasticis apprime versatus; eiusque patruelis vectigalibus Alexandriae administrandis [3] praeerat. Propter egregiam dignitatem et generis nobilitatem [4], domicilium non habuit in monasteriis, ut ipsius decessor, sed in propria cella, intra urbem Alexandriam, toto principatus sui tempore [5].

[1] Propositionis arab. sensus et hic esse possit: neque desinet (Macarius) filiis adesse dux et praeses. — [2] C: seraphim. — [3] Vel, fortasse: rei publicae administrandae; nomen quippe arab. صاحب ديوان significationis est admodum indefinitae. — [4] Vel, ex cod. B: spiritus altos. — [5] B add.: Et promotus est hic pater anno decimo regni Heraclii, imperatoris Graecorum, seu anno nongentesimo trigesimo tertio ab Alexandro.

Huius patris aetate prorupit ex Perside quidam, cui nomen Chosroes, impius et solis adorator, qui, quum ingentem exercitum coegisset, regiones invasit Graecorum (er-Rūm), Syrorum et Palaestinensium, eas vastavit, earundem opes sibi arripuit, et, Aegypto occupata, Alexandriam se contulit. Hanc circumdabant adhuc sexcenta monasteria monachis frequentia, divitiis et commeatibus referta, quorum vero monachi socordes erant et superbi. Ista, in potestatem suam divinitus tradita, *Chosroes* evertit, iis omnibus occisis qui inibi habitabant, praeter paucos qui sese abdiderunt et fugae mandarunt; eorundem res depraedatus est, neque deinceps ad haec usque tempora e ruinis excitata sunt. Cives alexandrini, quum audissent quae fecisset ille, urbis portas ei aperuerunt. Vidit autem dux exercitus in somnis aliquem sibi dicentem: « Civitatem hanc a me tibi traditam *ne destruxeris, sed viros p. 198.
eius animosos [1] interfice; ipsi enim hypocritae sunt. » Captum igitur urbis regem [2] alligavit, et misit qui urbis incolas moneret ut ad se educerentur iuvenes eorum ab aetate annorum decem et octo usque ad quinquaginta, accepturi singuli vicenos denarios et a se constituendi milites ipsi civitati. Cuius dictis fidem illi adhibuerunt. Unde ad ipsum egressi sunt viri numero octoginta millia, quorum nomina describenda curavit, ipsis existimantibus sese aliqua re donatum iri. Postquam vero eos recensendi finem fecit, universos gladio interemit. Dein in Aegyptum superiorem ascendit et Niqyūs venit, audiensque in cavernis et montibus monasteria reperiri et in his septingentos monachos, quorum mores plerumque reprehendendi, misit qui omnes interficeret, donec ipse ab Heraclio interfectus est, qui eiusdem regiones vastavit.

Fuit autem vita patris nostri Andronici admodum egregia; sedem patriarchalem sex annos obtinuit, eiusque mors contigit anno trecentesimo quadragesimo *aerae* Martyrum, quum nondum conculcassent reges Arabum fines et monasteria Aegypti.

Ipsius preces nobis adsint.

Eadem die, mors patriarchae Anbā Zachariae, qui sexagesimus quartus *patriarcharum alexandrinorum* constitutus

[1] Vel: optimates (?). — [2] Ita ad litt.; intellege: principem seu praefectum.

est, anno nono principatus El-Ḥākem Billah, die vigesima prima *mensis* ṭūbah anni septingentesimi vigesimi *aerae* Martyrum. Huius temporibus dirutae sunt ecclesiae, *mense* hatūr anni septingentesimi vigesimi noni *aerae* Martyrum, et excitatae *mense* kihak, post annos octo et mensem unum.

Ipsius benedictio in nos *effundatur*. Amen.

Eadem die, mors contigit patris Beniamini. Is sanctus, in *urbe* Barsuṭ parentibus opulentis natus, vitam monasticam a pueris amplexus est apud virum sanctum cui nomen Theonas (Tāwonā), in monasterio ab occidentali Alexandriae parte sito, virtuteque proficiebat et plurimos librorum Ecclesiae didicit. Quadam nocte, aliquem vidit sibi dicentem: « Gaude, Beniamine, quia gregem Christi pasces. » Visionem patri suo enarravit. Cui ille: « Irretire te vult Satanas; superbiam igitur cautus devita. » Exinde perfectior evasit. Eum dein parens ad patrem Andronicum adduxit, quocum visionem communicavit. Eum hic presbyterum ordinavit et Ecclesiae negotia ei commisit. Qui postea, cum Andronico in munera patriarchae successisset, multis calami-
p. 199. tatibus oppressus est. Sed antequam *id eveniret quod evenit, ei apparuit angelus Domini, praedixitque quae futura essent, et iussit ipsum atque caeteros episcopos aufugere. Itaque missam celebravit pater, communionem plebi distribuit, adstantesque adhortatus, eos praemonuit de iis quae essent eventura. Tum, epistulis ad omnes episcopos et monasteriorum rectores missis ut sibi fuga consulerent, se ad monasteria Abū Macarii (Maqār) atque inde ad Aegyptum superiorem contulit.

Postquam autem ex urbe egressus est, advenerunt ab Heraclio praefectus et patriarcha, qui potestate in ecclesias et fideles potiti sunt. Horum plurimos tormentis affecit *praefectus*, sanctique Beniamini fratrem nomine Mennam (Mīnā) cruciavit, lateribus adustis, ac postremo aqua immersit. Porro ea tempestate vidit Heraclius in somnis aliquem sibi dicentem: « In te irruet populus incircumcisus, qui, te devicto, regnum terrae a te auferet. » Putavit igitur Iudaeos innui, et ex iis multos baptizavit; sed visio ad Arabum regimen pertinebat. Arabes quippe ex regione el-Ḥiǵāz prodierant universasque Syriae partes subiugaverant. Quamobrem iis diebus advenit Omarus ibn-el-ʿAṣi in

[1] Alibi: Faršūṭ, vel: Farǵud. Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 178.

Aegypti fines, quos sibi subdidit, ibique triennium cum suis commoratus, anno aerae martyrum trecentesimo sexagesimo sexto Alexandriam petiit, cuius arce eversa plurimas incendit ecclesias, atque imprimis sancti Marci ecclesiam, quae, in littore maris sita, ecclesia imae terrae nuncupabatur, itemque monasteria et ecclesias quae urbem circumstabant, militibus eius quae inibi erant diripientibus. Tum navarchus, Marci ecclesiam ingressus, manu in arcam demissa, sancti Marci corpus reperit, cuius cum pretium compertum haberet, caput abstulit et in navi sua abscondit. Omarus vero, ubi quae ad patrem Beniaminum attinebant et causam fugae illius novit, libellum ei securitatis tuitionisque causa scripsit, quem ad omnia Aegypti coenobia misit, ut rediens ille plebem et ecclesiam suam regeret. Reversus igitur est hic pater, postquam tredecim annos profugus manserat, ex quibus decem in Heraclii, tres in Moslemorum imperio exegit. Eum Omarus honorificentissime habuit, sanxitque ut eidem suae restituerentur ecclesiae atque harum possessiones, et dixit ei: « Mihi bene precamini, ut, ad Occidentem pergens, Pentapoli potiar; ex qua si incolumis reversus fuero, tibi praestabo quaecumque optaveris. » Illi igitur bene precatus est atque praenunciavit quae per illum et illi essent eventura. Postquam autem statuit Omarus a terra solvere, omnia navigia remis propellere coeperunt, navesque universae egressae sunt, praeter eam tamen navem in qua *caput *sancti* p. 200.
Marci absconditum; haec quippe e portu non egressa est. Quare convenientes universi navium viri illam funibus alligatis pertrahere conati sunt; verum educi non potuit. Dixit autem dux: « Navem hanc scrutamini. » Unde timore perculsus ducem de capite *ablato* certiorem fecit idemque ei exhibuit. Misso itaque nuntio, dux patri patriarchae rem notam fecit. Et pater quidem ea ipsa nocte sanctum Marcum viderat sibi dicentem: « Locum mihi apud te provide [1]. » Surrexit proinde nuntio ducis audito et, istum conveniens, ei revelavit hoc esse sancti Marci caput. Quod ipse accepit; statimque navis educta est. Rem admiratus dux pecuniam patri dedit, praecipiens ut ecclesiam sancto Marco aedificaret. Sedulam operam ponebat hic pater in fidelibus[2] *ad meliorem frugem* reducendis *et in*

[1] B et C: praepara. — [2] B: in infidelibus ad fidem.

ea confirmandis. Eius temporibus immisit Deus — qui exaltetur! — in regiones *Aegypti* famem cui nulla unquam alia similis et qua innumera hominum per plateas et vicos proiectorum ac iacentium multitudo interiit. Postea sanctus crurum dolore biennium aegrotavit, et dein requie donatus est, annis septem et triginta in principatu exactis.

Ipsius preces et benedictio nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti Malachiae prophetae, quem Malachiam appellabant [1]. Natus est hic propheta post populi reditum, in loco qui Sūfāṣ nuncupatur. Adulescens, vitam egit bonam ac laude dignam, et eum tanquam iustum ac pium plebs honore prosequebatur, eundemque Malachiam appellarunt, quo vocabulo angelus significatur. Formae nimirum pulchritudine eminebat, et quotiescumque aliquid in sua prophetia proferebat, ea ipsa die angelo Domini apparente, eadem ab angelo et ab illo dicta existimabant; quamquam angelum nullus ex populo videbat, sed vocem eius tantum audiebant. Ex christianis tamen quidam fuerunt qui illius figuram [2] temporibus restituti principatus intuerentur, quemadmodum de aetate librorum *Iudicum* [3] scriptum est. Cum adulescens *adhuc* esset *Malachias*, mortuus est et cum patribus in praedio suo sepultus.

Precum illius acceptarum benedictione Dominus nostri misereatur. Amen.

Mensis Ṭūbah dies nonus.

Hodie requie donatus est sanctus Anbā Abrahamus [4]. Huius
p. 201. pater, vir misericors et egenorum amans, *cum accidisset famem validam in Aegypti finibus grassari, omnes facultates suas pauperibus distribuit. Erat quippe dives et opulentus; et propter liberalitatem eius atque fiduciam qua eum prosequebantur, ei cives praediorum praedio eius adiacentium [5] apothecas una cum praedii ipsius apotheca *administrandas* commiserant. Unde, superveniente illa fame, proventum qui apud se erat *totum* pauperibus erogavit. Immisit autem Dominus oblivionem in eorum mentes qui praefecturam gerebant, et, cum ad eum allegarent aliquem qui proventum exposceret,

[1] Sic. — [2] Ita, posita correctione. — [3] Cf. *Iudic.* vi. — [4] B add.: socius Anbā Georgii. — [5] B: ab australi parte sitorum.

ei *tamen simul* scripserunt de debito persoluto libellos, quibus ille acceptis abiit. Eiusdem *Abrahami* mater pia erat atque fidelis. Cui invidens Satanas, contra eam virum scelestum suscitavit, qui illam apud Persas falso accusavit, hique servituti mancipatam in regiones suas abduxerunt. Ei autem nocte quadam visione exhibitus est calumniator in inferno vinculis constrictus, itemque aliquis ipsam ita alloquens: « Vides quid fecerit Dominus et quomodo ultionem a calumniatore tuo exegerit. » Illa vero, prae misericordia, ei qui haec ostendebat respondit: « Nunquam optavi, o domine mi, ut haec isti acciderent. » Tum quia ille mortuus erat et in infernum detrusus, mulieri dixit qui ipsi aderat: « Tu domum mox reverteris »; quod revera factum. Postquam, huius viro defuncto, sanctus Abrahamus, patre orbus, voluit a matre [1] discedere, vitam monasticam amplexurus, illa ex urbe *cum eo* egressa est, ut ei valediceret, ac, sublatis manibus, oravit et filium suum Domino commisit, dicens: « Sacrificium hoc a me suscipias, o Domine. »

Profectus igitur sanctus *Abrahamus* et ad montem *deserti* Scaetis tendens, in monasterium sancti Abū Macarii (Maqār), temporibus Anbā Iohannis archipresbyteri, venit. Hunc adiens, factusque eidem discipulus peculiaris, se ipse insignibus pietatis exercitiis strenue dedidit, et quadam die vidit, tecto domus discisso, Christum Dominum ad se descendentem, curru cherubim [2] qui ipsius laudes decantabant advectum; unde, contremiscens, statim procidit coram eo adorans. At ille, postquam *adoranti* benedixit, in caelum ascendit; atque in cella *monachi* remansit vestigium ad servandam *facti* memoriam. Erat *Abrahami* habitatio habitationi patris eius spiritualis Anbā Iohannis proxima, et ea cella est quae Yaǧīǧ nomine nunc nuncupatur. Illum angelus quovis tempore invisebat atque
confortabat. Causa autem fuit in monte 'Aryūn *cur illuc se p. 202.
conferret Anbā Georgius; quem *Abrahamus* ad montem Scaetin secum adduxit, et in illa cella usque ad diem obitus sui commorati sunt. Patre Anbā Iohanne defuncto, daemonis opera incidit Anbā Abrahamus in morbum, quo duodeviginti annos laboravit, et, tempore mortis imminente, communionem corpo-

[1] B et C inserunt: quae coniugium ineundum ipsi proposuerat, eoque recusato gaudebat. — [2] C: seraphim.

ris Christi poposcit suscepitque, atque ad eum in spiritu venit pater eius Anbā Iohannes, annuncians eum a Domino ad pulchrum convivium vocari. In pace igitur quievit, annos octoginta natus. Cella eorum et eorundem sepulcrum usque nunc exstant.

Benedictio precum eorum nobis omnibus ad extremum usque halitum adsit. Amen.

p. 374. *Eadem die, martyrium passus est sanctus Anbā Anatōlius (Ṭūlāwos [1]). Erat is genere Persa, et, dux exercitibus Graecorum (er-Rūm) praefectus, hoc munere quindecim annos functus est; sed Diocletiano fidem abnegante, gloriae huius mundi fluxi regnum caeleste praetulit. — ipse, inquam, sanctus Anatolius ('Anāṭūlāwos). Sua igitur sponte imperatorem adiit atque, cingulo *militiae* soluto, illum cum idolis eius increpavit. Qui, audaciam eius admiratus, cum sciret eum genere Persam esse, ipsum benigne habuit et Romano (Rūmānūs) veziro tradidit, si forsitan mentem illius a proposito avocare
p. 375. posset. *Verum hic, quia non poterat cor illius a cultu Christi Domini retrahere, eum ad imperatorem remisit. A quo variis suppliciis affectus est; sed Christus Dominus eum misso angelo suo in omnibus acerbitatibus confortabat. Plurima autem tormenta sustinuit hic martyr: equuleo multoties pressus est, dorsum baculorum verberatione dilaniatum, tum corporis cutis detracta, lingua praecisa, ipse feris voracibus obiectus et in loca tenebricosa detrusus. In quibus cruciatibus animam ter efflavit, Domino ipsum *toties* suscitante. Succedente torquendi fastidio, impius *persecutor* sententiam eius scripto edixit, et, capite acie gladii abscisso, coronam immarcessibilem *martyr* a Domino in regno aeterno consecutus est.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 202. ### * Mensis Ṭūbah dies decimus.

Hodie institutum hoc acceperunt ecclesiae christianorum, posteri nempe ab antecessoribus, a sanctis Patribus, doctoribus ecclesiasticis et conciliorum capitibus, ut, ieiunio usque ad finem *huius* diei servato, nihil ex carnibus pinguibus comedatur, sed illa tantum esculenta adhibeantur quae tempore quadragesimae sanctae adhiberi consueverunt. Ea autem fuit Patribus causa cur huius diei ieiunium praescriberent, a sanctis Apostolis constitutum esse ut feria quarta et feria sexta frangatur ieiunium, si tunc occurrant Natalium Christi aut Epiphaniae festa, quippe quae sunt duo Domini festa, utque comedantur iisdem duobus diebus festis omnia esculenta quae diebus Pentecostes [1] licita habentur. Ne itaque de nobis existimaretur, mergi nos in fluxas mundi voluptates, quemadmodum *fit* in Iudaeorum et Sabaeorum festis, nobis praescriptum est ut ambos illos dies ieiunio praeveniamus, quod *ieiunii* eorundem dierum loco esset, nosque utriusque finis compotes faceret, finis, *inquam*, ieiunii *servandi* et *finis* festi *celebrandi*.

In ecclesia coptica mos *etiam* invaluit ut, occurrente die Baramūnī [2] in alterutrum dierum sabbati vel dominicae, feria sexta antecedente usque ad vesperam ieiunent et hoc *ieiunium* loco alterius persolvant, prout supra dictum est, tum, ante mediam noctem surgentes, aquae benedicant atque hac baptizent [3] quotquot eadem baptizari [4] vel ex ea benedictionem assequi voluerint. Causa autem cur ante mediam noctem surgant, timor est ne infantes ieiunium aqua *potata* frangant, consiliumque missam celebrandi et egrediendi summo mane, quemadmodum ipsis lex imposita est, qua missam bene mane celebrare adiguntur. Melchitarum vero secta, si Baramūnī in alterutrum dierum sabbati vel dominicae occurrerit, feria sexta antecedente non ieiunant *nisi usque ad horam nonam, prout fert consuetudo [5], et p. 203.
duobus illis diebus communionem recipiunt hora tertia vel huic propinqua, prout consueverunt diebus ieiunii fracti; tum ipsi, post benedictionem [6] et aquam, ieiunium abrumpunt, si libuerit. Deinde sacerdotes, in ecclesia remanentes, horas ibi recitant, prophetias festis proprias legunt et aquae circa finem diei, qui est *mensis* dies decimus, benedicunt. Ita autem adversantur regulae ab Apostolis positae de festo Epiphaniae, quod est festum manifestationis, celebrando die sexto *mensis*

[1] De hoc martyrio cf., infra, p. 332, quae ad diem huius mensis 11um adnotata sunt.

[1] Vel, melius: diebus periodi quinquagenariae (a Paschate ad Pentecosten intercedentis); ad litt.: in diebus τῶν quinquaginta. — [2] Nomen البرموني, origine graecum (παραμονή), usu coptico cum speciatim *vigiliam Natalis et Epiphaniae* Domini, tum aliam *vigiliam* quamcumque designat. — [3] Vel: immergant. — [4] Vel: immergi. — [5] Incisum hoc in C omittitur. — [6] Vel: prope piscinam.

kānūn, die scilicet undecimo *mensis* ṭubah; adversantur item Patribus, ieiunium die festo abrumpentes antequam ieiunium Baramūnī servaverint.

Christum Dominum oramus ut a culpis nostris nos mundet gloriamque divinitatis suae in cordibus nostris revelet, quemadmodum eam iuxta Iordanem flumen manifestavit. Ipsi competit gloria, una cum Patre eius optimo et cum Spiritu sancto vivificante atque *duabus aliis personis* aequali, in aeternum. Amen.

Eadem die, mors patris Iusti (Yosṭos), discipuli Anbā Samuelis. Cuius intercessio nobis adsit. Amen.

p. 375. *Scitote, fratres, hoc ipso die contigisse ut martyrium pateretur pater episcopus, aetate sua illustris, temporibus suis sapiens, Anbā Phocas (Fūqās). Is erat episcopus illius Ponti urbis quae in visione Iohannis evangelistae memoratur. Adrianus imperator, cum de huius patris sancti purique sapientia atque mansuetudine fama ad se retulisset, ad eum misit et cum eo ad se arcessito disputavit, nec potuit eum superare. Qui contra imperatori dicebat: « Ligna ista et lapides dii non sunt, sed elementa creata, quibus, utpote creaturis, confidere non licet. » Imperatorem autem Adrianum, affirmantem illos esse deos a quibus creatum fuerit magnum hoc universum, hic pater Anbā Phocas eam ob rem reprehendit atque increpavit. Itaque iussit ille sanctum hunc torqueri; quem revera cruciatibus multis diversisque affecerunt et cruci ligneae affixerunt. Statimque ad eum pervenit vox de caelo, dicens: « Conforta cor tuum, Phoca, pastor fide; ecce tuam tibi paravi coronam, et mox thronum excelsum cum patriarchis in regno meo aeterno conscendes. » Imperator vero, timens sanctum, qui ipsi comminans dixerat: « Poenam gravem a Domino brevi experieris », praecepit ut e patibulo cui suspensus fuerat demissum in carcerem ducerent. *Tunc* ad sanctum venit angelus Domini, eum confortavit, consolatus est et sanavit. At vero quattuor milites, quibus commissus erat custodiendus, in Dominum crediderunt. Quos secum assumptos abiens illa nocte baptizavit. Mane praecepit imperator ut balneum per triduum calefieret nec a quoquam aperiretur donec ignis exarsisset, et dein sanctum in illud proiicerent. Is, balneum ingressus, idem lucens atque splendens
p. 376. reperit, et ubi *medium in locum pervenit, incoepit Deum laudare ac nomen eius magnum extollere. Tum Dominum rogavit et, quiete ab eo postulata, in balneo placidam obiit mortem [1] occidente sole. Adrianus [2] autem imperator, cum iussisset ostium aperiri, sanctum invenit formosis nardi spicis similem, balneumque frigidum perinde ac si nullo modo calefactum fuisset; et, timore concepto, in palatium suum regressus est, vehementer contremiscens ac perterritus. Cui apparuit sanctus et dixit: « Ecce tibi ac diis tuis paravit qui potens est cruciatum cuius non erit finis; mihi vero deliciarum paradisus patefactus. » Quibus dictis, ille, impius nimirum imperator, febri correptus et post triduum vermes expertus est, atque in abiectione et dolore exspiravit. Ad patrem nostrum Anbā Phocam quod attinet, vitae aeternae haereditate in saeculis lucis donatus, cum patriarchis, Apostolis et iustis, in illa sede beata recubuit, quae omnibus sanctis futura est omnium laborum ac molestiarum merces.

Ipsius precibus Dominus Deus omnium nostrum misereatur. Amen.

*Mensis ṭūbah dies undecimus. p. 203.

Hodie in Iordane flumine Christus Dominus a Iohanne Baptista baptizatus est, isque dies lingua graeca vocatur festum Epiphaniae, cuius nominis sensus est « festum divinitatis [3] », quia tunc manifestatum est sanctae Trinitatis mysterium, Patre e caelo clamante et dicente: « Hic est Filius meus dilectus », Filio autem stante iuxta Iordanem, et Spiritu sancto in Filium columbae instar descendente; quemadmodum testatus est Baptista, Christo Domino scilicet baptizato et ex aqua ascendente, apertos ei esse caelos et in eum descendisse Spiritum sanctum, sicut columbam, atque Patris vocem e caelo auditam dicentis: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » Eodem tempore manifestata est divinitas Christi, qui nimirum, cum sese per triginta annorum spatium nemini revelavisset, hac die se ipse filiis Israelis manifestavit. Et sane refert Iohannes evangelista, Iohannem Baptistam illi testimonium coram populo *perhibuisse atque eundem iis exhibuisse, p. 204.
sic alloquendo: « Hic est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi », itemque *dicendo*: « Equidem eum non noveram, sed ideo

[1] Ad litt.: requievit. — [2] Cod., mendose: Arianus. — [3] Cod. C, verius: manifestatio, scilicet manifestatio divinitatis.

ut Israeli manifestetur veni ego ad baptismum in aqua conferendum. » Hoc igitur festo eluxit Christi gloria, eum videlicet esse Dei Filium, tum *etiam* Agnum Dei, qui tollit peccata mundi. Quare magni fit festum hoc apud universos fideles, qui *hodie* aqua sancta, baptismi ipsius Domini symbolo, mundantur et ita veniam peccatorum suorum obtinent, si in ea quam assecuti sunt munditia perseverent. Nostri igitur officii est ut solliciti gratias agamus ac laudes persolvamus amplas benignitati Dei Verbi, Christi Domini, Filii Dei, qui nobiscum unus factus est. Cui gloria *sit* perpetua, una cum Patre eius bono et Spiritu sancto utriusque compare, nunc, et quovis tempore, et in saecula saeculorum. Amen. [1]

Eadem die, ad requiem admissus est pater patriarcha Anbā Iohannes Abū 'l-Moḥammad Ibn Abū Ġālib, qui fuit e patriarcharum numero septuagesimus quartus. Pater hic, antequam patriarcha fieret, mercator erat, in Indiam saepe navigans,
p. 205. *diaconusque fuerat in ecclesia sancti Mercurii martyris, in *urbe* Miṣr, et artem scribendi reliquerat, mercaturae exercendae causa. Ad patriarchae dignitatem evectus et die dominica, quarta die mensis Amšīr anni nongentesimi quinti aerae martyrum, consecratus, gregem pascendi munere rite defunctus est. In vita eius memoriae proditum est, ei, priusquam patriarcha constitueretur, fuisse opes multas, quarum summa viginti denariorum millia. Quas omnes, dum erat patriarcha, in christianos pauperes et eorundem necessitates expendit, commeatum eorum proprio commeatui praeponens; et, patriarcatus sui tempore, crediti debitique administrationem filiis sororis suae commisit, neque ullius christianorum, sive potentis, sive humilis, panem comedit, neque ab ullo donum accepit. Postquam sedem octo et viginti annos obtinuit, requie donatus est die Epiphaniae anni nongentesimi trigesimi secundi aerae martyrum.

Benedictione precum eius Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 376. *Exhortatio de missa et communione. — O christiani dilecti et filii Ecclesiae Dei orthodoxae, custodiat vos Deus a calamitatibus plagisque, et peccata, culpas atque vitia vobis condonet.

[1] Relatio de martyrio S. Anatolii, quae in plerisque codd. hoc demum loco occurrit, in editione nostra arabica ad calcem diei 9ae huius mensis inserta est. Translationem videsis supra, p. 328.

Mundi estote in diem tremendum, et Deus ad festos hisce festis gloriosis similes, annosque plurimos ac felices perducat vos. interim ea peragentes quae saluti animarum vestrarum proficua et earum rerum facultatem habentes in quibus vitae vestrae rectitudo. Scitote nulli nostrum fas esse acc... hanc mensam spiritualem et illorum mysteriorum div... participem fieri, nisi post recessum ab omnibus peccatis et operam universis praeceptis adimplendis impensam. itaque eadem receperit, in ea constitutus conditione ... dicata est, illius peccata delebuntur et condonabuntur; qui vero ausus fuerit ea indignus recipere peccabit in animam suam et huic erit perniciei. Vos non latet sors Iudae, quid *nempe* egerit praesumendo hoc *sacramentum* a Domino suo accipere, et qualis perpetuus eius propter audaciam interitus, quia ab iis quae fecerat non paenitens conversus est. Dicit enim sacra Scriptura [1]: « Vos templa Domini et domicilium eius. Itaque qui templum Domini violaverit, eum Dominus disperdet. » Dominus — cui sit laus! — dicit: « Ego purus, neque nisi in puris et bonis habito. » Nemo igitur vestrum accedat et horum mysteriorum sacrorum particeps fiat, nisi remotus a variis vitiorum generibus et omnibus recte factis virtutibusque additus. Necesse est simus mundi corde et corpore, quae absque munditia Deum non videbunt, prout sacer Codex testatur, itemque humiles simus. *misericordes, alii alios omni amore p. 377. spiritali prosequentes, universis hominibus eadem optantes quae nobis ipsi optamus, quemadmodum admonuit Dominus. Dominus — cui sit laus! — peccata, lapsus ac delicta vestra condonet, requiem concedat animabus mortuorum vestrorum, auxilio sit vobis tempore angustiarum et calamitatum vestrarum, vires omnes Satanae maligni vobis invidentis sub pedes vestros deprimat, peccata et culpas vestras dimittat, vobis fortuna adversa oppressis adsit, per intercessionem tum divae Virginis Mariae, matris Salvatoris mundorum, tum universorum martyrum, iustorum, purorum, et Apostolorum sanctorum, perque eorum omnium preces qui ipsi famulati sunt, nunc, quovis tempore, et in saecula saeculorum atque aeva aevorum. Amen.

[1] I *Cor.* III, 16, 17.

p. 205. *MENSIS ṬŪBAH DIES DUODECIMUS.

Hodie martyrium passus est vir sanctus et animosus, Theodorus regius, *cognomine* Orientalis. Hic athleta, ex populo Antiochiae et e domo regia oriundus, patrem habuit cui nomen Sadarichus (Ṣadāriḫos), imperii administrum, temporibus Numerii (Nūmāryūs), imperatoris fidelis [1], et matrem, quae Patricia (Baṭrīqah) appellabatur, sororem Basilidis (Wāsīlīdos) veziri. Numerio imperatore in bello Persarum interfecto, cum et filius eius, sanctus Iustus, in expeditione bellica detineretur nec ullus maneret imperator ad rem publicam moderandam, imperium Sadarichus ipse et Basilides rexerunt donec Diocletianus impius ad solium perveniret. Qui, primum Aegypti superioris incola, hac re insignis evasit quod uxorem duxisset filiam imperatoris Numerii, Iusti sororem, quae illum imperatorem creavit.

Adulevit autem sanctus Theodorus, factusque est strenuus in bello pugnator, et quocumque ad pugnam procederet, ipsius hostes in fugam procul ab eo coniiciebantur, ita ut Persae, ubi audiebant Theodorum ad se accedere, animum demitterent ac desponderent et, quae erat eorum inscitia, existimarent Theodorum deum esse Graecorum. Ipse est qui Nicomedem, filium imperatoris Persarum, bis rapuit [2], eum nempe cuius
p. 206. causa Diocletianus *idololatriam amplexus est, postquam ille commissus est patriarchae et patriarcha, pecuniae pondere accepto, eundem ad imperatorem misit [3]. At vero sanctus Theodorus in expeditione bellica prope flumen 'Arṭūš [4] versabatur, eique amicus erat nomine Leontius (Lāndyūs). Quadam nocte, visione huiusmodi donatus est: scala erat a terra ad caelum erecta, et in summa scala Dominus, magnae insidens cathedrae; quem millia millium et myriades myriadum circumstabant. Porro aspexit *Theodorus* subter scalam serpentem ingentem, qui erat Satanas, eique dixit qui sedebat in throno: « Visne esse mihi fidelis et filius? » Cui ille: « Quis es, domine mi? » — « Ego, ait, sum Iesus, Verbum Dei; et sanguis tuus pro nomine meo

[1] B: idololatrae. — [2] Vel: devicit. — [3] Huius enunciati sensus obscurus et parum certus propter frequentiorem usum et relationem minus definitam eiusdem pron. suf. 3ae pers. sing. masc. — [4] B: 'Anzūš; C: 'Arṭūs.

mox effundetur. » Dein vidit *Theodorus* sese ab uno adstantium apprehensum et in lacu ignis triplici immersione baptizatum; factusque totus igneus, eorum instar qui thronum circumstabant, dixit: « Domine mi, cupio ab amico meo Leontio non discedere. » Cui responsum fuit: « Non ab hoc tantum *non separaberis*, sed neque a Banicuro (Bānīqūros) Persa. » Tum vidit ac si Leontium atque Banicurum illi a se apprehensos et in lacu ignis baptizatos ipsi Theodoro traderent. Unde, magnopere gaudens, postquam ex visione expergefactus, eam Leontio enarravit, magna hic quoque laetitia inde perfusus est, alterque alterum amplexi sunt. Utrumque postea Dei virtus transtulit in locum Banicuri, ducis exercituum Persarum; qui eis obviam venit, eosque cognoscentis modo amplexus est, cum nunquam antea eosdem vidisset, tum sua sponte iis exposuit quae ad visionem attinebant, quod illi admirati sunt. Dein, Theodorum compellans: « Scito, inquit, frater mi, tibi nos esse traditos, me scilicet et fratrem meum Leontium. » Et confestim surgentes ad exercitum suum venerunt, professique sunt se pro Christi nomine morituros. Tunc nuntio misso imperator Theodorum arcessivit ac certiorem fecit sese pacem cum Persis pepigisse; ubi primum enim, Christo abnegato, idola coluit, ea re laetati sunt Persae. Itaque dixit sanctus Theodorus militibus suis: « Quisquis vitae suae consulere vult, recedat, et qui voluerit pro nomine Christi certamen inire, ille nobiscum maneat. » Cuncti igitur una voce conclamarunt: « Morte qua morieris tu, *moriemur et nos tecum, Deusque tuus Deus noster. » p. 207. Qui respondit illis: « Si quidem res ita se habet, descendite omnes, vosque in hoc flumen ter immergite, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius. » Quare festinantes, vestimentis depositis, sese in flumen, prout ab illo iussi erant, immerserunt, dumque *ex aqua* ascendunt, vocem e caelo audierunt dicentem: « Forti animo estote, martyres mei, et vincite, quia ego vobiscum sum. » Porro postquam ad urbem pervenit Theodorus, exercitu foris relicto, ipse cum amico suo ingressus est. Cui occurrens imperator, eum benevole suscepit, tum de rebus belli et exercitus sciscitatus est et dein mentionem iniecit adorationis Apollini adhibendae. Imperatorem ille cum amico suo reprehendit atque increpuit. — Pater autem Sadarichus iam mortuus erat. — Quare ira succensens impe-

rator iussit illum cum amico [1] in fines Mabdasianorum [2] abduci, ut ibi cruciarentur, quia, propter Banicurum Persam, timebat, ne res apud Persas divulgaretur. Itaque sancti, tormentis affecti, coronam martyrii consecuti sunt die duodecimo mensis ṭûbah. Quod ad sanctum Theodorum spectat, praecepit imperator ut corpori eius infigerentur centum quinquaginta tres clavi magni, tum ipsum arbori lebaḫ [3] affixit. Adlegavit autem Dominus Michaelem archangelum, a quo dolorum lenimen ac solatium afferente confortatus, animam sanctam ille dein in manus Dei tradidit et a Domino Iesu Christo coronam incorruptam in regno caelorum obtinuit. Antequam moreretur Theodorus, ad huius exercitum misit imperator Apollinis sacerdotes, suum secum idolum afferentes, simulque praeconem clamantem: « Quisquis partes imperatoris sequitur deos magnos adoret. » Itaque conclamaverunt omnes: « Nullus nobis imperator, nisi Dominus noster Iesus Christus, rex regum et dominus dominantium. » Quod cum imperatori renunciatum esset, missis militibus suis universos decollavit; quorum numerus fuit bis millies mille et quingenta millia, adeo ut caelum lucidis *angelis,* qui omnium capitibus coronas imponerent, refertum fuerit.

Huius sancti preces et benedictio nobis adsint nosque in aeternum custodiant. Amen, amen.

p. 377. *. . . . . [4] vestes splendentes. Illam adduxerunt in arcem regiam, cuius praefecti, vespertinis temporibus ipsam convenientes, invitam ornaverunt et induxerunt in conclave, *ibi mansuram* donec transiret imperator. Stetit igitur virgo et, manibus extensis, dixit: « O Domine mi, Iesu Christe, noli me deserere, ne corpus meum vir iste superbus inquinet, laboremque pessumdet a teneris unguiculis susceptum. » Dum autem haec profatur virgo, ecce vir ille superbus Maximianus e loco surrexit et in conclave ingressus est; virginique occurrens, attonitus est propter eius pulchritudinem et mente conturbatus, atque, manu eiusdem apprehensa, voluit vim ei inferre;

[1] Ita ex B; A: iussit amicum eius. — [2] B: Madianitarum (vel: duarum urbium?); C: Madisiorum. — [3] Id est, ex quorumdam interpretatione: persea. Cf. FREYTAG, *Lexicon arab.-latinum*; vides. et sup., pp. 21, 242. — [4] Initium huius relationis, quae in uno cod. G prostat, in ipso G deest.

sed qui leonibus robore aequalis erat non valuit eam superare quam Christus Dominus roborabat. Postquam, tota illa nocte enisus, puellae compos fieri non potuit, ira furoreque in ipsam percitus, praecepit ut foras eductam vestibus et ornamentis exuerent quibus [tegebatur ac zona quae] [1] lumbos cingebat, tum bacilla igne calefacta [admoverent oculis eius] vultuique et capiti, dein eam detruderent [in carcerem, ubi se commendavit] Domino. Porro descendens angelus Dei illam sanavit, ei lumen oculorum restituit et, faciem tangendo, pulchritudinem ac splendorem priore maiorem contulit. Quem virgo interrogavit: « Quod nomen tibi est, domine mi? » Respondit ille: « Ego Suriel (Sûryâl) angelus, *qui te ab infantia usque nunc p. 378. custodit. » Postero mane, cum misisset vir superbus *Maximianus* aliquem a quo certior fieret eorum quae illi evenissent, stantem invenit, orantem atque cuiuscumque labis expertem. Ad se adductam ubi conspexit imperator, eam sic compellavit: « Videris artem magicam callere. » Tum praecepit ut ei nasus, aures, manus et mammae praeciderentur. Quibus cruciatibus dum affligitur, huiusmodi exclamavit verbis: « Domine mi, Iesu Christe, mitte ad me angelum tuum qui ex his tormentis acerbis me salvam praestet. » Et confestim illi adstitit Suriel angelus, omniaque membra eius tetigit, quae sanata sunt ac restituta qualia prius fuerant. Porro iussit *tyrannus* eam in carcerem reduci. Ad eam misit abbatissa monasterii Euphrosynam ('Afrûsânah) puellam et alteram cum hac sororem, ambaeque vestibus saecularibus et stolis pictis indutae erant, quas illa *abbatissa* a matre sua acceperat. Quibus, ubi primum ad se advenerunt seque consalutarunt, dixit: « Orate pro me, ut certamen meum perficiam. » Postridie virginem ad se adductam sic allocutus est imperator: « Deorum maximum adora. » Respondit illa: « O impie, noli istiusmodi verba proferre. » Tum surrexit *princeps,* ira excandescens, et, gladio ab uno militum accepto, virginem confodit. Quae, in terram prolapsa, spiritum efflavit die duodecimo *mensis* ṭûbah. Corpus iussit ille igne comburi; verum *martyris* ancilla milites adiit, ab iisque, veste sanctae iisdem oblata, corpus obtinuit; quod linteaminibus involutum abstulit, cum sorore

[1] Tres lacunas, cum sensu tum spatiis in codice vacuis manifestas, coniiciendo supplemus.

altera discedens, et ista iuvante ad sacrum monasterium asportavit; abbatissa autem arca inclusum sepelivit, ei etiam persolutis cantibus spiritalibus. — Et hoc quidem martyrii illius *virginis compendium.* Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 208. *MENSIS TUBAH DIES DECIMUS TERTIUS.

Hodie memoria miraculi quod patravit Christus Dominus in Cana Galilaeae, quanquam alio die, ut narrat sanctum Evangelium, miraculum contigit. Fuit autem miraculorum primum id quod in Cana Galilaeae operatus est, cum aquam iussu suo divino in vinum bonum convertit: neque enim illam in meram vini *qualiscumque* substantiam, sed in vinum egregium mutavit, rem attestante architriclino, siquidem sponsum ita reprehendit: « Vinum bonum a plerisque prius, ac dein inebriatis quod deterius est offerri solitum est; tu vero vinum bonum usque nunc servasti. » Hoc in loco statim manifestavit *Christus* gloriam suam, et discipuli eius crediderunt in eum.

Ipsi igitur gloria, cum Patre eius misericordi et Spiritu sancto, in aeternum. Amen.

p. 378. *Eadem die, obiit sanctus Arselidus ('Aršilīdos). Vir fuit ex incolis Romae, qui Iohannes appellabatur, eique erat uxor bona, nomine Arsīklādyā, quo vocabulo « nobilis » significatur. Via recta incedebant et, amplas elargientes eleemosynas, Deum precabantur ut prolem sibi concederet. Quorum oratione exaudita, Dominus iis filium dedit quem Arselidum appellaverunt et qui se ipse Deo oblationem exhibuit. Is, cum sex annorum aetatem attigisset, patre defuncto, parente orbus, cum matre remansit. Eum haec optime educavit, arcessito ex urbe Roma magistro egregio, cui illum erudiendum commisit. Scientia adulescens ita profecit ut Evangelium Iohannis atque Psalmos memoriter didicerit. Cui mater, quadam die: « Necesse est, inquit, fili mi, ut Berytum et Athenas, in virorum sapientium urbes, te conferas, sapientiamque edoctus *huc* Deo volente p. 379. revertaris »; eoque nihil obsistente, *ducentos denarios eduxit eique tradidit, duos cum eo servos mittens. Matri valedicens ille ad littus maris duobus servis comitantibus egressus est, et, postquam in transmeando ad noctem usque perseverarunt, evaserunt in terram. Itaque, dum in maris littore progredi-

untur, virum mortuum aspexerunt, quem aqua ad terram proiecerat. Istum intuitus, Arselidus ei lacrimas fundens assedit. Flenti servi dixerunt: « Domine noster, in universas creaturas hoc idem decretum est. Alius in cubili suo, alius immersione, gladio alius moritur, alium ferae devorant; brevi, nemo est ex hominibus cui non incumbat moriendi necessitas. » Tum dominus eorum Arselidus: « Si quidem necesse est mori, mei officii est ut curam de me ipse geram, ne huius mundi operibus dispeream. Vos oro, fratres, ut ne mihi adversemini, sed, a me libello libertatis donati, attributis insuper utrique vestrum quinquagenis denariis, in pace quocumque libuerit abeatis. » Tunc igitur, cum alius alii valedixissent, surgens sanctus Arselidus monasterium petiit, in Palaestinae finibus situm, cui nomen coenobium Anbā Romani (Rūmānūs). Pulsantem ostium interrogavit ostiarius: « Quisnam tu? » Respondit: « Ego vir peregrinus. » Ostiarius itaque monasterii abbatem adivit reique certiorem fecit. Qui dixit ei: « Ostium ei aperi. » Quare eum admisit ostiarius. Eundem ut primum vidit coenobii abbas, adulescentis pulchritudinem et in loquendo suavitatem admiratus, ante se prostratum sic compellavit: « Quisnam tu, fili mi? » Cui sanctus: « Ego e maxima urbe Roma oriundus, et huc veni ut monachis me adscribas et tuae subsim sanctitati. » Respondit ei abbas: « Fili mi, placetne hic dies aliquot prius consistere, ut patientiam tuam videndo experiamur? » At Arselidus: « Nemo, manum aratro imponens, retro respicit; et timeo ne, cum sit vita brevis, moriar, *monasticum institutum nondum amplexus.* » Quibus eius verbis auditis, abbas eum veste monachica induit. Ille vero ab abbate locum petiit in quem secederet. Quo sibi ab abbate concesso, centum denarios qui sibi reliqui erant abbati dedit, erogandos in monasterii usus. Ipse solitarius secessit et illum locum incoluit, pane abstinens usque ad diem mortis suae, orationi die nocteque vacans, fratribus affirmantibus eum somno nunquam indulgere. Mater vero, cum longiore tempore nihil de eo audivisset, animo conturbata misit ad ambas sapientium urbes, nulloque illius vestigio reperto, maxima tristitia oppressa est, diu noctuque flens atque lamentans. Tum, secum recogitans, dixit: « Mihi, cui nulla prolis alterius spes reliqua, quid proderunt opes istae? » Quare xenodochium aedificavit, in quo

deversarentur quicumque per urbem iter facerent, et omnibus deversorium illud adeuntibus septenos denarios ex suis facul-
p. 380. tatibus quotidie expendebat, *idque agens diuturno tempore perseveravit. Quidam autem mercatores, e regione palaestinensi advenientes et in isto xenodochio deversati, coenobium Romani prius inviserant et, in conspectum sancti Arselidi admissi, benedictionem ab eo acceperant. Effluxerant tunc post filii a matre discessum anni quattuordecim. Illis autem in isto xenodochio sedentibus, ecce huc ingressus est mendicus, a daemone, qui ipsum invaserat, lacessitus. Quare dixerunt mercatores: « Utinam posset hic sanctum Arselidum adire, eiusdem oratione quietem consecuturus! Praeclara enim sunt sancti illius viri facinora. » Subiunxit unus eorum: « Vidistine notam faciei eius impressam? » Cui alius: « Vidi, et puto eam ex utero matris et ab hora natalium repetendam. » Contigit ut, iis de omnibus his rebus sermonem miscentibus, transiret mater et, colloquentes audiens, nota atque descriptione prolis agnita, certum deinceps haberet filium suum esse *illum de quo sermo erat*. Unde, sui impotens neque lacrimas continere valens, in haec prorupit verba, exclamans: « Oro vos, domini mei, ut vos mei misereat. Corpori namque meo morbus inest, quem sanare nequeo, et vos rogo ut virum illum sanctum atque eius domicilium mihi indicetis. » Cui responderunt: « O mulier, iter ad eum difficile, arduum atque tremendum. » At illa: « Domini mei, si molestum est iter ad illum, molestus est et morbus quo laboro. » Tum mercatores: « Firmum illum adeundi consilium amplexa, viros require fidos qui tibi comites adsint, et, cum regionem palaestinensem attigeris, percontaberis Anbā Romani coenobium, atque ad hoc delata, sanctum Arselidum invenies, qui sua te oratione sanabit. » Surgens itaque mulier, sancti Arselidi mater, patrem patriarcham adiit eique omnes divitias suas tradidit; tum, duobus famulis e famulitio suo secum assumptis, biennale iter mari fecit donec ad monasterium Anbā Romani perveniret. Ut autem ostium pulsavit, ad eam exiit ostiarius et interrogavit: « Undenam es tu? » Respondit ei: « Ego ex incolis urbis Romae, et pectus meum vehementi dolore angitur. Quare sanctitatem vestram conveni, ut, Arselido mihi orando benedicente, quietem forsitan consequar et sanationem. » Cui ostiarius: « Feminam iampridem

non est allocutus. » At illa: « Ipsum adito et dic ei: Ecce *adsunt* ubera quae te lactaverunt, et mater tua ad ostium stat, exoptans ut tuo aspectu donata moriatur. » Ingressus igitur ostiarius sanctum certiorem fecit verborum quae mater eius protulerat. Respondit ei sanctus: « I, haec illi nunciaturus: Scito, mater, me, si te viderim, ea omnia amissurum quae operatus sim. Verumtamen, ad eam pergens, ista subiunge: Dominus ipse tibi dabit defatigationis tuae mercedem. » Et egressus ostiarius sancti dicta cum illa communicavit. Quibus ipsa haec opposuit: « Revertere et dic ei: *Tuum* huiusmodi effatum mihi mari enavigato molestius. *Quare sine intuear p. 381.
faciem tuam; quam si aspexerim, continuo moriar. » Idcirco regressus ostiarius, totum matris sermonem retulit. Tum sanctus: « Si eam convenerim, erit mihi res scandalo atque iudicio ob promissum quo me obstrinxi. Quare perge ad eam et dic ei: Mater, si alium *quemvis* videris regni caelorum haereditate donatum, me inde excluso, nonne mea causa maerore afficieris et meam deflebis sortem? » Respondit illa ostiario: « Illum adi et dic ei: Te ego per dolores quos Christus Dominus in cruce sustinuit adiuro atque obtestor: vel meam te videndi cupidinem explebis, et, tuo aspectu recreata, statim moriar; vel desertum petam, a feris devoranda, et peccati mei ratio a te exigetur. » Ingressus igitur ostiarius sanctum certiorem fecit omnium obtestationum quibus ipsum adiuraverat mater. Qui ostiario respondit: « Dimitte me aliquantulum, ut orem ac Deum invocem, et postquam finem orandi fecero, sine illam intrare meque intueri. » Tunc ipse locum ingressus est in quo orare solebat et, in terram prostratus, preces fudit, dixitque: « O Domine, o tu qui omnipotens es, spiritum meum ad te in pace admitte; *me* enim mori necesse est. A te et ab universis sanctis qui tibi placuerunt peto ut spiritum meum suscipias. » Sese dein ter in terram prostravit, et, oratione absoluta, signo crucis corpori suo impresso se signavit, atque, in terram se proiiciens, eadem hora mortuus est. Ingressus igitur ostiarius, sanctum conspiciens mortuum, pectus suum percussit ac flevit, et, ostio patefacto, matri illius dixit: « Intra, si lubeat ipsum intueri antequam fratres *rem* noverint. » Tunc propere ingressa locum ubi iacebat, in terram velut mortua prolapsa est, surgensque et inanimum eum videns, in eundem

sese proiecit, lacrimans et dicens: « Vae mihi! vae mihi, fili mi! Feminas universas iniquitate mea supero, siquidem mihi non erat nisi filius unicus, cui mortis causa fui. Iidem bini pedes qui illum portaverant incesserunt ad mortem ei inferendam, conversoque gaudio meo in fletum, omnium mortalium abiectissima evasi, quoniam natum meum volens occidi. Vae mihi, quae morte digna sum, eo quod filium meum interfeci! » Porro, auditis mulieris eiulatibus, fratres festini prodierunt, ut viderent quid accidisset, et causam ex ostiario sciscitati sunt. Quibus ille respondit: « A nobis hodie ablata est magna quaedam columna. » Quare quod evenerat omnes lacrimis complorarunt, neque mater destitit a fletu, eiulatione ac lamentatione super filio donec accesserunt fratres ut eum sepeliendum curarent. Tunc autem in corpus eius se proiecit, eum p. 382. adiurans ac dicens: *« Te obtestor per preces tuas, per ieiunium tuum, per tuam in conspectum Dei admissionem: si gratiam coram eo inveni, ipsum ora ut spiritum meum *ad se* recipiat. » Dum haec profatur, humi iacens spiritum emisit; et quantus fuit fratrum super utroque fletus, gemitus atque eiulatus! Cum autem arcam attulissent decentem, ambobus sufficientem, fratrum quidam dixerunt: « Nolite corpus matris eius ad eum apponere; » et subiunxerunt alii: « Non licet feminae corpus huic sancto adiungere, qui virginitatem servavit et viginti annos perseveravit pane non utens et mulierem non alloquens. » Dum vero consultant, ecce vox ex illius sancti corpore ad eos erupit, quae dicebat: « Vos rogo, fratres, ut corpus matris meae mecum in arcam eandem deponatis. Cor enim ipsius vivus non ea re recreavi ut me ei conspiciendum praeberem; sed, ex hoc mundo digressus, Deum precatus sum, illamque mihi dedit *sociam.* » Quare illam cum eo in arcam unam deposuerunt et ambos in coenobio sancti Anbā Romani sepultura donarunt. Contigit mors eorum die *mensis* ṭūbah decimo tertio. Nos autem, famuli duo, ad urbem Romam reversi, omnia quae acciderant enarravimus et Deum magnopere collaudavimus. E corpore sancti Arselidi miracula multa in aegrotis sanandis et daemonibus expellendis eduxit Dominus.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

*Mensis Ṭūbah dies decimus quartus. p. 208.

Hodie ad quietem admissus est athleta sanctus Ambā Arselidus ('Aršilīdos) [1]. Is, ex urbis Romae [2] optimatibus, progenitus, patrem habuit cui nomen Iohannes et matrem Saqlitakiam (Saqlitakī) [3]. Erant hi ambo iusti coram Domino et in praeceptis Domini irreprehensibiles incedebant. Puer, postquam duodecim annorum aetatem attigit, patre mortuo, ad imperatorem, matre hortante [4], se contulit, ut patris sui munus obtineret. Cum eo misit illa duos ex servis suis et munera plurima imperatori offerenda. Dum *omnes* mari vehuntur, fluctibus in eos vi ventorum vehementium intumescentibus, navis confracta et sanctus, quadam navigii tabula suspensus, ad terram delatus est. In quam ubi primum exiit, invenit hominis cadaver, fluminibus eiectum, asseditque, lacrimas eius causa fundens. Tum hominum divitias animo pensitans, se coepit ipse ita alloqui: « Ad me quid attinent mundi huius caduci opes, cum sim dein *moriturus et in pulverem convertendus? » p. 209. Dein surgens, oravit, a Christo Domino petiit ut se in viam rectam dirigeret, itineri se commisit et venit ad coenobium quoddam nomine sancti Romani (Rūmānos) insignitum, in quo commoratus est, postquam monachis tradidit quidquid pecuniae et vestium ipsi superesset. Exinde viam iniit arctam propriae in cibo mortificationis, nulla re nisi oleribus vescens, assecutoque perfectionis apicem dedit Dominus gratiam sanationis morborum: omnibus qualicunque morbo laborantibus qui ipsum adirent orando benedicebat et sanitatem restituebat. Christo Domino se promisso pactoque obstrinxit ad faciem mulieris numquam intuendam.

Aliquanto temporis spatio elapso, cum mater nuntium de eo diutius exspectavisset neque sciret quomodo se haberet, illum existimans mortuum, ingentem ea de re experta est maerorem. Tum xenodochium aedificavit, omnibus peregrinis atque pauperibus qui in eo deversarentur aperiendum, cubiculo ibidem

[1] Hanc alteram de S. Arselido relationem, utpote a priore, proxime praemissa, haud parum diversam eaque multo breviorem, visum est non omittere. — [2] Ex B et C suggestum, cum in A desit. — [3] B et C: Šaklātīkī. — [4] B et C: matre, post matrimonium ab ipsa propositum et ab illo recusatum, hortante.

sibi servato, in quo habitavit. Quadam autem nocte mercatorem aliquem audivit cum amico confabulantem de iis quae ad sanctum Arsenium pertinerent, de eius sanctitate et exercitiis asceticis, de divina quae ipsi inesset gratia, simulque dotes eius describentem et signa quibus distinguebatur. Quare ad mercatorem accessit, quem de filio suo interrogavit, et cum cognovisset suum vere filium esse *illum de quo sermo factus*, illico itineri se accingens, ad coenobium *sancti Romani* se contulit et misit qui filio nunciaret adventum suum et consilium eum conveniendi ac cum eo colloquendi. Qui ad eam remisit dicere iussum, sese Christo obstrictum esse promisso mulieris vultum non videndi neque posse a pacto recedere. At illa postulationem iteravit, eum obtestans ut se conspiciendum praeberet et minitans se, nisi ipsum praesentem alloqui licuisset, desertum petituram, a feris devorandam. Quoniam itaque ab obsecrando non desistebat *mater*, neque tamen volebat ipse pactum cum Christo initum frangere, hunc supplex exoravit ut animam suam reciperet; tum ostiario dixit: « Permitte illi introitum. » Susceptaque oratione eius atque petitione exaudita, Dominus sanctam eiusdem animam recepit. Porro postquam mater ingressa illum invenit mortuum, altissimos clamores cum lacrimis edidit; subinde Deum rogavit ut suum quoque spiritum reciperet. Cuius voto ac petitioni annuens, Dominus spiritum eius *ad se* recepit. Dum autem utriusque funus celebrare et alteram ab altero separare volunt, vox ad
p. 210. eos e corpore sancti emissa est, dicens: *« Corpus meum cum matris corpore collocate, quia cor eius aspectu meo non recreavi. » Utrumque igitur in unam arcam deposuerunt, et Deus e corpore huius sancti sanationes multas omni morborum generi elicuit.

Ipsius intercessio et preces in aeternum nos servent atque custodiant. Amen.

Eadem die, obiit sanctus Maximus [1], Domadii (Dūmādyūs) [2] frater. De quo relatio in diem decimum septimum *huius mensis* differtur, ut ipsius vita una cum vita fratris [3] describatur. Utriusque preces nobis adsint. Amen.

Eadem etiam die, memoria sancti illustris, Theophili monachi. Is erat filius cuiusdam regum insularum Romae, cui nomen Namulaus (Nāmūlāwos) [1] et cui nulla alia proles. Eum *pater* optime educavit et Ecclesiae disciplinis erudivit, et cum *puer* Pauli epistulas sedulo perlegeret, haec reperit scripta in epistula ad Hebraeos [2]: « Tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli; mutabuntur destruenturque, tu autem non deficis. » In alio loco dicit *Paulus* [3]: « Qui potuerit mulierem non tangere, quam laudandus *ea de re* est! Volo quippe vos puros esse, quemadmodum ego mihi purus esse videor. » Hoc quoque invenit in sancto Evangelio dictum [4] *Theophilus*: « Qui vult perfectus esse facultates suas derelinquat et sequatur me »; et cetera. Itaque, annos duodecim natus, regnum suum reliquit et, mutato, ne agnosceretur, habitu, profectus est, coepitque sese a monasterio in monasterium conferre, donec, in Aegypti fines et ad urbem Alexandriam deveniens, coenobium Vitri (ez-Zuǵāǵ) attingeret. Quem cum vidit monasterii praeses Anbā Victor, gratia quae sibi inerat agnoscens illum regia stirpe progenitum esse, benigne exceptum benedictione donavit et quae ad ipsum attinerent percontatus est. Toto vitae illius cursu sibi ab eodem exposito, admiratus pater Deum laudavit et locum separatum in quo *Theophilus* habitaret ei assignavit; tum quem virtute proficientem videbat et diligentia insignem sacro schemate induit. Decimo post sacram vestem ei collatam anno, *milites a patre illius missi in mona- p. 211.
sterium venerunt abbatique comprehenso dixerunt: « Certo novimus in domo tua esse filium regis insulae Tamulae (Tāmūlās) [5]: quem nisi ad nos illico produxeris, coenobium vastabimus et quotquot inibi commorantur interficiemus. » Ipse vero regis filius, videns monasterii abbatem ab illis comprehensum atque male habitum, ad eos exiit, et dixit: « Ego sum; monachos dimittite, ne eorum causa intereatis. » Qui, postquam ipsis constitit illum esse regis filium, ante eum prostrati, rogaverunt ut secum ad patrem pergeret; et cum iis profectus est, monachis eius discessu maerentibus. Eum autem oculis suis obiectum non agnovit, propter corpus austeritatibus extenuatum, pater.

[1] E: Maxīmānūs. — [2] E om. — [3] E add.: Dūmādyūs.

[1] Nomen hoc ex lectione cod. B nomen videtur esse regis; ex codice F vero et ex iis quae in ipso B infra occurrunt, nomen est insulae. — [2] *Heb.*, I, 10, 11. — [3] I *Cor.*, VII, 7, 8. — [4] MATTH., XIX, 21. — [5] F om. duo verba (insulae Tamulae).

Cui dixit ille: « Ego filius tuus », proprio nomine subiuncto. Tum coepit ei praedicare, necesse esse ut moriamur, et quid sit huius civitatis principatus, verbisque usus est quibus *audientis* cor vehementer commotum. Quare rex, audita tota filii exhortatione, diadema e capite deposuit, uberes amarasque fudit lacrimas, regnum fratri suo tradidit, uxorem [1] secum assumpsit, et ambo, universis facultatibus relictis, filium secuti, ab eo Alexandriam ad coenobium Vitri adducti sunt. Matrem sancti abbas excepit, monacham constituit et in monacharum asceterium introduxit; regi vero, patri suo, sanctus locum quemdam domicilium assignavit, illumque sacro induit schemate; uterque vitae monasticae laboribus strenue se dedidit, et quis posset eorum austeritates ac certamen describere *quae eiusmodi fuerunt* ut eorum pellis ossibus adhaereret? Tum vero inimicus *Satanas*, eorundem certamini infensus adversansque, praefectum adiit et certiorem fecit, in monasterio Vitri habitare cum filio suo monachum qui rex insulae Namulai (Nāmūlāwos) fuisset, atque ab eo ad regem fratrem omnia quae in Aegypti finibus fierent scripto referri. Tunc igitur ad se adductos atque apprehensos praefectus in vincula et compedes coniecit, donec, ut ipse causabatur, de utroque Marwānum ibn ʿAbd el-ʾAzīz in urbe Damasco consuleret. Angelus autem Dei, e caelo descendens,
p. 212. *ambos liberavit, et praefectus, militibus quibus commissi fuerant iratus, eos acerbe cruciavit. Qua de re certiores facti, rex et filius eius e monasterio egressi sunt et, praefectum adeuntes, monuerunt ne ab illis hominibus poenas propter se exigeret. Iis respondit princeps: « Abite, monachi, in monasterium vestrum; haec enim omnia Satanae auctori adscribenda sunt. » Et dimissis illis nuntiis, ipsorum causa perferenda curavit ad monasterium dona plurima, benedictionem sibi a monachis implorans. Paucis post diebus ad utrumque invisendum venit abbas; qui simul stantes orabant, et mutuam benedictionem petierunt atque dederunt. Porro rex abbati dixit: « Pater mi sancte, Christus Dominus te ad me adduxit »; tum, ante eum prostratus, subiunxit: « Mane nobiscum hac nocte, quia hoc ipso tempore Christus Dominus — cui sit laus! — me visitabit. » Dein una ad orandum diu steterunt, qua eorum

[1] Ita ex F; B minus recte: matrem.

oratione absoluta, luce splendidissima circumfusus est locus, et rex, decumbens atque faciem signo crucis signans, spiritum in pace emisit; ac tertio die subsequenti filius quoque obiit, vidique angelos et filio adsistentes.

Utriusque precibus, et precibus omnium sanctorum suorum, qui ipsi ab initio usque in saecula saeculorum placuerunt, Dominus Iesus Christus nostri misereatur. Amen.

*Hodie, memoria sanctae ac praclarae Mahratae [1], sponsae p. 382. Christi, quae *in urbe* Antinoe (ʾAnsanā) bonam confessionem coram Calicano (Kalīkānūs) praefecto emisit et, firmae fidei ac gratiae Spiritus sancti plena, eum ex Scripturis sacris confutavit, seque Domini virtute audacem exhibuit. Annos duodecim nata et ab illo sic compellata: « Quomodo tu, puellula cum sis, sermonem huiusmodi gravem profers? » respondit: « Etsi aetate humilis et infima, Spiritu tamen praecellens sum, ut dixit Apostolus. » Cui praefectus: « Equidem, nulla misericordia motus, suppliciis multis te afficiam, itemque omnes qui mihi non assenserint ut incensum Apollini caeterisque diis offerant. » At illa: « Ego Dominum meum Iesum Christum adoro, pro cuius sacro nomine mortem obibo, et si mortua fuerim, in aeternam commigrabo vitam et cum Christo ero, quemadmodum Apostolus testatur, neque iam in hoc mundo degam, voluptatibus eius seducta, indumentum corruptionis gerens, vestibusque, ornamentis et crinibus comptis decorata; qui enim ex rebus huius mundi pulchritudinem captat, is vitae futurae deliciis privabitur. » Et ipsa quidem acerbos sustinuit cruciatus tum equulei, tum sedis ferreae igne excandescentis, neque impedimento ei fuit sive corpus delicatum atque molle, sive aetas tenera, sive pulchritudo *formae et habitus. Nec sibi pepercit ut imminentia p. 383. vitaret tormenta, sed haec magno cum gaudio atque exultatione perpessa est. Quam cum vidisset praefectus patientia eminere nec quidquam ex cruciatibus persentire, eam in saccum demisit, viperis, scorpionibus, serpentibus et omni animalium mortiferorum genere refertum; sancta virgo autem in sacco, ipsi opitulante Domino Iesu Christo, quo confidebat, Deum laudabat concinebatque, prout scriptum prostat in sancto atque adorando Evangelii volumine [2]: « Serpentes contrectabitis, atque scor-

[1] Vel: Maharātī. — [2] MARC., XVI, 18.

piones, omnemque virtutem inimici, nec quidquam horum vobis nocebit. » Dehinc bestiae illae noxiae universae et omnia animalia, quae cum sancta incluserant, postquam odorem vestium eius perceperant, in sacco ad unum omnia mortua sunt. Ipsa vero *puella* die tertio spiritum pro nomine Iesu Christi emisit. Cuius corpus sepelierunt et in urbe patria Ṭamāwu [1], ubi pater eius sacerdotio fungebatur, deposuerunt. Aedificarunt autem magnam ecclesiam, nomine illius dedicatam, et ex eiusdem corpore prodigia atque miracula prodierunt.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 212. *Mensis Ṭūbah dies decimus quintus.

Hodie mortuus est propheta Obadias (ʿAbūdyā). Vir hic sanctus et iustus, Hananiae filius, prophetae munere functus est temporibus Iosaphat, eiusque lingua Deus verba fecit de adventu resurrectionis et retributionis, deque iis rebus quae filiis Israelis et reliquis populis ac gentibus eventurae essent. Populum israeliticum idem admonuit et plurimum hortatus est. Ferunt eum ducem illum fuisse quem tertium miserat Ochozias, quinquaginta militibus stipatum, ad Eliam apprehendendum, postquam ignis *e caelo* delapsus duos duces priores eorumque comites Elia iubente consumpsit. Is, *ad Eliam* accedens, non superbe, ut illi *priores*, sed humiliter se gessit, et, genibus coram Elia flexis, rogavit ut ne se, quemadmodum illos duces priores, morti traderet, sed, misericordia motus, secum ad Ochoziam descenderet. Et cum ad Ochoziam ambo descendissent, intra se certo persensit Eliae ministerium dignitate praecellere ministerio regum terrae, seque, si Eliae comes adhaereret, ita ad ministerium regis *caelestis perventurum; ac famulatu Ochoziae dimisso, Eliam prophetam secutus et ei famulatus est. Unde, gratia prophetiae in eum delapsa, prophetam egit, et quidem vicennio diutius munere prophetico functus est. Adventum Christi pluribus quam septingentis annis antecessit, et mortuus est mandatusque sepulcro patrum suorum in agro qui Bait-el-Ḥazām [2] appellatur. (p. 213.)

Ipsius preces nobis adsint.

Eadem die, christiani Syriae, festum agunt mortis sancti

[1] Amélineau, *op. cit.*, p. 474: Tamá. — [2] B et C: Bait-el-Ḥarām.

Gregorii, fratris Basilii. Hic pater purus Gregorius sese in universis animae et corporis virtutibus cum fratribus suis exercuerat, et cultum omnem, scientiam atque philosophiam adeptus, in logicae disciplina et lingua graeca versatissimus erat, zelo ardens, in fide orthodoxa firmus [1]. Proprietatibus illis eximiis et dotibus egregiis praeditus, ad dignitatem episcopalem, licet invitus, electus est, et, urbi Tanīs [2] praepositus, gregem Christi sibi commissum pavit, *fidelium* animas scriptis concionibusque suis illuminans, ac plerosque Antiqui et Novi Foederis libros commentatus est. Concilii centum et quinquaginta episcoporum, a Theodosio imperatore in urbem Constantinopolim contra Macedonium, huius urbis patriarcham, congregati, particeps fuit hic pater, idemque Sabellium, Macedonium et Apollinarem, quorum impietas primo mensis amšīr die memorata est [3], pudore affecit. Hic quippe sanctus impiorum doctrinas confutavit et gladio disceptationis suae aberrantium argumenta comminuit. Dein ipse et ceteri concilii patres discesserunt victores, illis *adversariis* maerentibus [4]. Senectutem bonam assecutus, ad Dominum commigravit. Reliqua pars actorum eius die huius mensis vigesimo primo relata est [5], et quidem ex Coptarum Aegypti sententia ac traditione.

Precum eius benedictio nobis ad extremum usque halitum adsit. Amen.

*Exhortatio unius patrum. — Ecce vobis nunc in memoriam revocamus, fratres, sententiam in peccatores proferendam, qui legem et praecepta vitae reiecerint. Dixit *Dominus* [6]: « Recedite a me, maledicti, in ignem aeternum. » Quidquid solatii exspectant... [7]. (p. 383.)

*Mensis Ṭūbah dies decimus sextus. p. 213.

Hodie martyrium passus est vir sanctus atque illustris Philotheus, cuius *hoc ipsum* nomen « amicum Dei » significat. Erat is ex Antiochiae incolarum numero, eiusque parentes vitulum colebant nomine Zabarǵad, quem *simila cum oleo, butyro sesamino et melle commixta nutriebant, ter quotidie unguento ungebant atque aromate, ac potu ex sesamo et (p. 214.)

[1] C: zelo ardens pro fide orthodoxa. — [2] Sic. B: Tabīs! — [3] Cf. infra, ad diem indicatam. — [4] B et C: pudore suffusis. — [5] Cf. infra, p. 363. — [6] Matth., xxv, 41. — [7] Reliqua desunt.

dactylis vel uvis passis expresso donabant. Eidem habitaculum hiemale itemque habitaculum aestivum exstruxerant, collo torquem aureum circumdederant et aureis annulis pedes ornaverant, cum anticos, tum posticos. Erat autem hic sanctus forma venustus. Cum decem annorum aetatem attigisset, petierunt ab eo *parentes* ut vitulo cultum adhiberet, sed renuit, et quia nolebant illi, prae amore quo eum prosequebantur, cor eius tristitia afficere, eundem dimiserunt. Ipse vero sanctus Deum *verum* non noverat, existimansque solem deum esse, ante eum adstitit, dicens: « Te, sol, oro ut, si deus sis, rem mihi manifestam facias. » Ad quem vox ab alto delapsa: « Non sum, inquit, ego Deus, verum famulus ac servus Dei illius quem tu mox cogniturus es et pro cuius nomine profundes sanguinem. » Et Dominus quidem — cui sit laus! — cum rectitudinem animae adulescentis perspiceret, ad eum tunc temporis angelum suum misit, *qui* nomen [1] Dei illi revelavit, mentem illuminavit ut ea intellegeret quae ipsi dicerentur, coepitque eum *veritates religiosas* edocere a divina mundi creatione usque ad Filii Dei, Christi Domini, incarnationem. Unde, animo laeto atque exsultabundo, ex illa die ieiunio se dedidit, orationes fundens plurimas continuasque, nihil praeter panem et sal comedens, eleemosynasque pauperibus et infirmis elargiens. Anno transacto, parentes eius, quibus in animo erat convivium amicis suis apparare, filium rogaverunt ut, antequam manducarent et biberent, thus isti vitulo adoleret. Itaque adstitit adulescens coram vitulo eique dixit: « Verene tu Deus cui cultus debetur? » Et ex illo egressa est vox, haec dicens: « Equidem non sum Deus; sed Satanas mihi inest, homines seducens. » Tum in parentes exsiliens, ille eos cornibus feriit et neci dedit. Iubente autem sancto, huius servi vitulum occiderunt combusseruntque, et *combusti cineres* disperserunt. Cum tamen parentes iacerent mortui, filius, gratia sibi a Domino infusa, iis orando benedixit, et spiritibus ad eosdem reversis, ipsi enarrarunt omnia quae de variis cruciatorum in gehenna generibus vidissent.

Postea sanctus una cum parentibus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius, baptizatus est, et Dominus ei contulit gratiam atque virtutem, qua deinceps aegrotis ap-

[1] B et C: mysterium.

precando sanitatem restitueret. De illo autem rumor perlatus est ad imperatorem impium Diocletianum, qui per nuntium arcessito thus Apollini offerendum proposuit, *praemia multa pollicitus. Verum, a *tyranni* verbis abhorrens, *Philotheus* oboedientiam detrectavit; quare iussus est diversis cruciari tormentis: flagris caesus est, tum lapides ventri eius impositi, ipso tamen interea deos [1] imperatoris probis et conviciis lacessente. Unde praecepit iste ut os eius verberaretur, lingua ei praecideretur et dentes frangerentur. Quae cum in eo facta essent et ipse nihilominus ad sententiam imperatoris non inclinaretur, se convertit imperator ad verba blanda ac fallaciae plena. Ei igitur illudendi causa, promisit sanctus se Apollini venerationem adhibiturum. Ea re gaudens imperator praescripsit ut adduceretur Apollo una cum septuaginta idolis et septuaginta sacerdotibus, populos convocavit, et iussit per urbem pronunciari ut omnes convenirent, sanctum Apollini adorationem adhibentem conspiciendi gratia. Dum autem illi in itinere sunt, sancto Christum Dominum deprecante, aperuit terra os suum et idola atque sacerdotes devoravit. Ingenti idcirco tumultu exorto, postquam *prodigium* hoc vidit hominum multitudo, plurimi ex illis crediderunt et Christum Dominum confessi sunt. Qui, imperatore, prae ira qua excanduit, praecipiente ut eorum capita acie gladii abscinderentur, decollati sunt et coronam vitae adepti. Simul vero in sanctum dicta est sententia, ut ipse quoque decollaretur, et, sancto capite abscisso, corona martyrii et bonis caelestibus donatus est.

p. 215.

Ipsius intercessio nobis in aeternum adsit. Amen.

Eadem die, obiit pater sanctus et virgineae continentiae Anbā Iohannes, patriarcha alexandrinus [2]. Hic sanctus vitam monasticam a teneris amplexus fuerat in ecclesia sancti Abū Macarii (Maqār) et devotionem insignem atque ascesim exercuerat. Quare a patre Anbā Michaele (Ḫāyīl), patriarcha, electus est et sacerdos praepositus ecclesiae Abū Mīnae, cuius regimen ei commissum, una cum eiusdem possessionibus et rebus quae illuc voti causa afferebantur; munereque sibi assignato rite perfunctus est. Convenientibus dein [3] episcopis et sacerdotum doctissimis in urbem Alexandriam ut aliquem eligerent qui

[1] Ita ex B et C; A: deam. — [2] B add.: et ipse e numero est octo et quadraginta patriarcharum. — [3] C ins.: post mortem patriarchae.

patriarcha consecraretur, iisque *primum* seponentibus nonnullos quorum nomina in schedulis inscriberent, memores eos fecit huius patris vir quidam sanctus; cui gratias uno ore agentes, illius quoque nomen descripserunt in schedula caeteris schedulis apponendo. Tum, postquam per trium dierum totidemque noctium spatium horum *candidatorum* causa preces fidele... et missas celebrarunt, puerum ex ecclesia advocave-
p. 216. runt, *isque schedulam sortiendo eduxit, quam invenerunt eam esse in qua huius sancti nomen scriptum. Dein eandem cum ceteris commixtam puer alius ab illis accitus iterum eduxit; idemque tertio factum. Inde cognoverunt hunc a Deo electum. Qui, ubi primum consecratus est, gregem apostolica sollicitudine complexus, nunquam intermisit laborem fideles edocendi et in fide apostolica atque orthodoxa confirmandi; misericordiaque insignis, eleemosynas in omnes profundebat. Eum Deus probavit fame gravi quam in regionem immisit, adeo ut frumenti mensura ʿardeb nuncupata non minore quam duorum denariorum pretio venalis esset. Ianuae eius quotidie adstabat magna mendicantium cuiusvis religionis multitudo, et, cum quemdam ex discipulis suis nomine Marcum [1] ecclesiarum facultatibus praeposuisset, unicuique quae ipsi opus erant mane et vespere providit quoad ira Dei ab hominibus abstitit. Curavit hic pater multas ecclesias aedificandas, quas pulchro omnis generis ornatu instruxit [2]. Instante iam obitus tempore, sacerdotibus diem quo moriturus esset praenunciavit, dicens: « Die mensis ṭûbah decimo sexto natus, eodem die patriarcha consecratus, eodem etiam moriar. » Quibus auditis, eum episcopi flentes interrogaverunt: « Quisnam igitur tibi succedet? » Respondit eis: « Discipulum meum Marcum Christus Dominus ad hoc munus elegit. » Die autem praenunciato ad requiem admissus est, postquam in principatu annos viginti tres et partem anni exegit [3].

Ipsius preces et benedictio nobis adsint. Amen.

[1] Ita ex B et C; ex lectione cod. A sensus esset: quemdam ex discipulis Mar Marci. — [2] B add.: et hic pater, propter eleemosynas atque largitiones quas erogabat, vocatus est Iohannes misericors, quippe qui vere misericors erat erga infirmos, miseros et desolatos e numero orphanorum, viduarum et egentium. — [3] Haec subiungit cod. B: « Huius temporibus, mortuo Davide, qui ad sedem antiochenam evectus erat, ad hanc rediit Georgius, et quidem postquam decem annos ab ea remotus fuit. Cum autem hic pater Iohannes promotus est, ad illum *Georgium* epistolam synodicam scripsit, vicissimque responsum ab eo accepit de Ecclesiae unitate. Mortuo deinde patre Georgio et in locum eius suffecto viro sancto cui nomen Cyriacus (Kīryākūs), scripsit hic synodicam ad patrem Iohannem, qui ea accepta gavisus est aliamque rescripsit epistolam.
Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen ».

MENSIS ṬŪBAH DIES DECIMUS SEPTIMUS.

Hodie memoria duorum sanctorum illustrium Maximi et Domadii (Dūmādyūs) fratris, *filiorum Leontii (Lāndyūs) [1] impe- p. 217.
ratoris, qui Graecorum (er-Rūm) regnum moderabatur. Imperatorem istum, orthodoxum et in omnibus negotiis suis pium, donavit Deus his duobus filiis, qui a teneris unguiculis fuerunt puritate angelis similes, orationi et Librorum *sacrorum* lectioni constanter dediti. Animum autem eorum subiit cogitatio de mundo caduco relinquendo, et, vitam appetentes angelicam, quae est vita monastica, cum patre solerter egerunt ut per eum sibi liceret ad urbem Nicaeam proficisci, oraturis in loco sacrosancti concilii. Qui, ea re gaudens, cum iis servos et milites misit. Illi, postquam *istuc* pervenerunt et benedictionem aucuparunt, milites ad patrem remiserunt, qui suis verbis dicerent: « Nobis in animo est hic aliquandiu commorari. » Dein cogitationes suas *monacho* sancto revelaverunt, affirmantes optare se ut veste monastica apud ipsum induerentur. Qui tamen, quippe patrem eorum imperatorem metuens, illis ea in re morem non gessit, sed iis suasit ut in Syriam se conferrent, ad virum sanctum, religione celebrem, cui nomen Anbā Ǵāwos [2]. Monachi consilium secuti, in Syriam se contulerunt, ad sanctum Anbā Ǵāwos, apud quem commorati sunt donec, post collatam ipsis vestem monasticam, supremum diem obiit. Antequam autem mortuus est, cum iis *hanc suam* visionem communicavit, sibi nimirum apparuisse sanctum patrem Macarium magnum, dicentem: « Filios tuos hortare ut, ad me venientes, te defuncto, filii mei fiant. » Eis igitur visionem manifestavit subiunxitque: « Equidem optabam ut virum illum oculis

[1] B: Lāndyānūs. — [2] B: Anbā Ǵābūs.

corporeis cernerem, eundemque spiritu vidi. Ad quem post mortem meam transmigrate. »

Deinde Deus — *qui exaltetur!* — in eos contulit *gratiam* sanationum, eorumque fama per omnes illas regiones mercatorum et viatorum opera percrebruit. Didicerant autem artem vela nautica conficiendi, qua victum sibi primum comparabant, tum quod supererat pauperibus et miseris eleemosynam largiebantur. Porro quadam die, ad mare venit aliquis ex iis qui apud patrem eorum conclavi regio praefecti erant, et in velo navis cuiusdam inscripta vidit duo Maximi et Domadii nomina, de quibus percontans, hoc tulit responsum: « Ii sunt duo fratres et monachi sancti, quibus equidem tantopere confido ut eorum nomina in velis navis meae describam ad Dei tutelam mercaturae meae conciliandam. Horum alter integra ac promissa barba insignis est, alter adhuc im-
p. 218. berbis. » Unde ille, cum liquido perspiceret de filiis *imperatoris agi, mercatorem secum ad imperatorem duxit, et imperator, ex mercatore rem certo compertam habens, ad illos ipsorum matrem et sororem misit. Quae postquam ad eos venerunt, iis agnitis, in fletus et clamores proruperunt, eosque rogavit mater ut secum redirent. Illi, renuentes, eam tamen consolati sunt et precibus super eam fusis animum eius demulcere sunt conati; sed ab eis corde tristi discessit.

Postea vero, patriarcha urbis Romae mortuo, cum mentio iniecta esset de Maximo constituendo patriarcha romano, ea re gavisus est pater eius. At rei fama perlata ad sanctum *Maximum* et fratrem eius, recordati monitum patris sui monachi, surrexerunt et, mutatis vestibus, profecti sunt, ignari quo tenderent. Dein mare salsum [1] petierunt, Deo aquam amaram in dulcem convertente quoties sitirent, virtusque ab eo in illos immissa eosdem e Syriae finibus in desertum scetense (el-ʿIsqīṭ) transtulit. Adeuntes igitur sanctum Abū Macarium, certiorem eum fecerunt velle se cum eo habitare. Qui tamen eos videns in deliciis enutritos, existimavit impares eos fore ad commorandum in deserto, iisque proinde arduam deserti vitam ob oculos posuit. Ei responderunt: « Si defuerit facultas remanendi, recedemus. » Illos dein docuit artem folia pal-

[1] Cf. sup., p. 122, in not.

marum contexendi et in apparanda sibi spelunca direxit, vallem iis ostendit ac aliquem assignavit qui et panem eis afferret et eorum opus *textile* venderet; atque ita per triennium perseverarunt, neminem convenientes, nisi quod in ecclesiam ingrediebantur ut sacram communionem silentes reciperent. Miratus autem pater noster Abū Macarius eos a se tanto tempore abesse, optansque sibi a Domino eorum agendi rationem manifestari, surrexit, ad eos venit et noctem illam ibidem transegit. Et media nocte expergefactus, duos sanctos vidit, cubili relicto, orantes, specie quadam montis [1] ignei ex ore eorum ad caelum assurgente et daemonibus eos luporum instar circumvenientibus, quos tamen angelus Domini gladio igneo ab iis arcebat. Ubi illuxit, iisdem sacrum imposuit schema, ab iisque discessit, dicens: « Orate pro me »: ipsique vicissim coram eo se prostraverunt silentes.

Postquam, amborum cursu consummato, voluit Dominus eos ab aerumnis huius mundi liberare, febri aegrotavit frater natu maior et Abū Macarium certiorem fecit, eum rogans ut sibi
adesset. Qui veniens febricitantem consolatus est, *animum- p. 219.
que ei addidit. Tum conspexit Abū Macarius multitudinem caelitum, apostolorum et prophetarum, cum Iohanne Baptista et Constantino imperatore, qui praesentes sanctum circumsteterunt donec huius anima cum ingenti splendore et magna gloria egressa est. Flevit itaque Abū Macarius et exclamavit: « O te felicem, Maxime! » Huius vero germanus Domadius, cum fletum de morte fraterna non intermitteret, Dominumque oraret et simul sanctum Abū Macarium, ut, huius precibus suffragantibus, se Christus Dominus fratri *defuncto* coniungeret, tertio post Maximi sepulturam die et ipse aegrotavit; et de hoc quoque rumor ad sanctum Abū Macarium perlatus est. Qui dum in itinere versatur, *ad illum tendens*, cohortem sanctorum illorum qui *prius* ad animam sancti Maximi suscipiendam venerant et *modo rursus* animam sancti Domadii excipientes adfuerant, vidit ascendentem in caelum. Dehinc ad speluncam adveniens, sanctum invenit decessisse, et eum cum fratre deposuit. Mors Maximi die mensis ṭubah decimo quarto, fratris vero Domadii, die eiusdem *mensis* decimo septimo

[1] C: funis.

contigit. Praecepit Abū Macarius ut eorum nomine monasterium appellaretur, et ita usque ad hanc aetatem appellatum est. Eorundem autem memoria in caelis et ubique terrarum aeterna permanet.

Ipsorum preces et intercessio nobis adsint. Amen.

p. 383. *Mors sancti Iohannis, possessoris Evangelii aurei. Vir fuit princeps et auctoritate in urbe Roma praepollens, cui nomen Adarnius[1] et cuius uxor Theodora (Tāwozūrā) appellabatur. Ambo divites erant et religiosi, et eos Deus tribus filiis masculis donavit. Horum natu minimus scientiam diligenter didicit, cumque pietati addictus esset, monacho cuidam occurrens qui, ab urbe Hierosolymis redux, monasterium suum repetebat, cum eo clanculum, parentibus insciis, abiit. Ei autem parentes librum Evangelii Iohannis comparaverant, corio compactum ac laminis ex auro puro selectoque exornatum. Quo secum assumpto, iter fecit *Iohannes* donec ad coeno-
p. 384. bium perveniretur; et illico monachus cui *se comitem adiunxerat abbatem monasterii admonuit, illi in animo esse ut vitam monasticam amplecteretur, ac revera schemate angelico ab abbate indutus, sex annos exegit, assidue incumbens orationi, ieiunio deditus, corpusque toties prosternens ut res numerandi facultatem excederet ipseque exaresceret et fieret mortuis similis. Et *hic* quidem sanctus Iohannes, benedictione abbatis monasterii accepta, ad domum parentum suorum rediit, Evangelium aureum secum deferens, pannis laceris squalidus. Sibi extra portam parentum tugurium exstruxit, in quo sedit, et ita annum *integrum* permansit, hoc patientiae opus sustinens, adeo ut patris, quoties eum videret, lacrimae, propter ipsum eiusque molestiam, ubertim fluerent. Porro imminente hora qua ex hoc mundo migraturus erat, misso nuntio parentes arcessivit — mater autem, si contigeret eam ex aedibus egredi, consueverat faciem suam velare, ne ipsum cerneret, abhorrens nempe a miseria qua tabescebat —; quos cum postulatione sua ad molestum se invisendi officium movisset, rogavit atque obtestatus est ut se in eo ipso loco ubi iacebat, vestibus tritis quibus tegebatur haud mutatis, sepelirent. Tum librum quem secum habebat, Evan-

[1] Vel: Adranyūs?

gelium scilicet, eduxit iisque tradidit. Quo ab iisdem agnito et inspecto, mater plurimum lacrimata est. Porro ei dixerunt: « Te per Deum vivum adiuramus ut nobis aperias unde hoc Evangelium acceperis. » Respondit eis: « Ego sum filius vester Iohannes, et hoc est Evangelium quod mihi comparastis. » At illi, subito conclamantes, corpori eius puro oscula porrexerunt et amare fleverunt. Ipse sanctus Iohannes, os aperiens, inter manus Dei vivi exspiravit, et, re audita, homines convenerunt. Parentes vero, cum vellent eum vestibus tritis quibus tegebatur exuere, recordati obtestationes atque iuramenta quibus ipsos adiuraverat, eum sepelierunt *intactum* ac in illo ipso loco deposuerunt, prout iis praescripserat, et ibidem ecclesiam aedificaverunt nomine eius dicatam, in qua Dominus multa edidit miracula.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

* MENSIS ṬŪBAH DIES DECIMUS OCTAVUS. p. 219.

Hodie requie donatus sanctus pater asceta Anbā Iacobus, episcopus nisibenus, sancti Ephraemi magister. Hic sanctus athleta, in urbe Nisibi natus et educatus, lingua Syrus, vitam monasticam adhuc adulescentulus elegit; et cilicio ex pilis confecto indutus tempore cum aestivi caloris tum frigoris hiemalis circuibat, plantis terrae vescens et sitim aqua tantum restinguens. Unde corpus quidem extenuatum atque macilentum evasit, anima vero splendescebat et augescebat; et ita gratiam prophetiae ac miraculorum patrandorum meritus, hominibus quae futura essent, antequam evenirent, annunciabat. Miracula eius plurima, e quorum numero haec *fuere*. Quadam die, cum mulieres vidisset *prope aquae fontem lascivientes et p. 220.
proterve se gerentes, quae lavandi gratia capillos solverant, oratione ad Deum fusa, fontem arefecit et lavantium capillos effecit canos; tum sibi supplicantibus aquae fontem reduxit, canitie tamen remanente. Alias, quibusdam occurrit qui hominem iacentem vivum involverant perinde ac si mortuus fuisset, eum in finem ut aliquid a sancto quasi illius sepeliendi causa subriperent. Quem sanctus oratione sua morti dedit; sed dein, ab illis exoratus, paenitentiae significationibus acceptis, excitavit. Fama virtutum late sparsa, episcopus urbis Nisibis creatus, gregem Christi sibi commissum optime pavit et a

lupis arianis tuitus est. Concilio nicaeno, quod convocaverat sanctus imperator [1], cum aliis interfuit hic pater, sententiamque dixit ut Arius amoveretur et ex Ecclesia expelleretur, confirmaretur autem fides orthodoxa ab omnibus christianis admissa. Rege Persarum Nisibim obsidente, orando adduxit hic sanctus nubem culicum et fucorum, quibus ita lacessiti sunt equi et cameli ut vinculis ruptis diffugerent. Quod ubi vidit Persarum rex, timore perculsus, a Nisibi discessit. Postquam se simul et gregem suum collustrans, certamen suum complevit, ad Dominum migravit, permanentemque adeptus est felicitatem.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Mensis Ṭūbah dies decimus nonus.

Hodie, Esnae ('Asnā), in Aegypti superioris urbe, martyrium subierunt tot martyrum millia et myriades ut numerari non possint. Universorum intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem etiam die, inventio membrorum sanctorum martyrum Abā Bahūrī [2] et Abū Basūrah [3], fratrum, et horum matris Abnirae ('Abnīrah) [4]. Hi sancti athletae, ex incolis Šabās,
p. 221. *temporibus idololatriae vigentis martyrium passi sunt, eorumque corpora in ecclesia Šabās deposita iacebant. Verum anno *aerae* sanctorum martyrum nongentesimo trigesimo sexto, Franci, cum Aegypti fines invasissent, Dimiatam (Dimyāṭ) itemque alias urbes ex regionibus circumiacentibus ceperunt et suae ditionis fecerunt. Contra quos Malik el-Kāmil, qui tunc Aegypti solio potiebatur, ingentem exercitum e regionibus suis congregavit. Illorum autem cohortes, si prope ecclesias transirent, iis cupide invidentes, plurimas everterunt, e quarum numero *fuit* ecclesia Šabās, ubi sanctorum corpora *asservabantur*. Tum arcam in qua corpora sanctorum inclusa erant apprehensam unus militum aperuit, aliquid sibi utile ea contineri existimans. Repertas vero egregias *illas* inaestimabilis pretii margaritas subter ecclesiae parietem sparsim proiecit, et arreptam arcam qua contentae fuerant vendidit. At Deus, qui patientia et longanimitate uti consuevit, moram illi concessit donec, exercitui adscriptus, ubi in manus ventum

[1] B et C add.: Constantinus. — [2] B et D: Bahūr; C: Abā Hūr; F: Bahrūh. — [3] B: Abū Šenūdah. — [4] B: Asrah, vel Asīrah.

est, ipse omnium primus est interfectus, quemadmodum testati sunt ii ex sociis eius qui rem oculis usurpaverant. Isti enim, post reditum in patriam, gloriam Dei palam proclamantes, affirmarunt illum omnium primum occisum fuisse ictu gladii, qui cervicibus sectis et latere discisso mortem concivit. Porro quod attinet ad ossa pretiosa, dum eadem miser ille proiicit, adstabat aspiciens mulier fidelis, uxor cuiusdam presbyteri; quae illa ora pallii sui gaudens collegit et, ecclesiam contremiscens ingressa, *eodem* pallio involuta in ecclesiae angulo reposuit et intra latericium rotundum abscondit, in quo angulo et latericio recondita plures quam viginti annos manserunt, muliere illorum oblita. Postquam autem Deus — qui exaltetur! — misericordia motus, voluit illa, ut fideles utilitatem exinde caperent, revelare, eorundem recordata est mulier et, loco *ab ea* fidelibus indicato, venerunt sacerdotes et ossa, reverentissime atque honorificentissime extracta, *arca p. 222.
nova iis apparata incluserunt, tum orantes, legentes et cantantes die huic respondente asportarunt et in ecclesia deposuerunt. Praecepit dioecesis episcopus Anbā Gabriel ut illorum *sanctorum* festum hodie ageretur, utque nomina in festorum indices referrentur, et factum est quod iusserat. Ex illis autem ossibus prodierunt miracula et prodigia. Exempli causa, mulieri fideli filia erat utriusque oculi lumine orba, de cuius sanatione spem abiecerat; confugit ad membra pura, votum iis vovit, et, filia brevissimo tempore ita sanata ut oculis eodem modo quo prius cerneret, laudes Deo persolvit, qui servos suos tanto afficit honore et cui sit gloria in aeternum.

Intercessio illorum sanctorum martyrum nobis ad extremum usque halitum adsit. Amen.

Mensis Ṭūbah dies vigesimus.

Hodie ad requiem admissus est apostolus sanctus Prochorus ('Abrūḫūros). Hunc apostolum cooptavit Dominus in numerum septuaginta discipulorum quos segregavit et misit ad praedicandum, virtute *morbos* sanandi et daemones expellendi iis collata. Is, quo tempore cum *ceteris* discipulis in coenaculo versabatur, gratia sancti Spiritus Paracleti repletus est. Eum dein Apostoli cooptarunt in numerum septem diaconorum quos

testantur [1] plenos fuisse Spiritus sancti et sapientiae; atque, apostolo Iohanni theologo comitem se adiungens, cum eo plurimas lustravit urbes, manuque sibi ab illo imposita, ab eodem constitutus est episcopus Nicomediae (Niqūmīdās) in Bithynia, ubi fidem in Christum praedicavit et multos Graecorum (el-Yūnāniyyīn), qui idola colebant, ad Dominum conversos baptizavit et praecepta evangelica custodienda edocuit. Iis etiam in urbe pulchram aedificavit ecclesiam, tum presbyteros et diaconos constituit. Postea, in regiones vicinas se conferens, ibi praedicavit, multos ex earum incolis baptizavit, multos quoque Iudaeos edocuit et ad fidem adduxit. Plurimas autem molestias propter Christi nomen, conviciis impetitus et *probrose* eiectus, perpessus est, et, cursu consummato, in senectute honesta Deoque grata mortuus, aeternam felicitatem adeptus est. Ipsius preces nos in aeternum custodiant. Amen.

p. 223. *Eadem die, memoria martyris Bahanū, et consecratio ecclesiae nomine Iohannis el-Kūhī [2], possessoris Evangelii aurei, in urbe Roma dedicatae, et translatio corporis eius in eandem. Eius intercessio nobis adsit. Amen [3].

Mensis Ṭūbah dies vigesimus primus.

Hodie requie donata est Virgo, pura Dei mater, domina Maria, feminarum universi regina. Dum nempe sancta *Virgo* orationi assidue vacat ad sacrum sepulcrum, a Spiritu sancto didicit se ex hoc mundo caduco translatum iri. Tum ad eam venerunt cunctae virgines hierosolymitanae [4], a Domino admonitae, itemque omnes discipuli qui adhuc superstites erant, et ipsam in lecto decumbentem universi circumsteterunt. Ecce porro adstitit ei et Christus Dominus, una cum angelorum multitudine millibus millium constante; qui ei animum addidit, praenunciavitque tranquillitatem ac quietem quae ei obventura esset, et, cum Virgo tum angelos tormentis addictos, per aerem circumvolitantes, tum ignem metueret, certiorem eam fecit nulli illorum suppetere quamcumque in ipsam potestatem. Cum

[1] *Act*, VI, 3. — [2] B: el-Lūḥī; F: el-Karḥī. — [3] Cod. F, paulo brevius et aliter: « Eadem die, consecratio ecclesiae pulchrae, nomine Iohannis el-Karḥi, possessoris Evangelii, in urbe Roma, et translatio corporis eius eodem. Cuius oratio nobis adsit. Amen ». — [4] B et C: virgines e monte Olivarum.

prope abesset ab hora qua transmigratura erat, eam rogaverunt Apostoli et virgines ut sibi benediceret; quibus idcirco manu imposita benedixit. Dein beatam eius animam accepit Dominus et stola lucida involutam secum ad supernas sedes sustulit; corpus vero iussit ab Apostolis prout decebat sepeliri et in Gethsemani deferri. Quod cum rescivissent Iudaei, noscentque illam esse dominam sanctam Mariam, adversus eam egressi sunt, et quidam ex illis arcam tetigit apprehenditque, ut sepulturae obstaret; at ambae illius manus praecisae feretro inhaeserunt donec, supplex *et in Christum Dominum credens, p. 224. fervidas funderet lacrimas, eum facti paeniteret et *denique*, deprecantibus sanctis Apostolis, in pristinum locum restituerentur. Virgine sepulta, Dominus ipsius corpus, uti vulgo notum, abscondit. Abfuerat autem illa moriente Thomas apostolus. Qui dum venit, nube advectus, corpori eius, ab angelis stipato et deducto occurrit: dixitque ei unus illorum: « Festina corpus purissimae dominae Mariae osculari »; et id festinans osculatus est. Tum ad se advenienti discipuli notum fecerunt Virginis obitum. Respondit eis Thomas: « Quemadmodum nostis a me factum, de resurrectione Christi Domini dubitante, fidem nunc non adhibebo nisi corpus illius *Virginis* viderim. » Postquam vero ad sepulcrum, corporis ostendendi causa, progressi, id aperuerunt et vacuum repererunt, stupentibus atque admirantibus indicavit Thomas quomodo sacro corpori occurrisset, iisque revelavit Spiritus sanctus obstare Domini voluntatem ne *Matris* corpus his in terris maneret. Promiserat tamen apostolis suis Dominus corpus *illud* a se eis iterum ostensum iri, et huius promissionis effectum exspectaverunt usque ad diem mensis mešrī decimum sextum, quo die iis concessa visio. Summa vitae terrenae divae Virginis Mariae sexaginta anni fuerunt, ex quibus duodecim annos in templo egit, triginta quattuor annos in domo Iosephi, ante Domini ascensionem, et quattuordecim annos post ascensionem Domini, in domo Iohannis evangelistae, prout monuerat Dominus *ipse*, Mariae dicens: « Hic est filius tuus », Iohanni vero: « Ecce mater tua. »

Ipsius intercessio atque benedictio nobis omnibus ad extremum usque halitum et in saecula saeculorum adsit. Amen.

Eadem die, ad requiem vocata est sancta et pia Hilaria

(Ilāryā), Zenonis imperatoris filia. Imperator iste, orthodoxus et Ecclesiae amicus, hac sancta *filia* eiusdemque sorore donatus fuerat, prole mascula non suscepta. Haec autem *puella* innocens, solitudinis a teneris amans, illapso in cor desiderio instituti monastici capessendi et schematis angelici induendi, ex imperatoris aedibus egressa est et, virili habitu assumpto, in Aegypti fines atque exinde in *desertum* Scaetin (el-'Isqīt) se contulit, *ubi* ei occurrit vir sanctus et grandaevus nomine Anbā Bamuā, cui consilium suum aperuit, revelavitque se feminam esse. Ille, secreto eius celato, eam in spelunca quadam locavit, et eam saepe invisebat. Quae annos quindecim in spelunca transegit, et cum nulla genis incresceret lanugo, putaverunt senes eam eunuchum esse atque Hilarium eunuchum appellare coeperunt. Soror autem eius a daemone maligno ita vexata fuit ut pater, pecuniis multis propter eam expensis, nullum ei remedium invenisset. Cui persuaserunt ut eam mitteret ad senes p. 225. *scetenses, quorum sanctitas per universos Graecorum fines (er-Rūmānyah) celebrabatur; et eam misit, praeceptoribus, militibus et famulis stipatam, simulque iis epistulam ad senes dedit, quos maeroris sui certiores faceret: se a Domino duabus filiis donatum; harum alteram discessisse, se vero neque locum illius compertum habere, neque quidquam de ea audivisse; alteram, eam nempe ipsam quam speraverat solatio sibi ac levamini futuram, a diabolo vexari; rogare itaque se eorum sanctitatem ut, ipsis huic benedicentibus, Dominus eam sanaret. Epistula imperatoris perlecta, senes dies plurimos pro infirma oraverunt, cui tamen sanitas non est restituta. Tandem institerunt Hilario eunucho, aegrotantis sorori, ut illam susciperet ac pro ea deprecaretur, imo recusantem ad eandem accipiendam adegerunt, et post paucos dies *puella* a daemone liberata est. Sancta autem *Hilaria*, quae sororem agnoverat, sed ab ea non erat agnita, eandem amplectebatur atque osculabatur, tum, quo lacrimis *liberius* indulgeret, foras egrediebatur. Dein eam ad senes adduxit, iis dicens: « Huic Dominus sanitatem propter preces vestras largitus est. » Porro illam ad patrem in pace remiserunt. Qui eius reditu cum omni domus imperatoriae familia laetatus est, et plurimas Christo Domino gratias egerunt *universi*. Tum patri interroganti quomodo se apud senes habuisset indicavit *puella* agendi rationem Hilarii,

seque ab eo amplexibus atque osculis multis donatam. Ea re commotus imperator ad senes misit, Hilarium eunuchum, qui filiae sanitatem restituerat, arcessens, *quasi* benedictionis ab eo accipiendae causa. Sanctam igitur iusserunt senes ad imperatorem se conferre, et fletus multos coram senibus omnibus fundenti ac pergere refugienti dixerunt: « Imperator hic pius est atque Ecclesiae amicus, neque tibi, quemadmodum Scripturae admonent, licet ei obsistere. » Revera ad imperatorem, quanquam aegre, se contulit. Quam imperator et huius comitatus consalutarunt, et, cum ceteri recessissent, ad eam accedens imperator ei confessus est, mirari se cur filiam suam deosculari solita fuerit, eaque re audita se commotum esse, et rogavit ut facti causam sibi aperiret. Aderat autem ipse solus cum imperatrice. Utrique igitur respondit *Hilaria*: « Afferte mihi Evangelium et iurate mihi, vos, postquam rem aperuero, non prohibituros quominus ad desertum revertar. » Qui iusiurandum ea de re dederunt. Tum illa revelavit se ipsorum filiam Hilariam esse, narravit quomodo egressa esset, habitu virili assumpto, iisque signa ostendit quae in se noverant. Multos idcirco clamores et fletus ediderunt omnes, ingensque in palatio *regio* tumultus factus est. Dicentibus autem sibi: « Non sinemus te deinceps *abire », sancta iusiurandum in memoriam revocavit, et, apud eos vix mensem morata, desertum repetiit. Ex illa die imperator incolis deserti fruges, commeatum et quidquid ad victum eorum pertinet ex Aegypti proventu assignavit, et monachi, ipsorum numero multum adaucto, coeperunt cellas aedificare. Sancta vero et pura Hilaria, postquam, e domo patris regressa, quinque annos superstes fuerat, mortua est [1], neque ullus, nisi post obitum eius, novit eam feminam esse.

Ipsius precum benedictio nobis adsit. Amen.

Eadem die, ad requiem vocatus est sanctus Gregorius ('Agrīğūryūs), Basilii frater, episcopus nyssenus (Nīsīs), cuius patrem et fratres antea, die *mensis* ṭūbah sexto, memoravimus. Sanctus hic, praepositus urbi Nyssae episcopus, eximiis dotibus eminebat; et pars vitae eius supra, ad diem *mensis* ṭūbah deci-

[1] B add.: et memoriae proditum est, corpus eius ab Anbā Bamuā sepultum esse. Hic autem idem est qui, desertum ingressus eremitasque videns, Anbae Cyrillo adhaesit, prout die abīb octavo refertur.

mum quintum, praemissa est. Narrant, ab eo, dum sacrum perageret, Spiritum sanctum supra altare visum, tum *etiam* unum ex *cherubim* ei apparuisse, qui caput *sacra facientis* apprehensum in sinum suum attraheret, unde ille ipso in altari sopore ac stupore obrigeret; qui somnus corporeus vulgo existimabatur. Episcopatu annos triginta tres functus, ad sanctum Basilium, qui ex magnis austeritatibus aegrotabat, invisendum se contulit, illeque ei occurrit et eius adventu laetatus est. Cum autem ascendisset sanctus Gregorius ad missam celebrandam, sopore de more oppressus est, eique apparuit domina praecelsa Virgo Maria, ita ipsum alloquens: « Hodie ad nos migrabis. » Sacro persoluto, dum ipso postulante Basilius frater concionem ad populum habebat, dormienti similis videbatur; quem ubi voluerunt excitare, mortuum repererunt. Itaque iussit Basilius arcam ei confici, eiusque funus multis cum precibus celebravit.

Huius patris preces atque benedictio nobis adsint nosque custodiant. Amen.

p. 384. *Hodie requie donata est Hilaria, filia [1] Zenonis imperatoris. Huic non erat filius masculus, sed duae tantum filiae virgines, quas sollicitissime educaverat, eas primum artem scribendi, pro consuetudine magnatum imperii, edocens, et curans ab iis addiscendos psalmos, quos memoriter recitarent.
p. 385. Filia imperatoris natu maior, cui nomen Hilaria, *cum esset virginitatis amans imprimisque vitae monasticae cupida, non ausa est adire monasteria Elfāsindanūn [2], sciens se, propter patris sui metum, ab illis non susceptum iri. Quare, cupidini indulgens et forti proposito arrepto, secum reputavit quid sibi agendum esset ut vitam illam puram amplecteretur, quae est vita monastica. Et quadam die, cum se imperator, hora missae, ad ecclesiam contulisset, filia comite, oculos beata Hilaria ad caelum sustulit, in corde suo dicens: « O Domine, si me dignam iudicaveris pura illa vocatione et viam mihi complanare velis, audiam, *quaeso*, ex *missae* lectionibus [1] verba aliquid de proposito meo et exspectatione edicentia. » Ingressa ecclesiam, aurem admovit et audivit primum hanc magni Apostoli sententiam [2]: « Fide noluit Moyses vocari filius filiae Pharaonis, sed molestias multas cum populo Dei perferendas voluptati e peccato hauriendae atque temporalibus deliciis praetulit »; tum illud ex epistulis catholicis *effatum* [3]: « Divitiae huius mundi sicut herba et foenum »; item hoc ex Actibus *Apostolorum* [4]: « Equidem neque aurum, neque argentum, neque vestes concupivi, et nostis vos quoque harum manuum ministerio mihi suppeditata quaecumque opus essent »; item ex Psalmo [5]: « Gaudium eius auro et gemmis dulcius, suavius melle atque favo »; item ex Evangelio [6]: « Qui non abiicit omnes divitias non potest meus esse discipulus »; tandem in concione episcopi evangelium subsequente, *haec notarit* dicta: « Quare, o homo, sollicitum te praebes de iis quae transeunt et post te derelinques? Scito voluptates huius mundi caducas esse, neque divitiis confidas, quoniam divitiae hic manebunt, peccata autem ad tribunal Dei nos antecedent. » Magnificavit igitur illa Deum, dicens: « Prosperum fecit Deus consilium meum et viam mihi complanavit »; et postquam pax eis data est, quae ad fugam necessaria erant apparavit. Ipse autem Deus, qui benignus est, ei modum quo egredi posset indicavit.

Postero die, veste spatharii induta, cingulo pelliceo militum praecincta et baculum manu gerens, ad mare ita profecta est ut eam nemo agnosceret, et inventa navi quae ad urbem nomine Saphiram vela datura erat, navarcho dixit: « Velim ut, me depositurus, ad littus urbis Alexandriae applices, quoniam edicta imperatoris defero. » Respondit navarchus: « Clarissime spatharie, ad illum locum non tendimus; verum, si quidem de negotio domini nostri imperatoris agitur, non licet id differre. » Quamobrem illam advexerunt Alexandriam. Erat autem tunc temporis annos duodecim nata et adulescentula corpore venusta. Ecclesiam igitur Anbā Petri, martyrum postremi, ingressa, supplex ab eo petit ut sibi adesset; tum ad ecclesiam sancti

[1] Narrationis iam paulo supra ex codd. A, B, C, D, E, F insertae recensio multo longior ex G. — [2] Ipsam textus primigenii vocem arabicam exscribere necesse fuit, quia, etsi multa suadent hoc esse nomen classis vel coetus peculiaris monacharum aut monachorum (Fāsindanorum?), de horum tamen vel de monasterii ipsorum sive loco, sive origine, sive appellatione aliqua aliunde nota, nihil uspiam certi reperire contigit.

[1] Ad litt.: partibus. — [2] *Heb.*, XI, 24 sqq. — [3] IAC., I, 10, 11. — [4] *Act.*, XX, 33. — [5] *Ps.* XVIII, 11, 12. — [6] LUC., XIV, 33.

Mar Marci venit, quem rogavit ut rem suam adiuvaret; et, cum diaconum cui nomen Theodoro obvium habuisset, dixit ei:
p. 386. « Pax tibi, frater. Velim *mecum ad montem Scaetim venias; mihi quippe in animo est locum illum invisere. Mercedem tuam ego tibi dabo, quia e patria exivi ut lustrationem istam instituam. » At diaconus: « Iampridem, inquit, mihi inerat domine [1] spatharie, desiderium montem illum adeundi, et Deo forsan desiderium placuit. Sed, age, panem comedamus, et cras proficiscemur. » Cui beata *Hilaria:* « Optime. » Tum denarium eduxit et dedit ei, dicens: « Hoc *nummo* quae nobis opus sunt compara. » Accepto denario, diaconus ex eo tantum expendit quantum ipsis necessarium. Postridie iumentum straverunt, et ad ecclesiam Abū Minae venientes, ibi usque ad diem subsequentem pernoctarunt; tum in *desertum* Scaetim se contulerunt. De quibus illuc advenientibus rogata est sententia presbyteri Mar Bamfū, his verbis: « En spatharius *adest*, adducens secum diaconum. » Qui iussit eos ad se introduci, iisque ingressis, manus pro consuetudine monachorum iunxit et oravit; tum, postquam consederunt, multos sermones utiles ad eos direxit. Compellans autem beata Hilaria presbyterum purum ait: « Velim veste monachica a te indui et hic remanere. » Tum pater Anbā Bamfū: « Non poteris, fili mi, inquit, hic habitare, quoniam puer delicatus es et corporis otio assuefactus. Sed si optas vitam monasticam amplecti, perge ad el-'Anyāṭūn, quia hic est locus aquis amaenus [2] et magnus ibi divitum numerus, qui, institutum monasticum amplexi, absque molestia degunt et res inveniunt quibus delectentur. Nos autem ab *urbe* Miṣr procul distantes, item a planitie et a regionibus *inhabitatis* itinere quadraginta dierum semoti; neque ulla nobis delectatio ullumve lenimentum, adeo ut vel vestimentorum penuria atque inopia premamur. Nostris igitur alimentis ingratis et vitae nostrae arduae impar es. » At beata Hilaria respondit: « Scito, pater, me ad hunc montem sanctum toto corde venisse. Quod si me parvipenderis et repuleris, rationem tu Domino mea causa reddes. » Quibus auditis, senex purus Anbā Bamfū, miratus prudens adulescentis responsum, eum

[1] In textu: ô domina. — [2] Vocem *māġtab* alias nunquam occurrentem coniiciendo interpretor, legendo scilicet مغيّبة, pro مغتب.

admisit, locumque ei et diacono, in quo commorarentur, assignavit. Verum diaconus *senis* benedictionem petiit, ad urbem reversurus. Hilaria autem, imperatoris filia, dixit *seni:* « Pater, munuscula haec exigua a me accipe, eaque pauperibus distribue. » Cui ille: « Nulla re huiusmodi opus est nobis, quibus labor manuum nostrarum sufficit. Sed si qua in promptu tibi sunt, diacono committe, ab eo ad patriarcham transmittenda. » Itaque illi *diacono* dedit Hilaria quidquid suppetebat, baculum etiam aureum, cingulumque; *et diaconus, iis valedicens, il- p. 387.
linc discessit.

Beata *Hilaria*, ad sanctum Anbā Bamfū conversa, dixit: « Pater, vellem me schemate monastico induas. » Eam igitur attente consideravit pater, experimento probavit, donavitque pileo ex consutis fragmentis resarto et cilicio ex pilis confecto, quae illa statim induit; tum vestibus benedixit easque illi imposuit, ignorans eam esse imperatoris filiam. Eidem cellam dedit cellae suae vicinam, et illam frequenter invisebat. Ipsa autem, per gratiam Domini in se collatam, coepit lingua Aegyptiorum loqui, quam maxime dedita exercitiis asceticis, ieiunio et orationi. Fratribus admirationi erat propter modum quo, cum tanta corporis teneritudine, ista vestimenta rudia ferre posset; et cum, novem annis transactis, nulla genis lanugo incresceret, ei nomen indiderunt Hilarium eunuchum. Propter ieiunia multa, orationes et dura asceseos opera, aruerunt ubera eius et ab iis rebus immunis fuit quae in feminis fieri consueverunt.

Postquam autem, illo temporis spatio exacto, parentes omnem de ea spem abiecerant, voluit dominus — cuius nomen sit benedictum! — eam iis ostendere ac manifestare. Sororem quippe natu minorem, quam daemon improbus ac malignus invaserat, misit pater, Zeno imperator, militibus et praeceptoribus stipatam, ad multa monasteria et sedes seniorum devotorum, nec per eos sanavit illam Dominus, quia voluit gloriam Hilariae conciliare. Unde magnates palatii hoc dederunt imperatori consilium: « Vivat dominus noster imperator in aeternum! Scito in valle Habīb esse monachos sanctos et pios. Ad hos filiam tuam mitte, et confidimus, Deo dante, illorum precibus puris, puellae restitutum iri sanitatem. Quibus auditis, imperator, magnopere gaudens, designavit atque rebus necessariis instruxit

duos praeceptores, duas ancillas et militum manum, *quibuscum* puellam misit. Porro scripsit epistulam ad Alexandriae praefectum, ut filiam suam ad montem Scaetim perducendam curaret. Scripsit item imperator ad seniores *deserti* epistulam, qua dicebat: « Zeno, imperio indignus, cui, licet immerenti, hunc contulit Deus honorem, scripto alloquitur patres sanctos, pios et dilectos, qui pro salute totius mundi supplices fundunt preces, et eremitis, ascetis, monachis, in sancto monte scetensi, cui nomen Mīzān el-Qolūb, commorantibus pacem precatur. Imprimis procido in faciem pronus ante sanctitatem vestram. Dehinc vobis exponam, patres, quae a Domino propter peccatorum et iniquitatum mearum multitudinem expertus sim. Duas filias dedit mihi Deus, quarum altera a me discessit, nec de ea quidquam deinceps audivi, quod magno mihi maerori fuit, et huiusmodi tristitia oppresso altera supervenit tristitia, priore maior: filiam namque quae mecum remanserat et quam sperabam mihi solatio pro sorore futuram ac levamini, Satanas aggressus est, eam die nocteque vexans, adeo ut paene dixerim mortem ei fore vita optabiliorem. Mihi autem persuaserunt optimates palatii ut eam *ad sanctitatem vestram mit-
p. 388.
terem. Porro plena mihi inest de vobis fiducia, fore ut Deus orationem vestram non respuat et ut precibus vestris *filia mea* salutem consequatur. » Epistula Alexandriam perlata, dedit se praefectus in viam cum multis militibus, ut famulatum puellae praestaret, et ad monasterium se contulerunt. Quo statim ac pervenerunt, imperatoris litteras eduxerunt et sancto Anbā Bamfū tradiderunt, qui eas fratribus convocatis recitavit. Cum autem orare coepissent, puellam Satanas in terram proiecit et verberare coram iis perseveravit, ita ut praefectum eiusque comites universi mirarentur, dicentes: « Quomodo potest Satanas istud inter sanctos patrare? » Sancta Hilaria vero, sororem natu minorem intuita et agnoscens, corde tristitia oppresso et membris *quasi doloris igne* flagrantibus, lacrimas propter eam fudit. Quam cum viderent fratres animo idcirco dolentem, contristati sunt, et, oratione absoluta, arcessivit Anbā Bamfū unum ex fratribus quem sic effatus est: « Puellam hanc in cellam tuam admitte et assiduus esto in precibus pro ea fundendis, ut Deus sanitatem ei largiatur. » Ille tamen humiliter respondit: « Equidem non eum *sanctitatis* gradum asse-

cutus sum ut ista mihi in cella mea committatur. » Tunc dixit Anbā Mardāryūs: « Ipsam tradite Hilarioni eunucho »; et puellam sorori eius commiserunt. Quae coepit preces pro illa fundere cum lacrimis, ita ut madefieret terra, tum eandem complecti atque faciem eius deosculari, item cum ea in sinu suo iacente in eodem scamno decubitorio recumbere. Et, octo diebus elapsis, Dominus sanitatem puellae reddidit. Princeps autem, dux et milites, postquam die dominica apud illos *monachos* sacra communione refecti sunt, Alexandriam redierunt; et puellam, quae gratia Dei donata erat et e qua exierat daemon ille malignus, sibi commisam suscipientes famuli, ancillae, militesque, reversi sunt laetabundi, eo quod Dominus suum iter prosperum fecerat. Ipsi seniores ad Zenonem imperatorem epistulam dederunt, his conscriptam verbis: « Homines tenues qui in monte Nitri (en-Natrūn) commorantur litteras dirigunt ad virum potentem et victorem, servitutis suae imperatorem, Zenonem pium. Imprimis maiestatem tuam verendam nobilemque prostrati veneramur. Dominus solium tuum tueatur atque imperium tuum firmet, sicut imperium Davidis, Salomonis, Ezechielis (Hazqyāl) [1] et Oziae; regnum tuum a quavis perturbatione immune dirigat et, propter tuam de Ecclesia Christi Domini Dei nostri sollicitudinem, divinitus incolume praestet. » Imperator, ubi primum haec epistula ipsi reddita est, filiae suae sanatione plurimum gaudens, pauperibus convivia apparavit et multas elargitus est opes. Tum interrogavit: « Filia mea, quid tibi evenit in deserto scetensi? » Quae respondit: « Pater, me monacho et ascetae sancto, cui nomen Hilarius eunuchus, commiserunt. Huius precibus pro me fusis liberata sum, deditque mihi Dominus sanitatem. Idem me benignissime habebat et saepenumero mecum in strato et in scamno uno decumbebat. Audio tamen, pater, *monachos a feminis p. 389.
abhorrere et idcirco desertum incolere, quia nullum cum mulieribus colloquium appetunt. Quomodo *itaque* haec fieri potuerint equidem non intelligo. » Quae cum a filia audivisset, imperator, vehementer miratus, dixit: « Monachi daemones eiicientis ea non est consuetudo; istius modi mos inter monachos novus. » Quare ad Scetenses alteram dedit epistulam.

[1] *Sic*, mendo manifesto, pro *Ezechiae*.

qua haec continebantur: « Zeno imperator gloriosus et victor scribere praesumit ad patres iustos, puros ac pios in monte Sceti *commorantes*. Equidem liberalitate vestra atque beneficiis honoratus et precibus vestris obligatus, impar autem officio aliquid sanctissimis vestris personis rependendi, vos rogo ut fratrem Hilarionem ad me mittere dignemini. Cordi enim meo morbus inhaesit, et, propter doloris gravitatem atque acerbitatem, nec mare conscendere nec tantum, *quod interest*, spatium permetiri possum. Ad nos vero fama perlata est sanctitatis illius *monachi Hilarii*; eo confisi, si ad nos venerit, ex precibus eius utilitatem capiemus. » Postquam reddita est haec imperatoris epistula et omnibus sanctis monachis recitata, advocavit presbyter purus Bamfū beatam Hilariam et dixit: « Accinge te, frater, nam imperator nuntio misso te arcessivit. » Quod cum audisset Hilaria, gravi cordis maerore oppressa est. Eam igitur fratres confortarunt, sic exhortantes: « Vade in pace. Dominus tecum erit, teque ad nos incolumem reducet. » Tum cum ea miserunt duos fratres *iuniores* [1] et duos seniores, cunctique Constantinopolim profecti sunt. Quo simul ac devenerunt, gavisus est imperator et magnopere gestiens iussit illos introduci; iisque ipse obviam ivit et dixit: « Orate pro me, ut Dominus me in fide patrum meorum orthodoxorum servet. » Illis autem recedentibus, Hilariam filiam suam retinuit et eam seorsim sic affatus est: « O sancte pater Hilarion, precibus tuis nobis opus est, et ego opto sermonem tecum habere; verum noli sive irasci, sive contristari. Dum puella in conspectu tuo benedicto versabatur, eam, ut ipsa mihi narravit, os ad os osculabaris et cum ea in strato et scamno uno decumbebas. Velim igitur causam huius familiaritatis mihi pandas, utrum ex amore spirituali an carnali *ortum habuerit*. Veritatem mihi manifesta, non erubescens neque ex pudore reticens, ut ego a scandalo liberer. » Itaque virgo Hilaria secum reputavit, in corde suo dicens: « Malim equidem hoc secretum celare, sed vereor ne imperator ceteros monachos comtemptui habeat. » Quare respondit: « Vivat imperator in aeternum. Huc affer mihi quattuor sancta Evangelia. » Quibus allatis, subiunxit: « Iura mihi te secretum meum non revelaturum nec palam facturum, neque prohibiturum quin ad monasterium meum revertar. » Et iuravit imperator super *sacrosanctum Evangelium. Tum Hilarion: « Ego, inquit, sum Hilaria, filia tua. » Quod cum audisset imperator, tantopere miratus est atque obstupuit ut loquendo impar diu remanserit. Deinde, ubi sui compos factus est, ad filiam accedens, cecidit super collum eius, Iosephi instar, cadentis supra collum Beniamini, fratris sui, et fletum multum edidit. Re audita, mater et soror Hilariae accurrerunt, eamque complexae sunt, flentes, clamantes, manus eius et vultum deosculantes, volebantque eam a reditu in monasterium prohibere; verum iis obstitit imperator, dicens: « Promisi ei ego ac iuravi, eam a me non prohibitum iri. » Subdidit mater: « Ipsam nobiscum detineamus, eandem diademate imperii coronaturi. » Cui imperator: « Hoc nequaquam faciam. Sed gratias Deo agamus eo quod eam superstitem viderimus. » Rem eius ipse imperator celavit nec secretum illius revelavit. Monachos tantum detinuit tres menses, propter filiam suam, ut eam cotidie coram se haberet. Porro eam interrogavit modum egressus eius ex aedibus paternis; et ipsa quidem factum ei enarravit, quomodo vestem spatharii induerit, quomodo Alexandriam devenerit et quomodo ad desertum scetense perrexerit. Quibus auditis, imperator, admiratione commotus, decretum edidit de monachis montis Scetis, ut iis quotannis mitterentur tria millia ardeborum [1] frumenti, propter filiae suae oblationem [2], et sexcenti sextarii [3] olei: quae ita quotannis constituta manserunt usque ad hanc aetatem.

[1] Epitheton supplendum, ut videtur, ex contextu.

p. 390.

Illi autem *monachi omnes* ab imperatore dimissi ad monasterium suum redierunt. Post reditum vixit Hilaria duodecim annos, ac postremo aegrotans atque infirma, illius morbi gravis molestias insigni fortitudine toleravit, et sanctum Anbā Bamfū his adiuravit verbis: « Ubi dies meos morte clausero, tu, pater mi, qui totam vitam meam optime nosti, ne sinas exui me hac veste e fragmentis resarta, verum me ea indutam sepe-

[1] *Ardeb*, apud Hesych. ἀρτάβη, mensura erat aridorum, medimno Graecorum aliquando fere aequalis, sed pro temporum et locorum varietate maior vel minor. — [2] Ita ad litt., i. e., ut quasi nomine filiae et cum ipsa offerrentur. — [3] Ad. litt.: *qisṭi* (alia tum aridorum tum liquidorum mensura; gr. ξέστης).

liatis. » Statim igitur ac gloriosam honorificamque mortem obiit, adstitit sanctus Anbā Bamfū et ipso iubente fecerunt quae illa praescripserat. Postquam autem eam sepelierunt, sedens sanctus Anbā Bamfū et fratribus omnem huius *virginis* purae sanctitatem exponens, dixit: « Heu! me infirmum et maxime contemptibilem omnium monachorum qui in monte Sceti habitant! Quisnam tantam acquisivit patientiam quanta opus fuit sanctae illi *puellae* inter multos viros degenti? Quis ita a rebus immundis abstinuit, et ita a se corporis commoda, superbiam, voluptates, abdicavit? » Iis auditis, fratres Deum glorificaverunt. Illi autem *Hilariae* dedit Deus sortem et gratiam insignem, qua obiit ipso die mortis Virginis illius quae mater est Lucis *aeternae,* divae, *inquam,* Mariae; hunc ei honorem concessit Dominus eo quod vitam Mariae *aemulando* amaverat. Ad imperatorem, patrem illius, epistulam dederunt *monachi,* qua eiusdem mortem narrabant; et ipse quidem primum tristitia affectus est; subinde vero puellae matrem consolatus est, dicens: « Eum laudaverunt cui progenies in Sion et filii in Ierusalem, prout scriptum apud Isaïam prophetam: Beatus ille cui semen in Sion. Sane potest haec pro
p. 391. nobis apud *Dominum et Deum nostrum Iesum Christum intercedere, ut nobis peccata et iniquitates nostras condonet. » Hanc, *quae praemissa est,* narrationem dictavit, scripsit et in ecclesia scetensi, solatii atque utilitatis ergo, posuit sanctus Anbā Bamfū.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Hac eadem die, requie donata est domina celsissima Sophia; cuius vitam sanctam, electam, puram, audite. Dux erat exercitus christiani, cui nomen Theognostos (Ṭāwoǧnosṭos), cognatus amplissimis, iustis ac piis imperatoribus Arcadio et Honorio, uxoremque habebat Theodoram (Ṭāwoḏūrā), quae marito suo iusto obediebat. Erant autem divites et sua in Deum pietate celebres, ac maritus munere administri [1] imperatoris fungebatur. Cui imperator saepe dicebat: « Confer te in aedes patris patriarchae, ut, hoc tibi benedicente, te donet Deus prole mascula, quae tibi succedat. » Et cum rerum status in dies protraheretur, exhortatione imperatoris uxori suae mani-

[1] Ad litt.: veziri.

festata, ambo in ecclesiam, ad me Iohannem, virum tenuem atque indignum, venerunt, secretumque suum mecum communicaverunt. Quibus ego: « Manu Dei cor imperatoris dirigitur, et dubitare licet an illa verba spiritu prophetico protulerit. » Tum eos in ecclesiam introduxi et iis benedixi, sic orans: « Qui, Rebeccam exaudiens, Iacobum ei dedit, et Annam exaudiens, Samuelem ei largitus est, ipse idem, mirabilia sua manifestans, vos exaudiat vobisque tribuat quod postulatis. » Simul autem iussi mihi afferri paululum aquae lebetis, itemque paululum olei lampadis, illos unxi, et ipsi domum in pace reversi sunt. Post novem menses iis in lucem editum est insigne hoc donum, beata nimirum Sophia, quae luce sua et vita ascetica atque angelica totam urbem nostram illustravit. Eam sibi natam, expletis diebus purificationis eius, *parentes* ad ecclesiam attulerunt, et dixerunt: « Hic est, pater, benedictionum tuarum fructus. » Ei igitur benedixi, gratias Deo egi ob magnum illud bonum quod absque mora largitus erat, et illos sic admonui: « Deum glorificate et fidem in nomen eius ad finem usque constanter retinete. » Rei certior factus, imperator pius miratus est et Deo propter ea quae evenerant laudes persolvit. Puella autem usque ad aetatem quinque annorum completam a matre optime educata fuit; erat quippe venusto aspectu insignis, forma egregia, vultu florente, statura erecta et iusta, eboris instar. Cui parentes cubiculum in solario domus suae, in honorem imperatorum Honorii et Arcadii, exstruxerunt, ne ullus hominum eam videret; tum illud filiae cubiculum pater exornavit multo auro puro atque gemmis *pretiosis ita intextis p. 392.
ut ornamentum stellarum caeli imitarentur; spondas eburneas et pulvinaria reclinatoria ex auro confecit, itemque musivo ex auro puro crucem in terra depinxit, super quam illa adoraret et qua se signaret. Postquam aliquantulum adulevit *Sophia,* a parentibus uni nobilium ducum exercitus christiani, nomine Castori (Qaṣṭūr), desponsata est, et ubi aetatem quindecim annorum assecuta est, iuncti sunt, ex sententia imperatoris, matrimonio legitimo, quale lege Dei praescribitur. Adulescens autem ille, cui nomen Castor, tum patre, tum matre, utroque sublato pestilentia quae eo tempore grassata erat, orbus, ab illis duobus beatis *Sophiae parentibus* magni fiebat. Mox, ex eodem adulescente, amplissima atque beata Sophia tres filios

genuit, quos nunc novistis, et quorum primum Stephanum appellavit, nomine Stephani protomartyris, alterum Paulum, nomine Apostoli, et tertium Marcum, nomine Marci evangelistae. Subinde mortuo adulescente Castore, militum christianorum duce, Sophiae marito, praecepit imperator ut Stephanus, defuncti filius natu maximus, locum patris a dextris ipsius imperatoris teneret, et ut Paulus, eius frater, a sinistris staret. Erant autem *ambo* apprime orthodoxi ac fidei matris suae inhaerentes. Posthac obierunt et huius beatae Sophiae parentes, primum quidem pater, dein mater, atque ipsa sancta Sophia sola cum tribus filiis suis remansit, amplas divitias haereditate a patre et a marito consecuta. Tum secum reputavit, intra se dicens: « En parentes mei ad Deum migrarunt, relictis mihi his divitiis plurimis, quae non potuerunt mortem ab eis arcere; item vir ille alter, cui adiutrix fui, prout in lege praescribitur, ipse quoque viam iniit ab unoquoque ineundam, nec potuerunt divitiae eum a morte tueri. Porro me quoque admonet Deus: Animae tuae consule, quoniam illos consequeris et ad te quidem ordine devenit moriendi sors. Quod si dixerim ego: In mundo remanebo vidua propter liberos meos, non tantum me ad se advocabunt imperatores, verum me ad alteras nuptias contrahendas adigent, et Deus odio me habebit, atque ab ipso repudiabor, a parentibus et marito meo procul futura. Si vero dixerim: In coenobium me conferam et monacha fiam, imum cor propter liberos quandoque exardescet, iique monasterium mea causa incendent. Quid igitur faciam? Surgens, ibo ad ecclesiam, patrem patriarcham conveniam, et quaecumque mihi indicaverit *agenda*, agam atque exsequar. » Surrexit igitur femina illa sancta, et in aedes episcopales se contulit, ut tenuitatem meam, me Iohan-
p. 393. nem Chrysostomum, conveniret, coepitque de me interrogare. Cui responderunt: « Ipse in ecclesia divae Virginis *Mariae operam dat populo edocendo. » Illa itaque ostiario dixit: « Vade et nuntia patri Chrysostomo Sophiam, filiam imperatoris [1] beati Theognosti, ducis exercitus christiani, optare ut in eius conspectum admittatur. » Quod audiens ego ad eam misi duos ex

[1] *Sic* in textu arab., ubi haec vox manifeste abundat, nisi tamen hic, ut infra, latiore sensu usurpetur.

praepositis caelibibus [1] qui ecclesiae inserviunt, ut illam magno cum honore introducerent, ingressaque est conclave quoddam in ecclesia separatum, *exspectatura* dum sacram communionem dedissem populo, imperatori et illius *ipsius Sophiae* filiis, qui adventus matris suae in ecclesiam inscii erant. Post missam autem, conclave ingressus una cum Marco, archipresbytero et praeposito, iussi adduci mulierem illam puram, cuius faciem a die quo eam baptizaveram usque ad illum articulum non videram. Quae ubi intravit, coram me prona cecidit, flens et mihi propria imperatorum lingua dicens: « Domine mi, pater patriarcha, quid faciam ut salvem animam meam, qua mundus totus non est dignus? » Ei respondi: « Filia, si quidem nosti mundum non esse anima tua dignum, iam intelligis quomodo salvam te atque ab eo tutam praestitura sis, idque in ecclesia propriis auribus audivisti. » Caeterum, videns Spiritum sanctum illius ore loquentem, subiunxi: « Spe in Deum fretus, confido imperatoris prophetiam, ad parentes ante ortum tuum directam, in te certo adimpletum iri. » Ipsa vero, prolatis muneribus quae attulerat, septingentis nimirum denariis, domum reversa est antequam, tempore prandii, filii eius ex palatio imperatoris advenirent. Postquam, dein, in cubiculum ingressa est, precibus fusis instanter a Deo petiit ut ea sibi inspiraret quibus animam suam salvam faceret; et illa nocte somno non indulsit nec desiit orationi vacare, prostrata ante crucem auream musivo depictam, et Domino atque huius matri Virgini supplicare. Ecce autem locus repente illuminatus est et solis splendore splendidior circumfulsit, viditque [2] nubem lucidam, quae, ad illam per fenestellam ingressa, in medium cubiculum demissa est. Lucem hanc fulgidam cum aspexisset illa mulier sancta Sophia, conturbata exclamavit: « O Iesu, rex vitae, mihi adsis. » Et continuo se ei praesentem e media nube exhibuit diva Virgo Maria, ipsam alloquens atque ita interrogans: « Nostine me, Sophia? » Quae dixit: « Nequaquam, domina mea. » Tum illa: « Ego Maria, Virgo pura, Vitae mater. Si Dei voluntatem amplecti cupis, ipse te non in hanc urbem advocat. Surge, sequere me, et ego te Filio meo despondebo. » Sophia vero in faciem ante pedes Virginis prostrata, quasi in *vi- p. 394.

[1] Vel: viduis. — [2] Cod., mendose sane: vidique.

sionis statum raptu evasit, ignorans quae sibi evenirent. Postridie, se in Olivarum monte, supra sanctam Hierosolymorum urbem, constitutam reperit. Erat ibi virginum asceterium, montis cacumini impositum, in rupe excisum, quod Societatis monasterium nuncupabatur et cui praeerat virgo sancta, nomine Euphemia, saepe donata visione angelorum Dei cantantium in ecclesia Resurrectionis et in Golgotha, ubi Christus crucifixus est. Huic *abbatissae*, dum primo diluculo stans oraret, se exhibuit angelus, qui ei dixit: « O Euphemia, o Euphemia, diva Virgo, purissima Maria, hac ipsa nocte in hoc monasterio una cum Filio suo adfuit; vos autem nostis quod scriptum est [1]: Vigiles estote atque experrecti, ne *ex improviso* veniat sponsus. Age igitur, surge, et, extra monasterii portam egressa, invenies electum hoc Dei vas; quod suscipe et in hunc locum admitte. » Et confestim discessit ab ea angelus. Sancta Euphemia vero, illius monasterii rectrix, secum assumptis duabus virginibus sanctis, mane, primo diluculo, cum iis extra monasterii portam egressa, invenit sanctam Sophiam sedentem, involutam pallio serico, cui aurum purum intextum, cruce illa aurea quae in ipsius cubiculo insculpta erat ante eam erecta. Ipsa sancta Sophia, ignorans se e cubiculo excessisse, sibi videbatur in visione constituta. Hanc ubi rectrix *monasterii* vidit, putans eam imperatricem esse, Arcadii imperatoris uxorem, turbata est, et se in terram venerabunda proiecit. At vero sanctae Sophiae aperti sunt oculi, cumque cerneret illud montis cacumen, monasterium et virginem ante se prostratam, perturbatione atque stupore attonita, lingua sua dixit: « Unus est Deus »; quippe quae, e populo constantinopolitano oriunda, linguam populi hierosolymitani non callebat. Nihilominus manu aliis innuit ut se in monasterium admitterent, et, quamquam sua illas lingua alloquebatur nec loquentem caeterae intelligebant, eam tamen in coenobium introduxerunt, luce iam splendente et sole iam exorto. Et omnes quidem virgines convenerunt, ut istud prodigium contemplarentur. Ex quibus una erat, nomine Aḫrūsā, quae ancilla fuerat duci cuidam exercitus christiani in urbe Constantinopoli, tum ab hero suo anfugerat et, huc delata, in quiete et silentio propter Deum

[1] Cf. Matth., xxiv, 42 sqq.

degebat. Haec, simul ac vultum sanctae Sophiae aspexit, vehementer obstupescens, alta voce exclamavit: « Domina mea Sophia, quomodo cubiculum tuum auro exornatum reliquisti ut huc transmigrares, vel quis *te direxit et ad locum tam procul p. 395. distantem transtulit? Ubi tres filii tui, imperatores [1] carissimi, Stephanus, Paulus et Marcus? siquidem pater tuus et mater obierant antequam Constantinopoli abscederem. » Beata Sophia, cum hoc vidit et suam audivit linguam, laetata est et, oculos attollens, ait: « Illos omnes reliqui propter Dominum meum Iesum Christum, isque ipse dux mihi fuit meque huc attulit. » Tum Aḫrusam amplexata est, gaudens a se aliquam inventam quae linguam suam calleret et quacum colloqueretur. Et eadem quidem sancta Sophia [2] alteri exposuit quaecumque accidissent, et quomodo nube ex urbe Constantinopoli sublata et huc asportata fuerit. Omnia dein Aḫrūsā matri *abbatissae*, sororibus atque virginibus enarravit, tum, archidiaconum hierosolymitanum adiens, certiorem eum fecit universorum quae evenissent, et, quia iram imperatoris metuebant, rem detulit archidiaconus ad patrem patriarcham in urbe Hierosolymorum, eique omnes Sophiae casus notos fecit. Quare surrexit patriarcha Anbā Theodorus et pedibus gradiens venit ad virginum monasterium, ac propriis oculis miraculum contemplatus, regem magnum Iesum Christum glorificavit. Tum, secum reputans, dixit: « Timemus ne quid grave ac molestum huic urbi inferatur ab imperatore et tribus huius *mulieris* filiis. Itaque continuo scripsit iis epistulam, relationemque composuerunt de universis rebus quae factae fuerant, et eam ad imperatorem pium Arcadium miserunt. Dum autem litterae in via sunt, antequam ad urbem Constantinopolim pervenirent — in itinere enim, priusquam illic redderentur, trium mensium moram expertae sunt, — illius *Sophiae* filii, in domum suam ingressi, matre non inventa, vestimenta sua sciderunt et eius causa omnia perlustrarunt quin eam reperirent. Quamobrem imperatorem rei certiorem fecerunt, qui factum admiratus et tristitia magna affectus est. Tunc vir quidam pravus, ad filios accedens, dixit eis: « Sane matrem vestram vidi ego in patriarchae ae-

[1] *Sic.* — [2] Ita ex unius voculae correctione obvia; in cod.: infirma, debilis.

dibus. » Illi ergo cito sese ad ecclesiam contulerunt, vestibus discissis et capitibus pulvere conspersis, clamantes cum servis suis et dicentes: « Pater patriarcha, dona nobis matrem nostram, ne propter eam moriamur; sis nobis, domine noster ac pater, auxilio, quia ignis in membris nostris exarsit. Vivit Christus Dominus, si nos tempore hoc difficili benignus respexeris, nos et ipsa mater Ecclesiae legibus in perpetuum obsequemur. Matrem nostram tantum nobis restitue, ut vultum eius intueamur, quia viscera nostra disrupta sunt, et mortem nobis vel strangulatione vel immersione in fluminis aquas inferemus. » Et filius quidem natu minimus, Marcus, in pulverem
p. 396. extra ecclesiae portam proiectus, mortui instar, iacebat. *Porro ab archipresbytero certior factus eorum quae gerebantur, statim surgens et ad ecclesiae tribunal [1] descendens, prohibui ne ullus praeter tres filios admitteretur. Qui ubi ingressi sunt, proni in terram ante pedes meos prociderunt, amare flentes, nec nisi aegre eos consolari potui, illorum capita osculatus et corda signo crucis signans, donec eos induxissem ut considerent, parati ad colloquium mecum serendum; nam et ego multum flebam, eorum quae acciderant causa, videns tres istos iuvenes stirpis regiae [2] tanto maerore de matre sua oppressos. Tum illi me ita affati sunt: « O domine noster ac pater, nobis nunciatum est matrem nostram apud te esse. Noli itaque de nobis curam non agere; hac tristitia magna moriemur. Te nostri misereat, pater, neque illam unquam ab obedientia tua avertemus. » Dum autem me his aliisque similibus verbis alloquuntur, ecce angelus Domini latus meum tetigit, mihi dicens: « Iohannes, mulier quam requirunt isti, Hierosolymis, in quodam ex virginum coenobiis, nunc habitat. Nube sublata est et illuc unius noctis tempore translata, ac post tres menses litterae de ea ad vos pervenient. » Et cum omnia mihi enarravisset angelus, quae illi accidissent, ad filios conversus, cum his communicavi quaecumque angelus Domini mihi nota fecisset; iique domum redierunt, gravi oppressi maerore.

Ipsa vero beata Sophia ascesi arduae se dedidit, corpusque assiduis subiecit religionis exercitiis, famem et sitim tolerando,

[1] Vel: conclave. — [2] Ad litt.: reges seu imperatores; ubi tertium iam in hac eadem historia exemplum latioris significationis nomini arab. *malek*.

ita ut, procedente tempore, singulis tantum sabbatis manducaret nec quidquam cibi sumeret, nisi pauca grana aqua madefacta. Deus enim benignus eam iuxta voluntatem suam direxerat. Elapsis porro tribus mensibus, advenerunt litterae patriarchae constantinopolitani [1], et imperatori redditae sunt. Qui, litteris perlectis, admiratus est quomodo nubes illam sustulisset et in montem Olivarum detulisset. Idem autem imperator pius Arcadius in faciem procidit, Dominum adorans, imo contristatus corde atque lacrimans. Dein surrexit, ad ecclesiam venit, mihique arcessito tradidit epistulam patriarchae *hierosolymitani*: tum me interrogavit: « Quid faciemus, ut filios eius, qui sunt ex regni optimatibus, propinqui ac cognati mei, consolemur? » Cui sic respondi: « Nemo est qui potestati Christi Domini resistat: verum illos huc arcesse. » Tum imperator eos advocavit, duobus conclavis sui custodibus missis, qui dicerent: « Ecce imperator et patriarcha vos coram se adesse exoptant. » Surrexerunt igitur et ecclesiam adierunt tres *fratres*, quorum vultus maerore ac tristitia commutati erant, et, ecclesiam ingressi, voces suas sustulerunt, conclamantes: *« Restitue nobis matrem nostram, o pater, quia p. 397 propter eam iamiam morituri sumus; auxilio nobis sint preces tuae, o pater noster; corda enim nostra maerore et tristitia confecta sunt. Confidimus autem illam, etiamsi mortua sit vel a feris devorata, posse per preces tuas puras a Christo Domino nobis suscitari. » Illis vero imperator epistulam tradidit. Quam cum legissent et didicissent quae ad ipsorum matrem pertinentia eadem continebantur, plurimas fuderunt lacrimas, dicentes: « Non manebimus a matre nostra separati. » Videns-que imperator dolorem cordis eorum et tristitiae gravitatem, iis litteras cum mandatis imperatoriis peremptoriis dedit ad urbem Hierosolymam, ut magno cum honore exciperentur. Tum ipsi, multa pecunia assumpta, naves [2] conscenderunt et dederunt se in viam, navigantes; moram tamen in itinere experti, non-nisi post sex menses completos ad urbem Hierosolymam pervenerunt.

At vero qui novit omnia priusquam fiant, Deus — cui sit

[1] *Sic*. Lege: hierosolymitani. — [2] Vocabulum arab., quod perraro occurrit, ab hominibus vulgi videtur imprimis usurpatum de navibus onerariis.

laus et gloria! — noluit laborem matris eorum Sophiae inanem esse. Haec, corpore *magna austeritatum* copia extenuato, in morbum incidit inde a die duodecimo mensis ṭūbah, qui dies est baptismi Domini nostri Iesu Christi; eique *tum* se praesentem exhibuit Virgo pura, regina veritatis, eam sic compellans: « Amica mea, Sophia. » Respondit illa: « Domina mea, ecce me, qui te toto corde diligo et tota anima. » At diva Virgo Maria: « Age, *parata sis* ad quiescendum mecum in regno Filii mei. Ego quippe, post decem dies, in festo commemorationis meae, te conveniam et ad me in caelum deducam. Verumtamen tres filii tui ad te venerunt, eosque mox oculis tuis ante mortem tuam contueberis. Quos admone ut viis tuis incedant et ita sedem in iis locis obtineant in quibus orabis. Corpus autem tuum, ad urbem Constantinopolim translatum, illi deponent in cubiculo ubi preces fundere solebas, ac domum tuam consecrabunt ecclesiam in nomine Filii mei; in ea magna evenient miracula, eritque communis totius imperii ecclesia in perpetuum. » Dixit ei beata Sophia: « Domina mea, en omnia mihi revelasti. Quid igitur Domino Deo retribuam, o celsissima regina, mater Vitae et mundi patrona, pro miraculo quo donata sum? » Cum autem perseveravisset Virgo totam illam noctem in ea confortanda, ab ea discessit, et ex illa die usque ad tempus seiunctionis a corpore non comedit *Sophia* quidquam ex alimentis huius mundi. Porro die vigesimo mensis ṭūbah *exeunte* et illucescente diei vigesimi primi aurora [1], qui erat dies festus Virginis Dei genitricis, ad urbem Hierosolymam pervenerunt Sophiae filii, epistulam imperatoris deferentes et multis militum turmis stipati. Quibus obviam processerunt princeps civitatis et patriarcha, eosque
p. 398. *magno cum honore in urbem introduxerunt. Postquam *tres filii* in locis sanctis adorationis obsequia exhibuerunt, de monte Olivarum percontati, imperatoris epistulas protulerunt, iisque perlectis, quae continebantur mirati sunt audientes. Porro illis praeivit pater patriarcha ad locum monasterii matris eorum, militibus *interim* Hierosolymae subsistentibus, ne, uti monebat princeps, si monasterium adirent, perturbatio propter eos inter monachas oriretur. Et illi quidem, advenientes, ianuam pulsaverunt; qua iis statim aperta, non ingressus est nisi patriarcha cum tribus filiis.

[1] Ad litt.: die vigesimo ṭūbah, diluculo vigesimi primi.

[1] Hi, cum matrem in tanta humilitate *degentem* viderent, multum fleverunt, vestibusque scissis atque crinibus evulsis, ianuam capitibus percusserunt. Mater vero, oculis in caelum sublatis, ait: « Deus meus, quid dicam et quas tibi referam grates propter beneficia quibus me cumulasti, *siquidem*, imminente mihi hora ultima, ad me filios meos misisti, ut eos cernerem? » Quam postquam diu deosculati sunt, totum corpus eius purum ad benedictionem exinde captandam contrectantes et amaras fundentes lacrimas, ipsa eos magna imperandi vi atque attentione ita allocuta est: « Filii, viscera mea et animae meae gaudium, pacato parumper estote animo, ut omnibus peculiaribus meis exhortationibus vos muniam; tempus enim praeterlapsum est, et Virgo purissima, domina celsissima Maria, ad me adveniens, me hac ipsa nocte invisura est. » Tum iis enarravit omnia quae sibi evenissent et quomodo nube ab urbe Constantinopoli translata fuisset; eos in omni Dei servitio erudivit, admonuitque ut opes asceterio monacharum virginum largirentur, eo quod ipsae me, inquiebat, peregrinantem susceperunt et beneficia in me contulerunt. Totam illam *noctem, quae* erat nox *incipientis* diei vigesimae primae mensis ṭūbah, usque ad galli cantum exegit praecepta vitae iis inculcando; tum dixit eis: « Vos, filii mei, Domino committo: ecce enim mihi adest Regina veritatis et vitae. » Dein, ubi filiis suis atque universis virginibus in pace valedixit, faciem suam ter signavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, atque, aperto ore, animam emisit die mensis ṭūbah vigesima prima, eademque Virgini, quae mater Lucis est, sacra. Eo tempore, lux splendida locum implevit, audieruntque universae virgines angelorum concentum, quo illius animam canendo antecedebant. Corpus autem pannis sericis et vestibus acu pictis, unguentisque eximiis ac selectis involutum, triduano tempore in arcam marmoream deposuerunt, donec artifices atque aurifices periti arcam ex argento puro confecissent. Huic dein corpus mandarunt, eamque ad urbem Constantinopolim asportatam ac transvectam et in *pristinum* illius *sanctae* cubiculum illatam imposuerunt lecto

[1] Cod., mendose: monachis.

p. 390. eburneo, *quem auro electo exornaverant. Tunc confluxerunt multitudines plurimae, ut rem miram contemplarentur nobileque illius corpus omnium martyrum instar venerarentur; et ex eodem corpore virtutes multae atque miracula prodierunt. At vero imperator et filii eius quid sentirem percontati sunt, dicentes: « Domus haec Christi est, nec decet ullum hominum in ea habitare, praeter Christum Dominum et servos eius. » Quod *propositum* equidem minime despiciens, domum istam ingressus aqua lustrali adspersi et consecravi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, eidemque appellationem *ecclesiae* sanctae Sophiae indidi, *quae* usque ad hanc nostram aetatem *perseverat*. Ea est communis omnium ecclesia, in qua imperator sacram communionem semper accipit. — Nos vero, dilectissimi, mores illius sanctae virtutesque nobiles ac preclaras aemulemur, ut et eiusdem gloriam assequamur per gratiam et dilectionem illam qua Dominus noster Iesus Christus genus humanum prosequitur.

Ipsius precibus Dominus nos custodiat. Amen.

Eadem die, vita adulescentulae cui nomen Bartānūba[1] et quae, aetate imperatoris iusti atque orthodoxi Constantini et matris huius, imperatricis piae Helenae, degens, mortem obiit die *mensis* ṭūbah vigesima prima. Temporibus imperatoris iusti Constantini, qui, postquam ipsius mater, Helena pura, Hierosolymam se contulit ut crucem perquireret manifestaretque et eiusdem gloriam contemplaretur, hostes suos signo sanctae crucis superavit atque devicit, in finibus urbis Romae, monasterium erat, ubi monachae purae religionis exercitiis cum fide orthodoxa vacabant. Ad eas confugit virgo nomine Bartānūba, duodecim annos nata, faciei venustae, formae egregiae, famae atque aspectus eximii praeclarique, omnibus partibus perfecta. Quam magno gaudio exceptam illae ipsius nomen interrogaverunt, responditque sibi in baptismo Bartānūbae nomen inditum. Tum, crinibus eius abrasis, eam veste *alia* induerunt monachae, et sub harum regimine permansit, iisdem obediens virtutesque omnes adamussim exercens. Quicumque eam aspiciebat, formae et staturae pulchritudinem,

[1] Hoc nomen infra aliquoties, licet rarius, scribitur: Bartābūbā, Bartūbā, Bartābū.

itemque mansuetudinem, continentiam et urbanitatem admirabatur. Cum autem eam monacharum mater universaeque sorores propter humilitatem et pulchritudinem diligerent, ei invidit Satanas, cuivis rei bonae infensus. Qui, cum certo sciret ab imperatore Constantino quaeri puellam formosam, quam duceret uxorem, beatae Bartānūbae recordationem iniecit in palatium imperatoris et hunc certiorem fecit, in monte urbis Romae virginum asceterium situm et inibi virginem reperiri cui nulla alia femina in universo orbe par *forma, pulchritudine, intelligentia, castitate, circumspectione et fide. Proceres itaque sententiam ab imperatore rogati sunt. Cui responderunt: « Ad nos sane rumor pervenit de mira aspectus illius *puellae* pulchritudine. » Et illius quidem *interrogantis* cupido ab hoste incitata est. Quare arcessitos eunuchos et servos misit ad coenobium in quo virgo morabatur. Qui simul atque illuc pervenerunt, eam sedulo inquisierunt, et sibi praesentem propter pulchritudinem admirati, statim citra licentiam abbatissae abduxerunt. Monachae flentem flentes prosecutae sunt; quibus illa dixit: « Orate pro me, ut me Dominus ex hac tentatione molesta eripiat. » Ad imperatorem adducta et de caelo assidue cogitans, adducentes interrogavit quid consilii haberent. Responderunt eam ab imperatore expetitam esse. Ipsa vero non destitit secreto orare donec ab illis ante imperatorem sisteretur. Tum in terram se prostravit et, surgens vidensque crucem auream illius solio impositam, corde confortata est. Ille, eam intuitus, talemque videns qualis sibi descripta fuerat, magnopere gavisus est, iussitque eam in conclave suum interius introduci, donec a curis vacuus ad eam ingrederetur. Dein vero ingressus, in lectum se proiecit splendidum, exornatum, pretiosum, qualis imperatores decet; surgensque Bartūbā, cum in terram se prostravisset, imperatori dixit: « Vivas, o domine mi. » Cui imperator: « Consilium cepi, o Bartābū, te extollendi atque evehendi. Universas enim feminas mundanas reliqui, exoptans te mihi uxorem assumere, non ancillae instar, verum matronam liberam atque sinceram, ut, aurum exquisitum et argentum purum possidens, stolis, lapidibus pretiosis, gemmis egregiis, margaritis magni pretii affabreque dispositis exornata, induta vestibus lautis ac pannis magnificis, mihi filios parias tibi forma aspectuque consimiles,

qui throno post me potiantur. » Postquam finem fecit eam alloquendi imperator, surrexit *virgo* et, stans, vultum autem sursum nequaquam attollens, ac lacrimas fundens, dixit: « Audi primum, domine mi imperator, verba quae tibi proferam ego, serva tua. Etsi in manibus tuis sum, aurem mihi praebe. Quoniam mihi honores promisisti qui merita mea excedunt, Deum qui Davidem regno donavit, qui Salomonem sapientia roboravit, cuius crucem sanctam aspexisti, rogo ut te in solio tuo diu sospitem conservet et principes terrae regesque mundi tuae subdat potestati. *Verum* expone mihi primum, domine mi imperator, et explica regulam hac de re vigentem. Si vir, in hoc mundo, mulierem sibi desponderit et, huius possessor constitutus, victum ei ac vestimenta suppeditans, eam sibi devinctam subiectamque habeat, moramque tamen ei concesserit ad se in sua urbe conveniendum, voluerit autem vir alius eandem vi abripere, quid de huiusmodi homine lex Graecorum statuit atque decernit? » Respondit ei imperator: « Qui, limites transgressus, hoc fecerit, homo scelestus est,
p. 401. non christianus. » Tum *Bartābūbā, in terram se prosternens: « Dominus meus imperator recte locutus est et verum atque iustum verbis suis protulit. Qui autem ad normam aequitatis in causa hominis mox morituri sententiam dicis, quid dices in causa Regis caeli et terrae, si ancillam eius atque sponsam ab eo abstuleris, humiliaveris et inquinaveris? Quemnam praetextum obtendes tuae agendi rationi et quale responsum dabis, cum te visitaverit qui in te tantam contulit gloriam? Et profecto, si eum ad iracundiam provocaverimus, nec ipse se nobis in hoc mundo benignum praebebit, nec quidquam contra ipsius iram valebimus. » His auditis, imperator, utpote iustus et aequus, mentis illius *puellae* acumen atque sapientiam miratus est; et, quia Deum timebat ac reverebatur, confestim, eius iussu *virginem* ancillis, eunuchis et militibus stipatam ad ipsius monasterium deduxerunt. Cui obviam venerunt mater abbatissa et monachae, gestientes et gratias Christo Domino agentes, qui illam liberaverat et inviolatam reduxerat. Ipsa autem monachis percontantibus haec omnia, *quae praemissa sunt*, exposuit atque enarravit; et concelebrarunt gloriam Dei, qui confidentes sibi tuetur.

Verum hostis atque adversarius malignus non destitit hanc beatam Bartānūbam oppugnare; sed, in Persarum fines, in quibus idololatria *vigebat*, cito se conferens, huius virginis famam ibi divulgavit; rumoreque ad se perlato, rex, qui idolorum erat cultor, Deique ignarus et voluptatibus pravis deditus, misit militum et eunuchorum turbam, data simul epistula dolosa ad imperatorem Constantinum, eo quod timeret ne milites sui, Graecis occurrentes, ad illum pertraherentur; et militibus dixit: « In regionem Graecorum ingressi, sciscitamini ubi sit virginum asceterium in quo Bartānūbā, et hanc inventam arreptamque ad me celeriter deducite, iter neque de nocte neque de die intermittentes. Si eam ad me adduxeritis, magnis vos honoribus augebo. » Illi igitur profecti et ingenti propter Graecos trepidatione incedentes, reperto monasterio in quo virgo morabatur, eam arcesserunt, quasi eius benedictionem exoptantes; et ubi eis praesens adstitit, propter illius pulchritudinem obstupescentes, proque certo habentes istam esse quam quaerebant, confestim ablatam summa celeritate ad regem adduxerunt. Ipsa autem secum cogitabat: « In hoc certamine, quod est priore peius, quid faciam? Ad imperatorem qui Deum timet et nihil mihi nocuit me adduxerant. Nunc vero vir iste idolorum cultor est ac Dei ignarus. Sed inde occasionem forsitan nanciscar testimonium perhibendi veritati. » Ad se adductam et coram se constitutam *tyrannus* ille intuitus est et ardenti ac mala cupidine consideravit, pulchritudinem eius admirans. Ipsa vero, neque ad eum respiciens, neque eius admirans ornamenta domus eius regiae contemplata, mente in caelo cum Christo Domino versabatur. Rex tamen iussit conclavia sua ab eunuchis condecorari, et illuc, *atque* in interius *quidem* cubiculum, virginem introduxerunt. Ast virgo *silens stabat p. 402.
ac demissis oculis, quos nec semel sursum attollere voluit. Cui rex: « Tuae, inquit, Bartānūbā, pulchritudinis virtutisque fama ad me pervenit, adeo ut inde vel dormiendi facultate carerem. Hodie vero, voti mei compos factus, tibi assignabo triginta urbes, quibus praesis, et in manus tuas tradam claves thesaurorum ac divitiarum mearum, ut Persarum regionem possideas, una cum lapidibus eius pretiosis et margaritis eximiis, mihique uxor sis ingenua, cui famulentur, subsint atque obediant uni-

versi Slavi [1] et eunuchi mei. » At illa: « Si tibi placui et grata sum, ego, ancilla tua, quae in manibus tuis versor, et si me tantopere dilexisti, ea re gaudeo ac laetor. Verum itinere arduo mirum quantum defatigata sum, vestes meae sordibus obsitae sunt, crastina die celebratur festum divinum, et mihi opus est vestimento, thure, unguento rebusque ad lavandum necessariis, ut pura fiam et munda, prout celsitudinem tuam decet; itemque opus mihi est lignis et loco remoto ac solitario, ubi, sola prorsus et absque arbitris, sacrificium Deo meo, priusquam ad te ingrediar, ita offeram, ut nemo illud meum sacrificium videat. Opto etiam ut in alia re morem mihi geras et sic gaudium meum compleas, si quidem tibi placui. » Respondit, ille, libidine ab hoste incitata motus [2], gaudensque ac gestiens: « Quaecumque praescripseris libens perficiam. » Tum illa: « In mentem mihi incidit, et quidem sensibus non sopitis somno, me ante te morituram. Hoc est autem desiderium et consilium meum: volo mihi iures sacramentis deorum quibus venerationem adhibes, te, ea die qua mortua fuerim, praecepturum ut corpus meum in patriam meam transferatur et sororibus meis tradatur, quae me in sepulcrum patrum meorum deponant. Haec erit benevolentiae et honoris significatio suprema quam mihi concedes impertierisque. » Surrexitque rex laetus, eique per numina atque idola sua iuravit se quaecumque petierat praestiturum; et, digressus ab ea, optimatibus administrisque suis et universis militibus lautum apparavit convivium. Tum aquam, unguen corpori confricando, thus et aromata suavia, quae sollicitus comparaverat, ad puellam attulit, ligna in locum solitarium et ab arbitris remotum comportavit, iisque ignem subiici iussit. Porro surgens illa faciem, manus pedesque lavit et, veste interiore super corpus relicta, amictum exteriorem candidum induit, stans oravit, thus suum adoluit, sese in eum locum contulit ubi ignis accensus fuerat, ostio obserato donec idem exardesceret, ac *denique* Dominum Iesum Christum supplex ita precata est: « O Domine mi, tu pro me mortuus es, et ego vicissim pro te hac hora moriar. Signum tuum faciei ac corpori meo
p. 403. impressum, tibi nurus et sponsa facta sum. *Oblationem meam

[1] Vulgo notum est Slavicae gentis homines plurimos olim in servitutem redactos esse. — [2] Ad litt.: in libidine inimici.

e manu mea, quaeso, Domine mi, alacer suscipe; animam meam accipe, ut, inviolato virginitatis meae sigillo, Matri tuae, Virgini intemeratae, obsequium adhibeam et cultum. » Tum corpore, medium in ignem proiecto, emisit spiritum. Vestes autem eius corpori inhaeserunt nec combustae sunt, corpus ipsum ignis intactum reliquit, neque unus e capillis capitis eius consumptus est. Cum vero, mora diuturna interiecta, non egrederetur, Slavi atque eunuchi, ostio aperto, illam in medio igne iacentem mortuamque viderunt. Quare, stupore attoniti neque audentes regem de re certiorem facere, coeperunt illius adulescentiam atque peregrinitatem lamentari donec rex audiret. Qui surgens, maxime conturbatus accessit et, corpus in medio igne mortuum conspicatus, manus complosit et ait: « Ista vere mentem meam perturbavit meque ludibrio habuit; et, quod mirum imprimis, grave mihi imposuit onus, iuramentis atque sacramentis firmatum, ut nempe corpus ipsius in patriam transferam. » Porro confestim iussit corpus, sedulo custoditum vestibusque regiis cum aromatibus sepultum, deferri. Eam, dormienti haud absimilem, asportantes ad illius monasterium profecti sunt; atque ea de re certiores facti populi et *imprimis* sorores obviam Persis mortuam afferentibus exierunt, a quibus cum didicissent quaecumque illi accidissent, gaudentes virginitate eius servata, eiusdemque sapientia et martyrio, laudes persolverunt Deo, cui gloria in aeternum.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

*Dies mensis Ṭūbah vigesimus secundus. p. 227.

Hodie requie donatus est vir sanctus et iustus, deserti splendor et universorum monachorum pater, Antonius Magnus. Erat hic sanctus ex incolis Qiman, *qui vicus est* a parte australi Miṣr *situs*, et parentes habuit christianos. Annos viginti [1] natus, sacro baptismo tinctus est, et, patre mortuo, omnes divitias infirmis et pauperibus distribuit, atque sororem, quae ei unica erat, virginibus commisit. Asceseos ac solitudinis flagrabat amore. Vitae autem monasticae nomen nondum emerserat, sed quicumque vellet vitam solitariam agere, ille ex urbe patria haud procul digrediebatur, ut ascesi solus va-

[1] C: quattuordecim.

caret; quod et sanctus Antonius fecit. Satanas vero eum tentationibus taedii, fastidii, neglegentiae et peccati committendi oppugnabat, et ei praesens ingerebat phantasma feminae quae cum ipso dormire videretur; sed haec omnia ille, Christi Domini ipsi adstantis auxilio, fortiter sustinebat. Postea in sepulcrum quoddam se contulit, ubi habitavit, multis inibi religionis exercitiis vacans, ostiumque loculi sibi occlusit; sed eum noti eius invisebant, cibum afferentes. Hoc vitae institutum ubi viderunt satellites Satanae, invidia moti, eum aggressi sunt et multis acerbisque affectum verberibus iacentem reliquerunt; sed accedentes amici, invisendi causa, illum eo in statu inventum ad ecclesiam asportarunt, et Dominus sanitatem ei restituit. Postquam autem ad se rediit, iussit se ab illis deferri et in suum reduci locum. Quamobrem daemones, ea in re devicti, illum variis plurimisque phantasmatibus vexaverunt, ad eum specie ferarum, luporum, leonum, serpentium, scorpionum, venientes, quorum animalium unumquodque in illum, devorandi causa, irrueret. At ista ipse irridebat, sic eadem alloquens: « Si quam in me potestatem haberetis, unum sane vestrum mihi satis esset »; tumque e conspectu eius fumi instar evanescebant. A molestiis et tentationibus *deinceps* quievit, deditque ei Dominus victoriam in daemones.

Panem bis quotannis conficiebat et exsiccabat. Non sinebat quemquam ad se ingredi; verum foris consistebant *quicumque eum adirent* et loquentem audiebant. Postquam viginti annos exegit Deo ascesi severissima inserviens, a Christo Domino iussus hominibus prodesse eosque Dei timorem ac devotionem
p. 228. docere, ad regionem Phaeumensem (el-Fayyūm) se contulit *et, fratribus qui ibi habitabant confortatis, ad monasterium rediit. Quo tempore martyres morti tradebantur, ipse, martyrii desiderio flagrans, coenobio relicto, Alexandriam venit et Christum confessus est; sed nemine eum apprehendente, eos qui in carcerem propter nomen Christi coniecti erant visitabat et consolabatur. Cum autem iudex, videns quam parum timoris ei inesset, prohibuisset ne ullus monachorum in publicum prodiret, ipse nihilominus se ei palam exhibebat eumque alloquebatur, sperans se illius iram forsan in se concitaturum et tormentis ac martyrio affectum iri; nec tamen a iudice interpellatus est, quia nimirum Deus eum in plurimorum emo-

lumentum servabat, et Deo res ita disponente, in monasterium suum reversus est. Vestimento e pilis confecto tegebatur, et aqua calida nunquam, toto vitae tempore, lotus est. Sed cum multi ad eum confluerent, eius doctrinam audituri, ea re perturbatus, Domino praecipiente, in desertum interius ingressus est. Itinere nempe trium dierum cum Arabum caterva ad interiorem deserti partem perrexit, donec aquam cum cannarum silvula et palmeto exiguo invenit. Ei placuit locus iste et ibi habitavit, Arabibus panem ei afferentibus. Erant in deserto ferae nocivae complures, quas huius sancti precibus Dominus inde expulit, eodem non reversuras. Identidem, ad monasterium suum exterius egressus, fratribus qui ibi commorabantur visitatis atque confortatis, dein monasterium interius [1] repetebat.

Fama eius ad imperatorem Constantinum Magnum perlata, dedit hic ad eum epistulam qua ipsum laudibus extollebat seque precibus eius commendabat. Itaque fratres imperatoris epistula gavisi sunt; ille vero se eiusdem incuriosum praebuit et dixit eis: « En nobis *praesto sunt* Regis regum litterae, quibus quotidie admonemur, easque respuimus et neglegimus. » Neque nisi aegre eo adductus est ut responsum scriberet, fratribus ipsum urgentibus dicentibusque: « Hic imperator iustus est et Ecclesiae amicus »; tuncque ei rescripsit, ipsum confortans et benedictione donans. Cum taedium *quondam* ei supervenisset, vocem audivit dicentem: « Foras egressus, aspice. » Et egressus, angelum invenit, stola longa [2] indutum, zona dura, schematis *monastici* instar, praecinctum, super cuius caput *cucullus cassidi similis, qui sedens *palmarum folia* contexebat, tum stans orabat et dein iterum contexendi labori vacabat. Vox autem ad eum directa est dicens: « Antoni, hanc agendi rationem sequere, et quiete perfrueris. » Itaque ipse illum assumpsit habitum, qui ex illa die evasit habitus monasticus, et coepit opera plectilia conficere, neque taedium eum deinceps invasit. Porro praedixit Ecclesiam pessumdatum iri, haereticos in eam praevalituros, eam p. 229.

[1] A, mendose: exterius. — [2] Ita interpretor, propter contextum et quamdam cum nomine graeco στολή analogiam, vocem *uṣṭuwānah*, cui a lexicographis nulla alia attribuitur significatio nisi *columnae* et *porticus*.

tamen ad ordinem priorem reductum iri. De monachis praedixit fore ut multiplicarentur et, numero adaucto, urbes vicosque incolerent et desertum relinquerent. Praedixit et mundi finem. Ipse patrem Macarium (Maqāriūs) habitu monastico induit et confortavit, eique quae eventura essent praenunciavit. Patrem magnum Anbā Paulum (Būlā) adiit, eiusque corpus ipse curavit et pallio patriarchae Anbā Athanasii involutum sepelivit. Ubi persensit sanctus Antonius mortem sibi imminere, filiis suis praecepit ut corpus suum absconderent, monuitque ut baculum quem possidebat Macario, vestimentum e pilis camelorum confectum Athanasio, pallium pelliceum Serapioni traderent; tum, in terram decumbens, spiritum emisit. Cui obviam venerunt angelorum atque sanctorum cohortes, quae eum in quietis sedes deduxerunt. Corpus eius filii absconderunt, prout iussi erant; eos enim vituperabat *Antonius* qui martyrum et sanctorum corpora exponebant ut pecuniam exinde colligerent et quaestum facerent. Etsi autem usque ad provectam senectutem vixit, non immutatum est corpus eius neque robur, nec quidquam ex dentibus eius decidit. Denique ad Christum quem diligebat migravit.

Benedictio precum huius patris nos ab hoste custodiat. Amen.

Mensis Ṭūbah dies vigesimus tertius.

Hodie martyrium passus est magnus sanctus Timotheus apostolus. Sanctus hic, in urbe Lystra natus et educatus, patrem habuit Graecum (Yūnānī), astrorum cultorem, et matrem Iudaeam, umbrae legis mosaicae subiacentem. Apostolo Paulo evangelium Lystris praedicante, cum eius doctrinam hic sanctus audivisset, vidissetque tanta miracula a Deo — qui exaltetur! — per manus eius patrari, ut eorum fulgore percellerentur mentes nec similia edere possent philosophi, domum illius ingressus, eiusdem opera in Christum Dominum credidit et, in sanctissima Trinitate baptizatus, deos omniaque instituta patris sui respuit, itemque operibus legis matris suae valedixit. Tum apostolo Paulo discipulus adhaesit,
p. 230. *et eum in multis itineribus secutus, labores cum eo perpessus, calamitatibus plurimis et molestiis gravibus afflictus, ad *eodem* apostolo episcopus Ephesi constitutus est. Quam urbem ingres-

sus, Christum in ea praedicans, multos ex civibus eius ad fidem adductos erudivit et baptizavit. Dein in compluribus civitatibus, sive Epheso vicinis, sive ab ea dissitis, praedicavit, et ad eum scripsit Apostolus duas epistulas, quibus eum ad perseverantiam in docendo hortabatur, ei exponebat episcopi, presbyteri, diaconi et viduae dotes, iubebat eum ab apostolis mendacibus cavere, filiumque suum atque amicum eum appellans, monebat ne manus cuiquam imponeret, qui foret indignus vel cuius experimentum nondum cepisset. Per eius manum misit quattuor epistulas *Paulus*. Cum gregem Christi sibi commissum pavisset, mentes eorum doctrina sua, admonitionibus, reprehensionibus atque increpationibus illuminans, Iudaeos vero et Graecos (el-Yūnāniyyīn) perseveranter redarguens, omnes, eum invidia prosecuti, adversus eum Ephesi insurgentes, ipsum interemerunt. Cuius corpus fideles aliquot, qui in ea urbe erant, sepelierunt, die huic respondente. Idem corpus imperator pius Constantinus, solio potitus, Ep[illegible] urbem Constantinopolim transferendum curavit. Huc advenit die mensis ṭūbah vigesimo septimo, quo die festum eius agitur.

Ipsius preces nobis adsint nosque custodiant. Amen.

*Ad requiem admissus est sanctus Anbā Badāsyus. Erat p. 403.
hic ex incolis Fāu et cum parentibus habitabat apud virum christianum, probum ac moribus egregiis praeditum, cuius nomen Bağūš, et qui, cum unum tantum filium haberet, hunc Iusabum (Yūsāb) appellavit. Simul crevit puer uterque et alter cum altero in una domo educatus est. Postquam *umbo* adulecverunt atque ex infantia aliquantulum egressi sunt, ad conventum monasterii patris nostri Abū Pacomii ventitabant et contemplabantur pulchritudinem devotionis monachorum ascetarum atque athletarum, qui ibi morabantur. Coeperunt autem preces instantes ad illos dirigere, dicendo: « Propter Christum Dominum, suscipite nos vobiscum, ut, famulatus vestri instar, nos quoque Deo famulemur. » Quibus patres illi sancti responderunt: « Fiat quod petistis. » Et ita duo sancti *adulescentes* apud illos *riros* iustos et pios recepti sunt. Iis temporibus, in monasterio habitabat vir beatus, qui Paulus, Apostolorum [1] instar, nuncupabatur. Hunc in cella sua atque solitu-

[1] *Sic*. Lege: Apostoli.

dine commorantem quadam die adiit sanctus Anbā Badasyus, et dixit ei: « Pater mi, Anbā Paule, dic mihi atque expone p. 404. quomodo *salutem meam consequar et quid mihi faciendum ut mei misereatur Dominus. » Cui pater Anbā Paulus: « Id sit tibi notum, inquit, ac scito duo esse praecepta quae Salvator noster misericors in Evangelio suo puro edidit, eaque satis esse nobis et omnibus christianis qui eadem servaverint et ut unicam vitae suae normam fuerint amplexi. » Tum sanctus Anba Badasyus: « Et quaenam sunt illa duo, pater benigne? » Respondit ei sanctus Anbā Paulus: « Dominus Deus tuus unus est, et Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, omnibus viribus atque cogitationibus diliges. *Est autem et* alterum praeceptum, priori simile: Proximum tuum sicut teipsum diliges. Et hoc quidem melius est atque praestantius universis victimis et holocaustis, prout Christus Dominus — cui sit laus! — scribae cuidam significavit. Ego vero tibi polliceor fore ut, si duobus illis mandatis fueris obsecutus atque adhaeseris, cum Apostolis puris in die iudicii maximi recumbas et epuleris. Ne nomine monachi et specie *externa* confidat cor tuum, verum ea meditare quae dixit Iacobus, frater Domini, his usus verbis in epistula sua catholica [1]: Quaevis istiusmodi gloriatio vana est. Monachi enim illi quos hoc sancto schemate indutos intueris temporis experimento probantur *veri monachi*, ii *nempe dumtaxat* quos *ipsi* caelites testantur apicem perfectionis habitus quem assumpserint assecutos. *Verum* beati ii quoque qui, etsi in saeculo degentes, vitam suam perfectam exhibuerint; meliores hi sunt atque excellentiores iis qui, schemate monastico adstricti, officia et regulas suas non adamussim adimplent. Immo vae iis qui in hac *ultima* conditione versantur! Melius iis fuisset in huius mundi lucem nunquam editos fuisse; et utinam misericordiam consequantur in die iudicii iusti, quando ante magnum illud et tremendum tribunal stantes ac nudi producentur, et singuli operum suorum, sive bona fuerint, sive mala, mercedem recipient! Nunc itaque, fili mi, clausus in loco tuo esto, tecum solitarius; solitudini omnibus diebus vitae tuae constanter inhaere; ne siveris hominum quemquam scire quale tuum certamen, qualisve

[1] Cf. Iac., i, 26, et passim.

tua Deo famulandi ratio; hominibus omnino nihil revela laboris tui in ieiunando et orando; si pauperi misericordiam exhibueris, id noli alicui manifestare, ne merces tua amittatur et inanis fiat labor. Neque existimaveris, frater mi dilecte, haec quae tibi inculco praecepta mea esse aut a me condita. Hoc avertat Deus! Sed illa revera sunt praecepta Domini nostri Iesu Christi, quae Apostolis suis puris in sacro suo Evangelio tradidit, dicens [1]: ‘ Si ieiunaveritis, * nolite esse p. 405. sicut hypocritae, qui facies suas austerius contrahunt, ut ipsorum ieiunium hominibus innotescat. Vere dico vobis, receperunt illi mercedem suam. Tu igitur, quoties ieiunas, lava faciem tuam et caput tuum unge, ut ne hominibus, verum Patri tuo, qui abscondita novit, appareat ieiunium tuum, et Pater tuus, qui abscondita intuetur, mercedem tibi palam rependet. Et quoties oras, ingredere in cubiculum tuum; et Pater tuus, qui secreta intuetur, te palam remunerabitur. ’ Dixit etiam *Christus* [2]: ‘ Cum oratis, ne hypocritas imitemini, qui putant sese propter verborum multitudinem exauditum iri; nolite itaque iis similes fieri, quia Pater vester caelestis quibus rebus indigeatis novit priusquam ipsum precemini. Haec sit oratio vestra: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, quemadmodum in caelo, ita et in terra; panem nostrum da nobis hodie, dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Tibi enim virtus et gloria in saecula saeculorum. Amen. ’ Item dixit *Christus* [3]: ‘ Quoties eleemosynam largiris, nesciat sinistra tua quae dextera fecerit, ut eleemosyna tua secreta maneat, et Pater tuus, qui abscondita intuetur, te palam remunerabitur. ’ Et nunc, frater mi, in cellam tuam tecum ipse solitarius secede; ieiunio, orationi et solitudini assiduus insta, neque siveris devotionem tuam et modum labores sustinendi ulli hominum sive saecularium, sive monachorum, innotescere, et Dei gloriam mox videbis. »

Quae cum ab Anbā Paulo audivisset *Badasyus*, eum reliquit, Deo gratias agens propter sermonem institutionum apostolicarum atque exhortationum evangelicarum, quem ad se di-

[1] Matth., vi, 16-18. — [2] Matth., vi, 5-15. — [3] Matth., vi, 2-4.

rexerat. Ex ea die sanctus Anbā Badasyus cellae suae adhaesit in eaque mansit solitarius, sedulam navans operam ut corpus ieiunio atque oratione nunquam intermissa domaret. Nulla re vescebatur re qua sanguis exeat; tempore aestivo adveniente, in apricis decumbebat: redeunte tempore hiemali, in umbra et locis humidis carpebat somnum. Ex iis quae labore manuum et defatigatione sua lucrabatur nihil sibi servabat, nisi id duntaxat quod ad cibum sufficeret. Eum fratres saepe hoc modo rogabant: « Inter nos propter Deum adesto, benedic mensae nostrae et nobiscum manduca. » Ipse vero, qua erat humilitate, respondebat: « Num pauciora mihi sunt quae in me contulistis, dum et mihi benefecistis et apud vos accepistis me, qui malus sum et miser, ut ea appetam quae merita mea excedunt? » Dein perseveravit corpus ascesi, labore atque defatigatione domare. Et cum immineret sacri ieiunii tempus, in
p. 406. corde suo dixit: « Hoc sancto tempore quadragesimali, *necesse mihi est ut aliquid paenitentiae et devotioni meae superaddam, videamque num Deus gratum me atque acceptum habeat et magna sua misericordia complexus sit. Et saepe quadringentas orationes interdiu ac trecentas noctu fundebat, dicebatque: « Domine Iesu, si gratum me atque acceptum habeas, nihil praesentis mei instituti remittam minuamve ad extremum usque halitum. »

Vir erat claudus ac utraque manu simul et utroque pede ex utero matris debilis, qui ad monasterium cum fide saepe veniebat, haec secum reputans atque dicens: « Dominus haud procul abest ab omnibus qui ipsum invocant et corde sincero deprecantur, votis eorum satisfacit qui ipsum pie colunt, eorum postulationes exaudit qui ipsum implorant, eosdemque ab universis molestiis et adversis salvos praestat. Dominus eos omnes tuetur qui ipsius nomen diligunt, ut pulchre testatur David in palmis dicens[1]: 'Dominus quamvis petitionem tuam adimplebit, id tibi largietur quod cor concupiscit, et quodcumque desiderium tuum perficiet.' Itaque, hora diei nona, de more adfuit vir ille claudus ac paralyticus ad monasterii portam, ut a sanctis monachis qui ibi habitabant eleemosynam peteret. Cui obviam processit sanctus *Badasyus*, id afferens quod sibi

[1] *Ps.* XX, 2-5.

suppetebat elargiendum. Claudus autem ille iumento suo vehebatur, siquidem pedibus incedere nunquam potuerat. Hunc sic interrogavit sanctus: « O homo, natusne es ita *infirmus*? » Respondit ille: « Te, domine mi et pater, qui me intueris et infirmitatem miseriamque meam contemplaris, per Deum cui tu famularis obtestor ut manu tua pura manus ac pedes meos signo sanctae crucis signes. » Tum sanctus Anbā Badāsyus illi claudo: « Dominus Deus fortis et summe laudandus, inquit, ipse qui omnipotens est, cui nihil difficile, quemadmodum opera duorum magnorum apostolorum Petri et Iohannis sanitatem dedit illi viro claudo, debili et paralytico, *de quo in libro Actuum*[1], ita te incolumen praestet, fili mi, tibique se misericordia atque clementia benignum exhibeat. » Et continuo manus illius ac pedes extensi sunt, membraque porrecta, perinde ac si nihil unquam nocumenti et doloris expertus fuisset; surgensque, corpore sano et erecto oravit, Deum laudavit eiusque potentiam celebravit.

Ecce autem vir ambobus oculis ab hora natali captus, adveniens et ipse ut eleemosynam peteret, cum audisset strepitum claudi illius, in omnes partes prae summo gaudio circumeuntis et exsultantis, coepit ipse quoque supplices ad Deum preces fundere et *Badasyum* orare dicens: « Te per Deum quem colis obtestor, ut, mihi quoque propitius, ad me oculo misericordiae ac miserationis respiciat. Deum pro me exora, ut, propter preces tuas ipsi acceptas et insignem qua apud eum vales gratiam, mihi lumen oculorum concedat meaeque calamitatis atque afflictionis misereatur. Confido equidem, *fore ut p. 407.
Deus preces tuas mea causa fusas non respuat nec postulatio tua pro me exhibita apud eum inutilis evadat, sed mihi benignum se atque misericordem praestet. » Cui sanctus tunc respondit: « Deum Verbum, qui ex alma Maria, virgine pura atque intemerata, incarnatus est, et qui, caeci nati misertus, oculos eius aperuit et manu sua augusta divinaque videndi facultatem ei tribuit[2], spuendo in terram et ex sputo conficiendo lutum, quo caeci oculos linivit, oro ut, tui quoque misertus, oculos tuos aperiat, videndique facultatem tibi concedat, quam illi concessit. » Et illico, apertis suis oculis, vi-

[1] *Act.*, III. — [2] Cf. IOH., IX.

dendi facultate donatus, ille omni gaudio atque exsultatione spiritali gestiit. Tum ambo, monasterium ingressi, claudus nimirum et caecus, totum locum laetitia impleverunt, clamantes: « Venite et videte quomodo vir Dei nos sanaverit et incolumes in nomine Domini praestiterit. O prodigium stupendum atque caeleste! O purum divinumque miraculum! Huc adveneramus, corporis cibum quaeritantes, et gratiam incolumitatis ac donum sanationis spiritalis consecuti sumus! Mirabilis est Deus in sanctis suis et gloriosus propter electorum suorum prudentiam. O quantae illae virtutes et quanta illa dona spiritalia et corporalia, quae Dei summe laudandi praeveniens largitas in hunc sanctum purum et electum effudit! Beatus venter qui eum portavit, et beata ubera quae eum lactaverunt! O virum salutis auctorem, cui in lucem edendo mater quaedam par inventa est! *O virum*, cuius preces et eleemosynae, ipsius memoriam propagaturae, in conspectum Domini Dei ascenderunt! » Itaque, fama huius sancti per monasterium sparsa propter dona curationum quas Deus ipsius manibus patrabat, eum instanter rogarunt fratres *monachi* et Deum precati sunt ut schemate monastico a se indueretur. At ille, e monasterio de nocte secreto egressus, recessit atque in domo mulieris viduae ex incolis Fāu se abscondit; et duas quidem hebdomadas remansit, in domicilio mulieris illius sanctae et bonae, *cui nomen* Basīdīyā [1], delitescens. Tertia autem die festi Paschatis gloriosi, domo illius mulieris sanctae relicta, ad cellam suam rediit. Porro perstiterunt fratres eum precari et eadem de re urgere. Quibus vero ista opposuit: « Ignoscite mihi, fratres mei dilecti; neque enim gradum illum excelsum qui schematis monastici atque angelici proprius est adhuc attigi; ego quippe homo sum multis vitiis refertus, id autem ad quod me vocatis res est non ita facilis, sed viros exigit innocentes, bonos generososque, qui in operibus rectis et pietate angelica, itemque in vita ascetica pura et cuiusvis naevi labisve experti profecerint, et quorum corda in nullam ex rebus huius mundi caduci propendeant. Ne existimaveritis, fratres, donum sanationis quam consecutus est claudus, quando incessit, et caecus, quando vidit, mihi adscri-
p. 408. bendum. Multum abest, et Deus hoc avertat. Verum *utrique

[1] Nisi forsan, quod tamen vix vel tenuiter verisimile, sensus sit: in loco cui nomen Sīdiyā.

ipsa sua fides salutem conciliavit. » Haec postquam dixit *Badasyus*, eum dimiserunt *fratres* nec iam importune apud ipsum institerunt; sed in priore remansit conditione, illis dicentibus: « Voluntatem Dei libere sequere et animam tuam ab hoc mundo cautissime tuere, ne ab eo qui multos decepit et tu decipiaris. » Iis ille respondit: « Precum vestrarum suffragio salutem adipisci mihi continget. » Perseveravitque hic sanctus Anbā Badasyus religionis exercitia adaugens, ieiunium, orationes ac vigilias duplicans; neque alia ei erat precandi formula quam haec tantum verba, quibus die nocteque utebatur: « Deus meus, animae meae malae miseraeque misericordem te praebe, quando coram te consistam. »

Posthac Arsanoe ('Arsānūy), principis nobilis ex incolis Fāu uxor, utraque vultus parte hemicranii dolore tantopere laboravit ut oculi dextri pupilla paene eruperit, et fuisset quidem e *proprio loco* egressa, nisi eam operimento, ligamentis et pannis complicatis firmavissent vinxissentque. Eidem dolori obnoxia duas hebdomadas permansit, adeo ut iis similis fieret qui mortis agonia cruciantur; neque, marito plurimos ad eam medicos arcessente, levamen ullum aut sanationem consecuta est. Tum quidam haec illi *matronae* nuntiarunt: « En, in monasterio sancti Abū Pacomii, vir nomine Badasyus claudum sanavit et caecum illuminavit, cum eum uterque eleemosynae causa rogaret. Ad hunc si te maritus duxerit, ut faciem tuam signo crucis signet, levamen illico consequeris et sanitate donaberis. At vero sine illum primum a marito istuc se conferente extra monasterium advocari, et, postquam foras egressum videris cum marito tuo colloquentem, cito assurge atque, ad eum properans, manibus eius apprehensis vultum tuum confrica; et dolor statim evanescet, incolumitatis gratiam tibi largietur Deus, donum sanationis consequeris et per preces eius *Deo* acceptas purasque convalesces. » Quae cum audisset *mulier*, principem, maritum suum, rei certiorem fecit. Is, ad monasterium pergens, coepit ianuam cellae sancti pulsare, et, ubi sibi statim obviam progressum praesentem habuit, apprehensam manum eius puram osculatus, sic eum, dolo usus spiritali, allocutus est: « Hanc mihi, pater sancte, benevolentiam praestes, ut mecum extra coenobii portam egrediaris, et ibi de re quadam necessaria sermonem tecum habeam. »

Confestim cum eo processit sanctus, agni, cui cor mansuetum et in quo nulla fallacia, instar, dumque simul colloquuntur, ecce Arsanoe, principis uxor, in medium prodiit, manum sancti apprehensam osculata est, eademque vultum suum confricavit, dicens: « Precum tuarum, quae *Deo* acceptae sunt et purae, misericordia me malam atque miseram contingat, quia magnopere afficior. » Et illico sanata est, quiete ei ab omnibus molestiis concessa, gravique dolore cessante, atque maritus domum cum ea rediit, Deum glorificans, qui mirabilia in sanctis suis operatur.

Porro, rumore *facti* in urbem perlato, *ad Badasyum* at-
p. 409. tulerunt *omnes qui variis morborum generibus ac doloribus diversis laborarent, universosque in nomine Domini sanavit. Tum, sine mora surgens, fratrem suum Anbā Iasabum (Yasāb)[1], quo comite in desertum venerat, adiit et dixit ei: « Eia, frater mi, proficiscamur, Aegyptum superiorem et fines *urbis* Copti (Qifṭ) petamus, vitaeque reliquam partem illic agamus, ubi nos nemo inveniet nobisve impedimento erit ne nostris religionis officiis perfecte fungamur. » Meminerat nempe verborum apostoli Pauli, dicentis[2]: « Equidem gloriam ab hominibus non requiro. » Posthac perseveravit ieiunio, orationi, vigiliis, ascesi et pietati eximiae integre deditus, cumque haec ipse homines celaret, eadem Deus omnibus revelabat atque faciebat manifesta. De eo hoc quoque narratur, operarios, cum dies plurimos laborem impendissent puteo fodiendo neque ullum prorsus aquae vestigium appareret, contigisset autem, Deo summe laudando res ita disponente, ut hic sanctus iuxta illos transiret, eundem sic precatos fuisse: « Te per Deum cui servis obsecramus ut puteum hunc signo sanctae crucis signes. » Continuo, extensis manibus et oculis in caelum sublatis, oravit et puteum signo sanctae crucis signavit; neque ab illis abscesserat nisi quantum iactus est sagittae cum fons magnus erupit; quod miraculum usque ad hanc nostram aetatem permanet.

Postquam huius sancti fama per omnem locum percrebruit, ei exhibitus est puer cuius cervicibus insederat ulcus et cuius plaga, collo imposita, ligamento involvebatur, ne ulli hominum appareret; erat enim plaga foedissima, quae a medicis morbus

[1] *Sic.* — [2] *I Thess.* II, 6.

porcorum appellatur. Contigit itaque ut pueruli mater, filio comite, sancto huic occurreret per viam transeunti. Quem ita precata est: « Ex Dei amore, o *vir* sancte, huius pueruli misertus, Dominum ora ut eum a gravi sanet infirmitate. » Tum ei locum plagae infantis retexit oculisque exhibuit. Ille autem manum ei imposuit, dicens: « Dominus Iesus Christus, animarum et corporum medicus, omnipotens — cui sit laus! — tibi, fili mi, sanitatem concedat. » Et mater, puerulum statim auferens, domum reversa est, remotoque ligamento, nullum omnino reperit ulceris vestigium, sed puer sanus erat perinde ac si nihil mali passus fuisset. Gaudio igitur exsultavit illa et Deum glorificavit, qui in sanctis et electis suis mirabilia operatur.

Ipse vero sanctus Anbā Badasyus Anbā Iusabum convenit, eique dixit: « Ora, frater mi, quia puto mihi imminere tempus quo viam ineam omnium patrum meorum, et idcirco mei, rogo te, in precibus tuis sine remissione memineris, ut flumen traiiciam igneum, defluens ante thronum iudicis iusti et ante satellites faciebus diversis conspicuos qui in via occurrunt. »
*Cui sanctus Anbā Iusabus: « Quid vidisti, frater, ut haec p. 410.
edicas. » Respondit ille: « Mihi hac nocte contigit ut, postquam orationes mihi incumbentes persolvi et parumper recubui, ad me accederet vir terribilis et summae maiestatis, qui mihi dixit: Badasi, Badasi, tibi consule tuamque vivendi rationem sollicitissime compone; completus enim est dierum tuorum numerus, ut te ad nos vocemus et assumamus. » — Nunc itaque, frater, ne cunctatus fueris ad me invisendum venire, memor nos alterum cum altero in uno monasterio educatos fuisse et nulla unquam separatione disiunctos. » Die sequenti, aegrotavit sanctus Anbā Badasyus, decubuit et vehementi commotione affectus est. Paulo post advenientem ad se sanctum Anbā Iusabum sic affatus est: « Frater mi, nonne dixi tibi dierum meorum finem imminere? Dominus me visitavit, et hora discessus mei adest. Tibi proinde per Deum valedico, frater mi dilecte, donec me habeat Dominus dignum qui sanctitati tuae in saeculo illo venturo occurram. » Tum sanctus Anbā Iusabus: « Velimus, inquit, verbum nobis proferas quo tui memoriam servemus, *eaque nunties* quae post mortem tuam mox futura sint. » Respondit ei sanctus Badasyus: « Quid dicam tibi,

pater mi sancte? Si ad Dominum migravero et gratiam apud ipsum atque misericordiam invenero, eum ego deprecabor ut diuturno tempore Berberis viam ad has regiones praecludat. Hoc autem erit mihi signum: si gratiam apud Dominum invenerim, nubes in aere die obitus mei apparebunt. » Tum, nocte diei vigesimi primi mensis ṭūbah, die festo Dominae nostrae almae Mariae Virginis, ad illum venit archangelus et, pacem ei apprecatus, mores eius egregios vitamque recte atque eximie institutam laudavit, magnifica adiecit promissa, magnos praenunciavit honores et dixit ei: « Scito me a Domino ad te missum esse, ut te confortatum ac liberatum ad laetantium sedes adducam. » Quibus verbis prolatis, archangelus Raphael in caelos statim ascendit. Porro die vigesimo tertio mensis ṭūbah obiit pater noster sanctus Anbā Badasyus et spiritum in manus Dei vivi emisit. Tunc obviam ei egressae sunt ingentes cohortium angelorum purorum multitudines, qui laudes divinas celebrando atque cantando animam eius praecedebant, donec eam in gaudio et exultatione ad summos caelos introduxissent. Dein ad corpus eius *fratres* convenerunt, idque intra ecclesiam eius sepelierunt, eo ipso in loco ubi consederat perfectamque patientiam atque certamen sustinuerat; et ex *illo* corpore virtutes [1] prodierunt ac sanationes, ita ut quisquis illius ecclesiam adiret ab omnibus liberaretur infirmitatibus.

Ipsius postulatione, precibus atque intercessione Dominus Deus peccata nostra condonet. Amen.

p. 230. *MENSIS ṬŪBAH DIES VIGESIMUS QUARTUS.

Hodie quiete donata est sancta monacha Maria. Haec parentes habuit christianos, ex urbis Alexandriae optimatibus, eamque filii magnatum *eiusdem* urbis sibi coniugem postularunt; verum his ea in re non assensit. Mortuis parentibus, quaecumque sibi reliquerant pauperibus atque miseris distribuit, omniumque opum exigua parte sibi asservata, in unum ex virginum coenobiis quae extra Alexandriam erant ingressa, sanctam ibi induit vestem quae vitae monasticae propria est, multis religionis operibus sese addixit et permansit quindecim annos cum dormiendi appetitu decertans, quoad, eo devicto,

[1] Ita, adhibita correctione obvia. Cod., inepte: canones.

oculis somnum diurnum nunquam, nocturnum nonnisi brevissimum concederet. [1] Eodem tempore, ieiunium, *pro consuetudine monasterii sui, usque ad vesperam protrahebat. Tunc sacrum schema assumpsit; quod assumens, omnia deposuit vestimenta lanea quibus induta fuerat et cilicium adhibuit e pilis confectum. Dein abbatissam rogavit ut per eam sibi liceret sese, animam suam probandi gratia, intra cellam suam includere. Cellam itaque ingressa, huius ostium obturavit, aperta parva fenestella, qua res necessarias et sacram communionem reciperet. Clausa intra cellam mansit annos duos et viginti. Toto hoc tempore diem integrum transigebat stans, non sedens, et perpetuae quidem vacans orationi; noctisque partem somno, reliquam orationi dabat. Binos dies ieiunabat, quibus elapsis panem siccum aqua madefactum comedebat; tempore sanctae quadragesimae, panem non attingebat, sed post tertium quemque diem oleribus madefactis vescebatur. Appropinquante autem die mensis ṭūbah undecimo, aquam sanctam petiit; ea manus et faciem lavit, tum communionem accepit et aliquid ex illa aqua sancta bibit; dein aegrotavit et in cubili iacuit usque ad diem mensis ṭūbah vigesimum primum, quo die, sacra communione iterum refecta, *coenobii* rectricem arcessitam instanter rogavit ut sibi ipsius pedes adhiberet, atque, petitione exaudita, sibi exhibitos osculata est et, proprii vultus confricatione venerata, dixit: « Gratias *ago* binis his pedibus, qui me ad Christum Dominum deduxerunt. » Subinde sororibus cunctis ad se vocatis valedixit, easque rogavit ut se post tres dies inviserent. Quam illae, die mensis ṭūbah vigesimo quarto inviserent, visentes, mortuam invenerunt, ad ecclesiam asportarunt et, precibus pro ea fusis, iuxta corpora sanctarum virginum deposuerunt.

p. 231.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti Abū Basādah [2], presbyteri. [3] Cuius oratio et benedictio nobis adsit. Amen.

*Ad requiem admissus est Anbā 'Afrāhām [4], in monte Farǵūd, qui nomine coenobii Ǵidah conspicuus est. Se contulit hic sanctus in monasterium sancti Abū Pacomii, ubi aliquandiu p. 411.

[1] B et C de somno nocturno silent. — [2] D: 'Abšārah. — [3] D add.: eique, prout narratum est, inerat puritatis virtus, propter quam eum Deus eiusque memoriam perpetuam effecit. — [4] Vulgo: Ephraïm.

pater mi sancte? Si ad Dominum migravero et gratiam apud ipsum atque misericordiam invenero, eum ego deprecabor ut diuturno tempore Berberis viam ad has regiones praecludat. Hoc autem erit mihi signum: si gratiam apud Dominum invenerim, nubes in aere die obitus mei apparebunt. » Tum, nocte diei vigesimi primi mensis ṭūbah, die festo Dominae nostrae almae Mariae Virginis, ad illum venit archangelus et, pacem ei apprecatus, mores eius egregios vitamque recte atque eximie institutam laudavit, magnifica adiecit promissa, magnos praenunciavit honores et dixit ei: « Scito me a Domino ad te missum esse, ut te confortatum ac liberatum ad laetantium sedes adducam. » Quibus verbis prolatis, archangelus Raphael in caelos statim ascendit. Porro die vigesimo tertio mensis ṭūbah obiit pater noster sanctus Anbā Badasyus et spiritum in manus Dei vivi emisit. Tunc obviam ei egressae sunt ingentes cohortium angelorum purorum multitudines, qui laudes divinas celebrando atque cantando animam eius precedebant, donec eam in gaudio et exultatione ad summos caelos introduxissent. Dein ad corpus eius *fratres* convenerunt, idque intra ecclesiam eius sepelierunt, eo ipso in loco ubi consederat perfectamque patientiam atque certamen sustinuerat; et ex *illo* corpore virtutes [1] prodierunt ac sanationes, ita ut quisquis illius ecclesiam adiret ab omnibus liberaretur infirmitatibus.

Ipsius postulatione, precibus atque intercessione Dominus Deus peccata nostra condonet. Amen.

p. 230. *MENSIS ṬŪBAH DIES VIGESIMUS QUARTUS.

Hodie quiete donata est sancta monacha Maria. Haec parentes habuit christianos, ex urbis Alexandriae optimatibus, eamque filii magnatum *eiusdem* urbis sibi coniugem postularunt; verum his ea in re non assensit. Mortuis parentibus, quaecumque sibi reliquerant pauperibus atque miseris distribuit, omniumque opum exigua parte sibi asservata, in unum ex virginum coenobiis quae extra Alexandriam erant ingressa, sanctam ibi induit vestem quae vitae monasticae propria est, multis religionis operibus sese addixit et permansit quindecim annos cum dormiendi appetitu decertans, quoad, eo devicto,

[1] Ita, adhibita correctione obvia. Cod., inepte: canones.

oculis somnum diurnum nunquam, nocturnum nonnisi brevissimum concederet. [1] Eodem tempore, ieiunium, *pro consuetudine monasterii sui, usque ad vesperam protrahebat. Tunc sacrum schema assumpsit; quod assumens, omnia deposuit vestimenta lanea quibus induta fuerat et cilicium adhibuit e pilis confectum. Dein abbatissam rogavit ut per eam sibi liceret sese, animam suam probandi gratia, intra cellam suam includere. Cellam itaque ingressa, huius ostium obturavit, aperta parva fenestella, qua res necessarias et sacram communionem reciperet. Clausa intra cellam mansit annos duos et viginti. Toto hoc tempore diem integrum transigebat stans, non sedens, et perpetuae quidem vacans orationi; noctisque partem somno, reliquam orationi dabat. Binos dies ieiunabat, quibus elapsis panem siccum aqua madefactum comedebat; tempore sanctae quadragesimae, panem non attingebat, sed post tertium quemque diem oleribus madefactis vescebatur. Appropinquante autem die mensis ṭūbah undecimo, aquam sanctam petiit; ea manus et faciem lavit, tum communionem accepit et aliquid ex illa aqua sancta bibit; dein aegrotavit et in cubili iacuit usque ad diem mensis ṭūbah vigesimum primum, quo die, sacra communione iterum refecta, *coenobii* rectricem arcessitam instanter rogavit ut sibi ipsius pedes adhiberet, atque, petitione exaudita, sibi exhibitos osculata est et, proprii vultus confricatione venerata, dixit: « Gratias *ago* binis his pedibus, qui me ad Christum Dominum deduxerunt. » Subinde sororibus cunctis ad se vocatis valedixit, easque rogavit ut se post tres dies inviserent. Quam illae, die mensis ṭūbah vigesimo quarto invisentes, mortuam invenerunt, ad ecclesiam asportarunt et, precibus pro ea fusis, iuxta corpora sanctarum virginum deposuerunt. p. 231.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti Abū Basādah [2], presbyteri. [3] Cuius oratio et benedictio nobis adsit. Amen.

*Ad requiem admissus est Anbā 'Afrāhām [4], in monte Farǵūd, qui nomine coenobii Ǵidah conspicuus est. Se contulit hic sanctus in monasterium sancti Abū Pacomii, ubi aliquandiu p. 411.

[1] B et C de somno nocturno silent. — [2] D: 'Abšārah. — [3] D add.: eique, prout narratum est, inerat puritatis virtus, propter quam eum Deus eiusque memoriam perpetuam effecit. — [4] Vulgo: Ephraïm.

commoratus est. Quem cum ascesi eximiae deditum viderent, schemate *monastico* induerunt, perseveravitque religionis opera multiplicare usque ad tempus quo prodiit Bankāras. *Tunc* allata est ex urbe Constantinopoli epistula Anbā Afrahami, qua monachos certiores faciebat eorum quae a Iustinianno (Yūstyānūs)[1], imperatore chalcedonensi, expertus esset, siquidem dixerat ille: « Veni, eiusdem mecum communionis particeps esto, et, ad monasterium reversus, regimen, ut prius consuevisti, exerce; sin autem mihi obstiteris, ad monasterium non reverteris. » Praefectura igitur abdicata, sanctus Anbā Afraham monasterium reliquit. Quare misit imperator abiectus Bankaram cum exercitu suo, ei mandans ut quicumque oboediret, fidem imperatoris amplectendo, in proprio coenobio firmus permaneret, qui vero resisteret, eiceretur. Egressi itaque monachi per deserta et monasteria dispersi sunt. Quod attinet ad sanctum hunc Anbā Afrahamum, ipse ad coenobium Abū Šenūdah, in montem Adrībah, migravit, ibique commorans describere coepit regulas sancti Abū Šenudah et in chartas transferre; tum integre descriptas utribus inclusit, quos obsignatos ad monasterium sancti Abū Masīs misit, monachos hortatus ut eosdem sollicite custodirent. In epistula autem illis data testabatur, iis utribus grana contineri et semina caute ac secreto asservanda[2]. Istos *monachi* apud se aliquandiu tenuerunt; et dein, oleribus quae in monasterio sancti Abū Masīs reposita erant consumptis et deficientibus granis quae seminarentur, recordati utrium quos ad se pro deposito sanctus Anbā Afraham miserat, illos aperuerunt, existimantes semina iis contineri; sed inibi regulas invenerunt a patre nostro Anbā Senūdah conditas. Monachi quippe in coenobio sancti Abū Senūdah commorantes nemini *antea* copiam fecerant illas describendi. Eas autem, ubi a se perlectae sunt, monachi Abū Masīs gaudentes describere festinarunt. Posthac, Domino inspirante, sanctus Anbā Afraham profectus ad suum rediit monasterium, ibique, intra septum[3] Farǵūd, habitavit, et eodem monasterio *ampliorem in modum* exstructo, hominibus multis ad se confluentibus schema *monasticum* imposuit. Tum eum adierunt virgines, ab eo postulantes

[1] *Sic.* — [2] Vel: semina selecta. — [3] Vel, fortasse: in confinio.

*ut sibi domum[1] aedificaret, ubi, sub *tutela* precum ipsius commorarentur. Unde illas quoque schemate induit, iisque monasterium aedificavit in quo habitaverunt. Ipse autem, cum regulas cuperet ad filios suos monasticam degentes vitam, tum viros, tum mulieres, instituendos, ad monasterium Abū Masīs descendit, *ibique* compertum habitum est utres apertos fuisse ac descriptas regulas iis contentas. Quod aegre ferens, cum iis *monachis* conquestus est, his usus verbis: « Si non mei, sed alterius fuissent isti utres, eosdem aperire non ausi fuissetis. » Tum, coram eo prostratus, abbas monasterii Abū Masīs veniam ab eo petiit, dicens: « Haec fuit lux nobis omnibus superfusa, neque proin rem graviter accipias. » Ad proprium monasterium redux cum regulis, has filiis suis, viris ac mulieribus, praelegebat, eosdem edocens atque exhortans. Porro stanti, quadam nocte, ut orationi vacaret apparuit angelus Domini et dixit: « Te Dominus ad sacerdotii gradum vocavit. » At ille: « O Domine, quomodo huius rei facultas mihi, qui ex canonibus missae nihil didici? » Eum itaque angelus erudivit, praecipiens ut aggrederetur initium canonis patris Severi, patriarchae magni. Huic legendo sanctus statim operam navavit, et, postquam totum pervolvit, ad episcopum se contulit, a quo sacerdos ordinatus, missam ad illius canonis normam celebravit. p. 412.

Porro vir fuit ex incolis Farǵūd, qui uxorem suam sic allocutus est: « En nosti, soror mea, famem validam gravemque in omnibus Aegypti regionibus nunc grassari, mihique idcirco de re nobis facienda consentias. » Itaque quidquid frumenti possidebant acceperunt et in foveam proiecerunt quae decem frumenti artabas[2] continuit et quam obsignarunt imposito panis eucharistici pastillo[3]. Tum uxori dixit ille: « I, tu, ad asceterium monacharum; et ego in monachorum coenobium, ad patrem Anbā Afrahamum, me conferam, quoad, tempore famis praeterlapso, domum regressi, frumentum parce asservatum inveniamus eoque vitam sustentemus. » Ita egerunt; et cum,

[1] In textu: هنادة. Vocem peregrinam et alias non occurrentem conieciando ex contextu interpretor. — [2] Arab.: ارادب. De qua mensura, apud Syros et Aegyptios usitata, cf. supra, p. 356. — [3] Nomine arabico: القربانة, quod proprie tum oblationem tum Eucharistiam significat, translato ad signum rei et involucrum externum significandum.

fame cessante, frugum pretium imminutum esset, vidit *vir* in somnis hominem sibi tradentem dimidiam partem pastilli quem foveae ostio imposuerat, atque, expergefactus simul et conturbatus, dimidiam pastilli partem in manu sua revera invenit. Quare, continuo surgens, monasterium monacharum petiit et uxorem arcessitam certiorem fecit eorum quae in somnis viderat, eique dimidiam pastilli partem sibi traditam ostendit. Quae respondit: « Eadem ego quoque oculis meis vidi »; et illi exhibuit dimidium pastillum sibi nocte traditum, atque ubi appositus est hic alteri dimidiae parti, quam maritus habebat, scissura oblita obsignataque, illico intellexerunt illum ipsum esse pastillum quem foveae ori imposuerant. Itaque se domum suam statim conferentes, fovea aperta, nihil in ea repererunt, neque pastillus aderat; et admirati sunt aequa iudicia Dei, qui iniustitiam respuit. — De hoc Anbā Afrahamo etiam narrant,
p. 413. dum, *fame illa molesta grassante, homines multi ad ipsum conveniebant ipseque, se de iis sollicitum praebens, neminem vacuum dimittebat, postremo nonnisi paululum panis superfuisse, et ad illum accessisse administrationis[1] praefectum, qui rem nunciaret. Cui sanctus: « Hodiernae necessitati consule, et Dominus Deus nos non obliviscetur. » Ille, panis apothecam adiens, reliquias et pauca fragmenta cophino collecta attulit atque ira commotus ante sanctum proiecit. Iussit sanctus sacrum apparari sacrificium, et missam, Dominum deprecans, usque ad evangelium celebravit. Tempore evangelii, tumultus magnus auditus est, et pater *Afrahamus*, ad virum qui cellae penariae praeerat conversus, dixit: « Egressus, vide quid sit ingens iste tumultus. » Qui illico exiit, fratribus comitantibus, atque ad apothecam[2] se contulerunt, cuius porta aperta, panis foras ita erupit, ut portam claudere non possent. Missa absoluta, praescripsit pater ut e donis a Domino concessis mensae omnibus adstantibus instruerentur. Neque pane qui extra portam effusus erat desierunt vesci priusquam fames, facultate portam claudendi usque deficiente, finem acciperet. — Postquam, Deo populi sui miserto, Nilus intumuit et semina iacta sunt, sed a vermibus devorata, adeuntes *agricolae* portam *Afrahami*, vermium plagam apud eum conquesti sunt. Qui, Dominum de-

[1] Ad litt.: diaconatus seu ministerii. — [2] Ad litt.: ad diaconatum.

precatus, columnam igneam ante se prostantem vidit et vocem audivit dicentem: « Afrahame, eis praecipe ut hanc salutis adipiscendae ineant viam: in mediis agris omnibus ignem accendant. » Abeuntes itaque illi ignem in lapidibus quibus puteorum ora occludebantur accenderunt; vermibusque universis, cum ad ignem confluerent, combustis, semina iecerunt homines, magnopere gestientes, et precibus huius sancti Anbā Afrahami a vermibus liberati sunt, quia, Iacobo teste[1], oratio iusti admodum potens est atque efficax. Dein sanctus hic devotione profecit et peregrinationes frequenter suscepit, ad monasterium suum *subinde* rediens et bellum cum corpore suo die nocteque exercens. Requie donatus est et ad Christum Dominum in honesta senectute migravit, dicens: [2] « Ecce ego et filii quos dedisti mihi. »

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eadem die, martyrium passus est Anbā Absādah[3]. Erat is ex pago quodam nomi urbis el-Behnesah; pater autem eius ex el-Qīs oriundus, et mater ex Ahrīt. Haec, ex stirpe sacerdotum idolorum progenita, in Christum crediderat, et, cum sacerdos idololatra eam in matrimonium expetivisset, in el-Qīs aufugit, ubi quidam sementium procurator de ea loquentes audivit, ipsius nuptias ambivit, eamque, utpote christianus, duxit. Isti *coniuges*, hac sancta prole donati, *eadem magnopere gavisi p. 414.
sunt, et, facto convivio loci sui civibus, pauperes et infirmos *ad illud* invitarunt. Puer, simul atque adulevit, timorem Dei et mandatorum evangelicorum observantiam paulatim didicit, donec, annos viginti natus, mortuo patre, factus est multarum divitiarum haeres. Perseveravit autem in bono sollicitius peragendo, in eleemosynis et misericordiae operibus frequentandis usque ad illud tempus quo prodiit Diocletiani, imperatoris impii, edictum, homines ad idololatriam incitans. Tunc, domi se continens, coepit preces ad Deum atque orationes fundere, et nocte quadam oranti lux fulgida oborta est, apparuitque Dominus Salvator, qui, pacem precatus, ei dixit: « Quid torpescis, dum late decertatur? Mane surge, ad urbem el-Qīs te confer, inveniesque Iutqanam (Yūtqanā), urbis prin-

[1] Iac., v, 16. — [2] Cf. *Hebr.*, ii, 13. — [3] Alibi: 'Ibšādah, vel 'Abšādah. Cf. duas alias eiusdem martyrii relationes, supra, ad diem mensis kihak 27um, pag. 282, 283.

cipem, cui munus commissum christianos torquendi. Cruciatus parumper sustine, et coronam gloriae consequeris. » Tum eum admonuit *Dominus*, fore ut ante tria tribunalia iudiciaria sisteretur, quaecumque ipsi obventura essent praedixit et, pacem precatus, in caelum ascendit. Postero die, non cunctatus est *Absadah*, sed profectus, prout a Domino Salvatore iussus erat, iudicem repperit sedentem, ad quem christianos adducebant. Quare festinus procedens, clamavit: « Christianus sum. » Et confestim eum adduxerunt *ad iudicem, qui* praecepit ut, a terra sublatus, flagris et tudibus super caput verberaretur atque, unguibus evulsis, in acetum et calcem immergeretur. Progressus autem satellitum praefectus [1] pro sancto intercessit, dicens: « Domine, ne occisionem festinaveris, quoniam vectigal grave pendit iste; moram ei potius concede, et forsitan tus adolebit. » In carcerem statim missus, *Absadah* virum ibi invenit, qui, propter serpentem parvum deglutitum, in ipsius vero ventre factum grandiorem, in eo erat ut moreretur. Hic, cum sanctus pro eo oravisset, serpente ex ore eius egresso, convaluit et in Christum Dominum credidit. Fama itaque sancti per urbem vulgata, ad eum adduxerunt optimatum quemdam, cui nomen 'Audīmūn, hydropisi laborantem; qui oleo a martyre unctus, eiusdem precibus donatus et illico sanatus, Deum glorificavit. Quicumque enim variis morbis aegrotarent, illo pro iis orante, sanitatem a domino consequebantur et in Christum credebant. Posthac ad eum venit ipsius mater, flens atque clamans, quae eum sic allocuta est: « Fili mi dilecte, thus idolis adhibe, et postquam *e loco liber* discesseris, facti tui paenitentiam age. » Qui ei iratus respondit: « I, ieiuna et ora, ut quae dixisti condonet tibi Dominus. » At illa: « Fili, inquit, patriam non reliqui nisi propter Christum, ut huius nomini addicta manerem [2]. » Et filio valedicens, domum reversa, insignem egit paenitentiam. Martyri autem patruus erat qui, ipsi divitiarum eius causa invidens, principem adiit et certiorem
p. 415. fecit, ad Absadah, in *carcerem, aegrotos a civibus urbis adduci, et ab eo sanatos in Christum credere. Illi igitur arces-

[1] Arabice: والى الليـــل (praefectus noctis), idem, ut suspicor, qui vulgo vocatur صاحب اللّيل, i. e., gallice, *préfet de police*. — [2] Ita, legendo ابقى pro يبقى, quod in codice mendosum.

sito dixit *princeps*: « Tus diis imperatoris adhibe; » et cum id ei persuadere non posset, caudae equi alligatum misit ad praefectum *urbis* el-Behnesa. *Huc* advenientes milites praefectum inquisitum non invenerunt; quippe qui ad *urbem* el-Fayyūm discesserat. Eo profecti, ubi ad portam urbis el-Fayyūm devenere, civitatis praefectum viderunt operam dantem aedibus exstruendis. Huic filius erat unicus, qui stabat operarios exstimulans; at lapide magno a quodam operariorum in caput adulescentis demisso, is, cerebro confracto, illico exspiravit. Quare caementarios apprehensos occidere volebant, ingensque tumultus exortus est. Quod cum vidisset martyr, militibus dixit: « Me vinculis expeditum introducite. » Tum iussit multitudinem a mortuo paululum recedere, et, ubi extensis manibus oravit Dominumque precatus est, confestim assurrexit mortuus; quo patri suo tradito, caementarii dimissi sunt, turbaeque gestientes principi dixerunt: « Non sinemus sanctum hunc a te in urbe nostra interfici. » Praefectus vero, ad illum conversus: « Ne nomen Christi, inquit, iterum profitearis. » Ab eo dimissus, *Absadah* ad matrem se contulit, quae ad eam pertinerent sciscitaturus. Tum desertum petiit aedificavitque monasterium, in quo habitavit et perseveravit cum corpore suo diu noctuque decertans. Porro haud procul ab eo commorabatur episcopus, Isidorus ('Īsīdrūs) nomine, ad quem ventitabat sanctus et a quo erudiebatur. Itaque ab episcopo, qui mores eius egregios viderat, sacerdos ordinatus, missam celebrabat, multique homines ad eum confluentes ab eo baptizabantur. Apparuit autem ei Christus Dominus — cui sit gloria! — et, pacem precatus, ei dixit: « Accingere; te enim conveniet *huius urbis* praefectus et, ab eo ad Alexandriae praefectum missus, certamen tuum consummabis. » Quamobrem auxilium a Domino petiit martyr et postero die, in coenobii tectum ascendens, campanam pulsavit. Qua audita, praefectus transiens iussit illum arcessi, eique dixit: « Mihi oboediens, Apollinem adora. » Parere nolentem, epistula ad praefectum Alexandriae scripta, commisit decem militibus, qui ad urbem *Alexandriam* advenientes, praefectum requisierunt et invenerunt in eo occupatum ut epistulas legeret quae ab imperatoribus malis et impiis missae erant; et Absadah in carcerem detruserunt. Ad captivum venit Iulius acfasensis (el-'Aqfāṣī).

ipsum salutaturus. A quo petiit sanctus ut corpus suum sedulo asservatum ad coenobium suum mitteret, eique vitam suam ab initio usque ad finem enarravit. Ad eum venit et mater, flens, quam ipse sic hortatus est: « Ubi praefectus me condemnaverit, corpus meum accipe et in coenobium meum deferendum cura. » Praefectus autem ad se per nuntium advo-
p. 410. cato dixit: « Tus offer; » et *recusantem gravibus affecit cruciatibus, quos ille patienter sustinebat. Ei seria incluso iussit subiici ignem; sed martyrem salvum praestitit Dominus. Dein, praefecto praecipiente, Apollinem in medium attulerunt, eique victimas mactarunt, quarum membra lignis imposita in partes diviserunt. Tum sanctus *praefecto:* « Praescribe, inquit, sacerdotibus tuis, qui idolo tuo inserviunt, ut hoc illis innuentibus ignem emittat victimam devoraturum. » Id praescripsit praefectus, sacerdotesque viribus et clamoribus enisi sunt, neque ignis exortus est. Ubi vero sanctus oravit, descendit ignis, qui ligna, victimam, sacerdotes eorumque simulacrum consumpsit. Quare turbae conclamaverunt et in Christum Dominum crediderunt. Timens autem praefectus iussit a militibus sanctum extra urbem duci et caput eius, nemine rei conscio, amputari. Adfuerunt *tamen* Iulius et mater sancti. Huic, cum a militibus postulasset ut sibi orare liceret, apparuit Salvator, bona plurima promittens; tum lictor accedens illius caput abscidit. Porro venit Iulius, et ablatum sancti corpus, linteaminibusque puris atque aromatibus fragrantibus sepultum, uni famulorum suorum *et ipsius* sancti matri commisit; qui, idem deferentes, *urbem* Miṣr [1] petierunt. Navi autem rimam agente, cum nautae ad fabrum lignarium requirendum profecti essent, mater sancti, secum cogitans, fragmentum ex filii arca avulsum illis tradidit; quo ab iis apposito ad locum in quo rimam egerat navigium, ea statim obturata est atque occlusa; unde magnopere gaudentes iter fecerunt donec ad littus Ahrīt appellerent. Tum sancti corpus ad ipsius monasterium deduxerunt, urbis civibus in occursum eius egredientibus, eique ecclesiam superstruxerunt, et Dominus prodigia multa *ibi* edidit.

Ipsius benedictio nobis omnibus adsit. Amen

[1] In eo fere loco sita ... [illegible] ...AEAU, *op. cit.*, p. 538; item ... [illegible]

MENSIS ṬŪBAH DIES VIGESIMUS QUINTUS.

p. 231. Hodie ad requiem pervenit Petrus servus. De hoc patre memoriae proditum est, puritatis virtute eum spectabilem fuisse et ob illam a Deo benigne habitum. Fungens hic sanctus publicani munere, sedebat ad vectigalia exigenda, durusque erat atque *misericordiae expers, ita ut propter insignem cupiditatem avaritiamque immisericors cognominatus fuerit neque nisi hoc probroso nomine conspicuus. Sed eius misertus est qui nullius interitum vult, et ad eum misit mendicum quemdam qui eleemosynam peteret. Contigit autem, dum stat mendicus eleemosynam postulans, ut adveniret servus panes deferens. Quamobrem *Petrus,* unum ex panibus capiti servi impositis arripiens, ad mendicum proiecit, non in modum eleemosynam tribuentis, sed in modum ictum incutientis, frustum nempe iaculando, ut ne iam rediret egenus. Postquam mendicus, illo pane accepto, abiit, nocte subsequenti, hic sanctus dormiens sibi adstantes in somnis habuit quosdam qui videbantur rationem ab eo exigere velle: libra quippe prostabat, in medium allata, aderatque hominum nigrorum, aspectu horrido, turma, et cum iis ipsius *Petri* peccata, facinora iniusta atque caetera delicta: haec illi posuerunt in illa librae lance quae erat lanx sinistra, praesente turma angelorum lucis, aspectu formoso et stolis albis conspicuorum, qui lanci dextrae assistebant, anxii de re quam in hac ponerent; et, cum *investigatoribus* nihil *imponendum* occurreret, eorum quidam illum panem attulit qui ad mendicum proiectus fuerat, dixitque: « P... non habet *iste* quidquam. » Responderunt *caeteri:* « Quantulum hoc, et quam impar iis debitis quibus gravatur! » Cum eo angustiarum deventum esset, excitatus e somn... coepit, timens ac tremebundus, suam misereri sortem s... sua facta ipse exprobrare. Tum sese misericordiae ... addixit, in quibus eo usque progressus es... corpus tegebat largiretur; et ubi nihil ei reliqu... patria peregre profectus, se servum ipse vendidit, et pretium egentibus distribuit. Expertus autem se agno... aufugit et, desertum scetense (el-'Isqīt) sancti Macarii ing... monasticam vitam amplexus est atque ascesim insignem... cuit. Postquam pulchram hanc ac laudandam instituit

rationem, diei mortis suae praescius, monachorum senioribus arcessitis valedixit et ad Dominum migravit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

p. 233. Eadem die, memoria sancti athletae Anbā 'Askalā, martyris. Cuius preces nos ad extremum usque halitum et in saecula saeculorum custodiant. Amen.

p. 416. Martyrio affectus est sanctus 'Abādyus. Hic martyr, vitae virginali addictus, forma eleganti et pulchro aspectu praeditus, omnibus dotibus bonis perfectus, ex incolis pagi cui nomen Balǧāy, miles erat stipendiaque merebat, et, cum menti insedisset cogitatio de corona martyrii capessenda, eum prohibuerunt parentes eius. Idcirco, Domino ad insignem eius patientiam respiciente, ei apparuit angelus Domini, qui et dixit: « Mane, postquam surrexeris, ad litus *Nili* fluminis [1] perge, navemque ibi invenies; *nautis* expone quae ad te spectant, et te ad partem australem pagi [2] nomine Ḥalāḥas conspicui deferent; Christum confitere, et coronam martyrii consequeris. Ego enim sum angelus cui ab infantia tua munus te custodiendi commissum. » Tum, pacem ei apprecatus, *angelus* in caelum ascendit. Itaque sanctus, tempore matutino ad litus profectus, navem reperit et nautas eo modo quem angelus praescripserat compellavit. Qui summopere gaudentes eum transvehendum susceperunt, naulo non accepto, imo cibum ei secum suppeditando, quoad pagum Ḥalāḥas attingerent. Ipse, egressus, arcem sursum petiit ac militibus se adiunxit.

p. 417. Illis autem diebus Maximianus ascendere statuit, *urbes, pagos atque arces exploraturus et hominibus idolorum cultum impositurus. Et litteras quidem misit, quibus venturum se praenuntiabat; quas litteras cum legisset praefectus arcis, iussit milites convenire iisque decretum recitari. Adfuit itaque, sed corpore discincto, *Abadyus*. Cui praefectus: « Quare eo audaciae processisti, caput rebelle, ut discinctus huc advenias et imperatoris edictum audias? » Respondit ei sanctus: « Minas tuas non reformido, neque militia mea est in castris imperatorum; verum Domino meo Iesu Christo, regi regum, ego vere milito. » Tum

[1] Arab.: البحر; quod nomen, cum possit per se tum mare tum flumen significare, vix dubium est hic de Nilo flumine usurpari. Cf. sup., p. 159, in nota. — [2] Vel: ad regionem australem, ad pagum scilicet.

praefectus arcis, rerum administratorem [1] interrogans: « Quanam poena, inquit, dignus est iste, qui Apollinem convitiis lacessivit? » At administrator: « Poenam mortis meretur. » Cui [2] sanctus Anbā Dyus [3]: « Qui me nunc capitis damnas, vade ad sepeliendum filium tuum; quippe qui a scorpione punctus et mortuus est. » Dixit ei praefectus arcis: « Quaenam sunt haec verba magica quae profers? » Et iussit eum flagris caedi. Sed sanctus, ad eum *conversus*: « Vade, inquit, ad uxorem tuam sepeliendam; mortua enim est. » Dixit rerum administrator diplomatum scriptori: « I et rem explora. » Qui, extra arcis portam egressus, occurrit servis praefecti arcis, qui vestibus scissis mortem pueri a scorpione puncti lamentabantur; itemque eos audivit qui in domo administratoris propter uxoris huius obitum flebant. Tum, cito reversus, iis expositis quae facta essent, dixit: « Vir Dei hic est. » Confestim iussus est sanctus in carcerem condi. Posthac advenit imperator, cui ea patefecerunt quae de sancto Abadyo accidissent. Hunc igitur arcessitum ita compellavit: « Revela mihi quomodo artem magicam in uxorem administratoris et in praefecti arcis filium adhibueris. » Simulque praecepit ut iacentem atque extensum flagris verberarent quoad sanguis in terram aquae instar difflueret; eumque *omnia* patienter sustinentem acerbis affecit suppliciis. Dein iussit eum in carcerem *iterum* detrudi. Qui, quum morti proximus esset, sic oravit: « O Domine mi, Iesu Christe! o universorum qui te confidunt Salvator! » Atque illico ipsi apparuit angelus Domini, a quo corpus suum tangente sanatus est et qui dixit ei: « Surge et imperatorem adi; sententiam hic in te scripto edicet. » Ea re audita, martyr, magnopere gestiens, e custodia exivit insciis militibus, et cum eo ascenderunt *nonnulli* in locum altum et excelsum, ad conditorium cingulorum, *e quo* acceptum cingulum suum Badasyus [3] ante imperatorem proiecit, in haec erumpens verba: « Ego Iesu Christi, Regis regum, miles. » Quamobrem iratus imperator servis suis praecepit ut, loci illius culmine conscenso,

[1] Voce نقيب designatur *praepositus* seu *praeses*; qui qualis hoc loco intellegatur, vel cuinam rerum generi praefuerit lectori divinandum relinquitur. — [2] Mira contrarietas haec inter et subsequentia, ex quibus administratoris non filius, sed uxor, praefecti arcis non uxor, sed filius morte repentina sublatus fuerit. — [3] *Sic.*

Abadyum capite inverso praecipitem deicerent. Itaque certatim ascendentes milites, loci culmen asseculi, angelos viderunt, *qui e caelo descenderant, coronas gloriosas secum deferentes, quibus martyris *caput* cinxerunt. Quocirca milites imperatori dixerunt: « Ad illum accedere non possumus, siquidem eum ab angelis circumdatum vidimus. » Unus tamen militum ausus est sanctum, prout iusserat imperator, praecipitem dare. Qui, spiritu emisso, martyrium complevit. Imperator, rei certior factus, praecepit ut corpus feris obiceretur; sed venit monachus, qui in illis partibus vitam agebat religiosam, ac corpus secreto ablatum involvit sepelivitque, et ex hoc multa prodierunt miracula.

p. 418.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 233.

MENSIS ṬŪBAH DIES VIGESIMUS SEXTUS.

Hodie martyrium passi sunt sancti patres monachi et seniores quadraginta novem cum legato et huius filio.

Haec autem fuit martyrii illorum causa. Temporibus Theodosii, filii Arcadii, — qui ambo fuerunt imperatores iusti, — evenit ut Theodosius, cum prole careret, ad seniores scetenses aliquem mitteret, eos rogans ut filium sibi a Deo postularent. Inter illos senex erat grandaevus, nomine Isidorus (Yasīdrūh)[1], qui ad imperatorem epistulam dedit, monens nolle Deum ex illo sobolem gigni, ne haec haereticis post eum consociaretur. Epistulam eorum postquam legit imperator, gratiis eam ob rem Deo actis, acquievit. Consilium vero ei dederunt viri quidam scelesti ut aliam duceret uxorem ex qua prolem susciperet, futuram ipso demortuo imperii haeredem. Quibus respondit: « Nihil agam quod praescriptis seniorum deserti Aegypti adversetur. » Horum quippe fama in maiorem mundi partem percrebruerat. Quare misit qui interrogaret utrum per eos id liceret. Legato autem filius erat qui precibus a patre obtinuit ut ipsi comes adscisceretur, benedictionem a sanctis monachis recepturus. Cum ambo ad seniores pervenissent et ab his lecta esset imperatoris epistula, patre Anbā Isidoro ad requiem interim translato, ad huius corpus *monachi*, legato secum as-

[1] B, hic et infra: Naštoruh; C, ubique: Isīdrus.

sumpto, se contulerunt, corpusque his compellarunt verbis: « Pater noster, ab imperatore istae advenerunt litterae; quibus quid respondeamus nescimus. » Tum residens senex defunctus: « Nonne, inquit, imperatorem iam praemonui, ipsi a Deo non concessum iri sobolem, quae defectione a fide inquinaretur? Itaque, etiamsi decem uxores duceret, prolem ex eis numquam suscipiet. » Dein sanctus iterum recubuit. Rescriptum igitur epistulae *allatae* legato commiserunt; et cum hic proficisci statuisset, ecce irruperunt Berberi. Tunc assurgens senex grandaevus, Anbā Paulus[1], fratribus dixit: « Ecce Berberi adsunt, quibus nihil aliud in animo est quam *ut nos interficiant. Quisquis igitur martyrium exoptat mecum stet; et qui timore anguntur ad castellum[2] ascendant. » Pars itaque aufugit; sed quadraginta octo cum sene manserunt; Berberique venientes, seniores trucidarunt. Filius autem legati, in itinere retro conversus, angelos vidit coronas martyrii capitibus seniorum imponentes. Nomen puero erat Dyas. Qui patri dixit: « En agmen aspicio caelitum, qui coronas illorum capitibus imponunt, et nunc ego *quoque illuc* me confero, ut coronam, non secus ac illi, accipiam. » Tum pater: « Et ego, inquit, tecum pergam, fili mi. » Itaque, redeuntes, sese exhibuerunt Berberis, a quibus interfecti martyrium consummarunt. Berberis digressis, monachi, ex castello descendentes, corpora collegerunt et in spelunca deposuerunt; tum coram eis preces et cantus per totam noctem fundere coeperunt atque benedictionem ex iis capessere.

p. 234.

Porro venerunt quidam et corpus Anbā Pauli furto ablatum in el-Batanūn asportarunt, ubi, postquam aliquandiu mansit, idem seniores in locum suum retulerunt. Alii, ex Phaeumi (el-Fayyūm) incolis, venientes corpus adulescentuli furati sunt; verum hoc, illis ad lacum Phaeumensem advenientibus, ab angelo Domini ereptum est et eo translatum ubi corpus patris eius repositum erat. Alias quoque conati sunt monachi corpus pueri a corpore patris separare; verum, postridie redeuntes, alterum alteri denuo appositum reperiebant, donec seniorum quidam alicuius visione donatus est, quasi sibi dicentis: « O

[1] B: Anbā Yūnas; C: Anbā Yūanas. — [2] Qualia passim aedificata erant, ut monachi, hostibus ingruentibus, illuc confugere possent.

Christi athleta, nos. cum in corporibus versaremur, non sumus seiuncti, et apud Christum non seiungimur; quare nos seiungitis? » Et ex illa die ambos non iam separarunt. Cum autem, Berberis egressis et deserto vastato, monachi corporibus sanctorum timerent, ea e suis locis translata asportarunt iuxta ecclesiam sancti Abū Macarii (Maqār), eis speluncam appararunt et huic, temporibus Theodosii patriarchae, ecclesiam superstruxerunt. Dein, ubi venit pater Beniaminus, festum iis die quinto mensis amšir indixit, et id quidem propter inventionem corporum illorum. Eorundem ecclesia nunc est in monasterio quod ipsorum coptico nomine Bihmā Ibsīt[1] ⲡⲓⲙ̅ⲑ̅[2] conspicuum.

Ipsorum preces nos custodiant et benedictio eorum nos *omnes* in aeternum complectatur. Amen.

Eadem die, ad requiem translata est sancta Anastasia ('Anāstāsyah). Huius quae, ex stirpe patricia et ex urbe
p. 235. *Alexandria ortum ducens, ac Constantinopoli educata, corporis pulchritudine excellebat, nuptias expetivit Iustianus (Yūsṭiānūs)[3] imperator. Quae tamen ei non consensit, siquidem illius uxor adhuc superstes erat. Hanc vero certiorem fecit petitionis quam imperator ad se direxerat. Quare eam rebus necessariis instructam imperatoris uxor in regionem Aegypti misit, ubi sibi *Anastasia* extra Alexandriam monasterium instruxit, quod eius nomine insignitum est. Hoc ubi rescivit imperator, misit qui illam requireret. At ipsa, externo alicuius viri principis habitu assumpto, ad desertum scetense (Šihāt) aufugiens, adiit sanctum Anbā Danielem hegumenum, cui secretum suum revelavit. Is eam ad speluncam adduxit, neque adventus illius conscius fuit quisquam, praeter senem *quemdam*, cui praecepit Anbā Daniel ut, hydria aquae plena singulis hebdomadis ad ostium speluncae allata, recederet, et qui *caeteroquin* eam feminam esse ignorabat. Illa in hoc statu octo et viginti annos perseveravit, summum asceseos apicem assecuta. Sene defuncto, coepit Anbā Danielis discipulus[4] eo munere fungi quo fungebatur senex. *Anastasia* autem cogitationes suas fragmento

[1] Voces exscribo quales in codd. arabicis prostant, nulla ratione habita copticae earundem formae. — [2] B add. interpretationem copticae vocis: id est, novem et quadraginta. — [3] B: Yūstānus. Utrum Iustinus significetur, an Iustinianus, ambigere licet. — [4] Ita ex B et C; A, absone: Sene Anbā Daniele defuncto, coepit eius discipulus.

testaceo inscribebat, quod iuxta ostium speluncae depositum frater ad senem *Anbā Danielem* afferebat, nescius quid ei insculptum. Quadam die attulit discipulus fragmentum, quo perlecto flevit *senex* et afferenti dixit: « Age, fili mi, eamus, sanctum[1] humo condituri, quia e corpore egredi vult. » Postquam ad eam ingressi sunt et mutuam petierunt dederuntque benedictionem, compellans *Anastasia* Anbā Danielem: « Dei nomine, inquit, te rogo ne me mortuam ullis involvas pannis praeter eos quibus tegor. » Tum preces fudit et dixit ei: « Ego vos Domino commendatos volo. » Dein, super terram recumbens, exspiravit. Illi et mortuam defleverunt et ei sepeliendae dederunt operam. Cum autem accessisset discipulus ad eam involvendam, ubera eius vidit, quae folio ficus similia facta erant, utpote paenitentiae rigore arefacta, et, *rem* admiratus, reticuit. Ipsa autem humo mandata, discipulus ad cellam reversus, ante senis pedes se proiecit, dicens: « Per Deum, o pater, illius historiam mihi expone: nam ipsam agnovi esse feminam. » Tum coepit ei senex eiusdem fata pandere, illam quidem ex genere patricio constantinopolitano ortum duxisse, dein quomodo se Christo dederit et gloriam huius mundi a se repudiaverit. *ita vero ab ista muliere nobis viris propriae p. 236.
reprehensionis causam suppeditari, *denique* insigne fuisse certamen quod sustinuit, mulierum debilitate abdicata et virorum robustorum fortitudine assumpta.

Ipsius preces et benedictio nobis adsint. Amen.

Martyrium passus est sanctus Anbā Bağūš, ex regione a p. 118.
septentrionali parte Bilad sita oriundus. Erat hic villicus, eique multi agri, quos conserebat, pauperibus levamen haud exiguum ab eo accipientibus. Quidquid ex fasciculis post messores dimiserant operarii[2], non sinebat ab iisdem in plaustra[2] proici, sed: « Haec, inquiebat, pauperibus relinquite, siquidem Deus dixit[3]: Ne collegeris quod in agris tuis *residuum est.* » Messoribus singulis, praeter eorum mercedem, itemque egentibus, seminum portiones distribuebat. Pecorum etiam partem indigentibus dabat et, pomorum tempore, quidquid in hortis

[1] B et C: corpus senis. — [2] Bina eiusdem radicis, vocabula المعطلون et العطل, quorum nullam significationem huic nostro loco congruentem ex lexicis expiscari contigit, sic interpretor (*operarii, plaustra*), salvo iudicio doctiorum. — [3] *Deut.*, XXIV, 20, 27.

suis repertum fuisset cum viduis, orphanis et eremitis [1] communicabat. Neminem repellebat, sed porta domus eius propinquis atque extraneis manebat aperta. Ad hanc eleemosynarum eius et operum misericordiae multitudinem respiciens Dominus, eum vocatum voluit ad coronam martyrii accipiendam. Quare apparuit illi Michael *archangelus*, eaque praedixit quae illi obventura essent. Ipse, vero, omnes facultates suas pauperibus, viduis, egentibus atque egenis distribuens, thesaurum sibi in caelo coacervavit, crucem suam accepit et Dominum suum secutus est.

Ante tribunal iudicii constitutus, altissima voce clamavit: « Christianum me palam profiteor. » Noverat autem eum praefectus, noverat generis nobilitatem; eum proinde reveritus, dixit: « Quisnam te vocavit? » Porro tunc aderat princeps Arianus, quem praefectus certiorem fecit eorum quae ad sanctum Anbā Baǵūš attinebant, dixitque Arianus: « Istum mihi committe, et eum inducam ad tus offerendum. » Quare eum illa die a tormentis immunem dimiserunt et custodiae manciparunt. Cum vero audisset mater eius filium suum in vincula coniectum esse, eum in carcerem adiit et dixit ei: « Quomodo discedis, me derelicta? En ego quoque *Christum* confitebor et martyrii coronam tecum consequar. » Et ipsa quidem cum eo permansit, atque orabant uterque, Deumque precabantur ut sibi in subeundo martyrio adesset. Iubente autem praefecto illum adduci, eum secuta est mater, clamans: « Christiana sum. » Cui praefectus mirabundus dixit: « Quis
p. 419. est qui te vocavit? » *Respondit ei: « Equidem veni ad confitendum nomen Iesu Christi coram hominibus, ut ipse me coram angelis caeli confiteatur. » Eam igitur blande allocutus, cum eam a sua non posset fide dimovere, praecepit ut caput eius amputaretur, et *sic* ipsa martyrium consummavit. Anbā Baǵūš Ariano traditus est, qui secum Antinoen ('Anṣinā) abductum praelo, lecto ferreo et omni tormentorum genere crucians, fidem eius labefactare non valuit. Assistebat autem Ariano consiliarius perversus, qui ei dixit: « Mitte qui arcessat caecum illum, *quem conspicimus* sedentem; is enim protervus est, et magna qua pollet malignitate christianum

[1] Vel: desolatis.

istum lacesset. » Ille igitur, a praefecto arcessitus et ab adstantibus de causa sancti certior factus, ad martyrem accedens, coepit eum convitiis impetere atque ei dicere: « Quo tempore christianus eram, caecus evasi, neque levamen accepi nisi a tempore quo Apollinem adoravi. Quare tu praefecto morem non geris nec te oboedientem praestas, tus offerendo? » Cui martyr Anbā Baǵūš: « Illo eodem praecipiente, cuius nomen sanctum blasphemasti, aperiat terra os suum teque absorbeat. » Necdum *haec* verba proferendi finem fecerat, cum terra, aperto ore suo, caecum illum devoravit. Iratus itaque Arianus iussit illum lapidi praeli supponi. Ad quem descendens archangelus Michael, salvum eum atque sanum praestitit. Praefectus vero furore repletus est, quia homines multi aderant, atque, ea quae fiebant intuiti, in Christum crediderunt. Ei igitur auctores fuerunt consilii primores ut *pervicacem* capitis damnaret, ne multi ex urbis civibus perirent, et praefectus sancti sententiam scripsit. Qui, a militibus comprehensus, tum ad Ṭamā, qui pagus est ex regione Qārī, adductus et haud procul ab eodem, occidentem versus, constitutus, ab iisdem petiit ut sibi mora temporis ad Dominum orandum concederetur. *Tunc* apparuit ei angelus Domini, qui bona caelestia ac vitam aeternam promisit, itemque omnes qui, angustiis vel calamitate oppressi, aut expostulatione sive creditorum sive principum vexati, dixerint: « O Deus sancti Anbā Baǵūš, mihi adsis et salva me », statim a Domino exauditum iri [1]. Itaque sanctus gavisus est, et collum purum protendentis pretiosum caput acie gladii abscissum est; ex quo sanguis et lac manaverunt. Eo relicto, illi abierunt; egressi autem viri ex incolis illius pagi corpus abstulerunt et pro merito sepultum absconderunt, quoad, persecutione cessante, illius sancti nomine, a parte occidentali Ṭamā, apud pagum qui Salmūn appellabatur, aedificata est ecclesia, in qua corpus idem repositum, *Dominusque illa hora p. 420.
signa et miracula multa edidit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

[1] In hac propositione, inversio quaedam seu metathesis instituenda, quo sensus planior fiat, qualis hic proponitur.

p. 236. MENSIS TUBAH DIES VIGESIMUS SEPTIMUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Serapion.

Is fuit ex incolis Babnūsah [1], in Aegypti inferioris finibus, eique erant divitiae multae, possessiones atque armenta. Ad eleemosynas elargiendas et misericordiam admodum propensus. postquam, tempore persecutionis desaevientis, audivit Armenium (Armānyūm) praefectum ad regiones *Aegypti* septentrionales, ut christianos persequeretur, descendisse, ex urbe patria egressus est, praefectum quaerens. Amicum autem habebat Theodorum nomine, itemque famulum, armenta sua pascentem, qui Sirmā appellabatur. Isti sanctum secuti sunt, et *omnes*, Alexandriam ad Armenium praefectum accedentes, confessi sunt Christum. illeque eos in vincula coniecit. Quod cum rescivissent urbis cives, convenerunt universi et praefectum cum armis adierunt, hunc interfecturi sanctumque e manibus eius erepturi. Illos tamen ab ea re prohibuit sanctus, affirmans et se sua sponte velle sanguinem pro nomine Christi fundere. Praefectus vero e portu solvit, sancto comite, iussitque sanctum cruciari. Qui equuleo tortus est, machina compressus, in fornacem ignis coniectus, in ollam pice et viscoso pinuum succo bullientem immissus; tum quibusdam corporis nervis praecisis, lecto ferreo affixus est; sed in his omnibus, quae constanter tolerabat, angelus Domini tormenta ab eo avertebat. Dein eundem in crucem egerunt eique affixerunt. At vero descendens angelus Domini sanctum solvit et in locum eius praefectum crucifixit; et hic quidem, cum ab illis crucifigeretur, clamabat: « Ego sum Armenius. » Cui sanctus: « Dominum Deum vivum, inquit, testor, ex isto ligno te non descensurum quoad egrediantur quicumque in custodia tenentur et in eos damnationis sententiam subscribas. » Quod cum ille praestitisset, quingenti ac quadraginta homines capite truncati sunt. Tum praescripsit praefectus uni optimatum qui Auryūn vocabatur ut sanctum secum in patriam abductum cruciaret et, nisi mutaret sententiam, decollaret. Eum itaque secum in navim assumpsit princeps, et, nocte adveniente, ad pagum quemdam appulerunt;

[1] C: Yanbūsah.

sed, illis dormientibus, Dei providentia factum est ut *navigium ad illius sancti patriam deferretur. Et ubi evigilaverunt, p. 237.
dum loci sui, *in quo pridie fuerant*, aspectum mutatum mirabundi comperiunt, ad sanctum venit vox, *admonens* hanc esse ipsius patriam. Tum, in terram egressi, sanctum cruciaverunt, isque, capite abscisso, coronam vitae obtinuit. Tunica sua se Auryūn exuit eademque involutum propinquis eius tradidit.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die festum agimus translationis membrorum sancti apostoli Timothei ex urbe Epheso in urbem Constantinopolim. Quo tempore enim sanctus imperator Constantinus, solio potitus, civitatem constantinopolitanam aedificavit et ad eam plurima comportavit apostolorum et sanctorum corpora, cum de hoc sacro corpore audivisset, quosdam sacerdotes fideles misit, qui illud ad urbem Constantinopolim attulerunt, ubi in templo sanctorum Apostolorum depositum fuit.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria angeli Surielis (Sūryāl), qui vocatur es-Sāfūri [1]. Hic idem est qui Esdrae iusto, prophetae, adstitit, eique mysteria occulta revelavit. Ipse etiam pro peccatoribus perpetuo intercedit.

Huius angeli praecelsi Surielis intercessio nobis in aeternum adsit. Amen.

Eadem die martyrium subiit sanctus illustris, princeps no- p. 420.
bilis, Mār Bafām. Huius sancti avo, cui nomen Anṭāḫiqūs, commiserat imperator Valentinianus (Ūālandyānūs) praefecturam regionum Aegypti, eumque Roma in Aegyptum, fortiter agere paratum [2] miserat. Qui aliquem in somnis vidit, sibi dicentem: « In urbe Ausīm habita. » In hac dum moratur, uxorem duxit filiam viri nobilis Anastasii, ex qua liberos suscepit. Et ubi filius eius adulevit, eum matrimonio iunxit Susannae, filiae Christophori ('Aḫrisṭūfūrūs), viri praepotentis et nobilis, quae marito, die mensis abīb vigesima septima, edidit sidus hoc splendens, cui nomen indiderunt Bafamum; ac parentes, magnopere gestientes, convivia pauperibus appararunt et eleemosynas atque misericordiam solitariis [3] impenderunt. Post-

[1] C: en-Nāfūrī. — [2] Ad litt.: cum proposito valido. — [3] Vel: desolatis, derelictis.

quam novem annorum aetatem attigit *puer*, hunc in ludum litterarium ad presbyterum pium miserunt, eumque duo praeceptores et pedissequus comitabantur. Quondam ad ludum litterarium pergenti contigit ut occurreret viro paralytico, more infantium balbutienti, qui ab ipso supplex eleemosynam petiit. Huius manum apprehendit puer, ut aliquid ei largiretur. Dum autem, ad rem accipiendam sese protendens, pueri manum tangit ille vir, extensae sunt manus eius et pedes, rectusque assurgens exsultabat et Deum laudabat. Porro angelus Domini apparuit sancto Eusaphio (ʿAusāfyūs), illius *Bafami* magistro, dicens: « Sedulam impende operam huic erudiendo » ; simulque certiorem eum fecit omnium rerum quae discipulo eventurae essent; et ex illa die se dedidit Bafamus ieiunio et orationi. Aderat in schola puerulus quem spiritus impurus invaserat et agitabat, ita ut terrerentur *caeteri* parvuli. Ad quem accedens puer *Bafamus*, pro eo oravit, eum signo crucis signavit atque exigua aqua aspersit, et tunc exclamavit daemon qui puero inerat, dixitque: « Sine istum a me torqueri, quia pater eius mercator est iniustus atque iniquus, misericordiae expers, foenerator, iurans per Dei nomen et periurans [1]. Ex eo tamen egrediar propter reverentiam archangeli Michaelis, qui te comitatur. » Illo igitur confestim egresso, sanatus est puerulus.

Permanebat hic sanctus Abū Bafamus orationi et solitudini intra cubiculum constanter addictus. Quadam autem nocte, stanti ad orandum apparuit Salvator huiusque Mater Virgo, et Michael atque Gabriel, et cubiculum [2] solis instar resplenduit. Adspiciens ille Salvatorem, timore correptus procidit; eum vero Salvator erexit, timorem ab eo depulit et ei praenunciavit omnia quae ipsum manerent: quid corpori, capite ab-
p. 421. scisso, obventurum; *miracula item, quae vivens et post martyrium patraturus esset, atque ea miracula ad finem usque saeculorum duratura, foreque ut quicumque calamitate pressus ipsius nomen invocaret, a Deo liberaretur. Eum *insuper* iussit curare ne famulus suus Diogenes a se ante diem martyrii discederet, utque, post martyrium, linteum sanguinis plenum

[1] Vocem hanc coniiciens apposui, codice hic vel mendoso, vel mutilo. — [2] Arab.: المقصرة. Quod nomen quin valeat *cubiculum*, silentibus licet omnibus lexicographis, propter manifestam cum قصارة et مقصورة cognationem, nullus dubito.

acciperet, ad hanc urbem [1] afferret, ecclesiamque in ipsius honorem aedificaret. Tum subiunxit: « Intra hanc ecclesiam tuum reponent sanguinem, e quo sanationes plurimae oriturae. Theodorus, tuus in schola comes, huiusce urbis episcopus creabitur, isque vitam tuam totam atque miracula enarrabit. Michaeli autem munus commisi tibi adhaerendi et eorum omnium necessitatibus consulendi qui me, nomine tuo interposito, invocaverint. » *Dein* Salvator, pacem ei precatus, in caelum gloriosus ascendit.

Postridie parentes faciem eius luce resplendentem viderunt. Ipse autem me, Theodorum contemptibilem, arcessitum certiorem fecit omnium rerum quas conspexisset, et apud eum reliquam illius diei partem commoratus sum, cum eo Christum Dominum laudans ac libros sanctos legens. Ex ea die ille non iam *eo quo solitus erat modo* comedit vel bibit, ab equitando abstinuit, et coepit biduana, triduana ac saepe integrae hebdomadae ieiunia frequentare, nonnisi pane atque sale vescens. Libros multos didicit, quos memoriter exponebat, et in iis legendis assiduus versabatur. Posthac pater eius et mater magnum instruxerunt convivium, eumque misso nuntio advocaverunt et adstantem interrogaverunt: « Cur ita remotus ac solitarius degis? Quid cordi tuo insit nobis pande, quoniam solliciti sumus de nuptiis tibi parandis. » Qui respondit eis: « Neque rem hanc cupio, neque de ea consultabo unquam ».

Porro ei invidit Satanas, mihique narratum est, fratri monacho de hoc sancto exhibitam esse visionem quam ille sic exposuit: « Angelum vidi mecum ambulantem, quo ducente tumulum conscendi ab occidentali urbis parte situm; virumque aethiopem adspexi, tribus cubitis altum, cuius oculi lampadibus igneis pares, dentes extra labra prominentes et lingua ex ore egrediens, barba vero hircorum barbae similis. Adspectus eius horridus, et eum circumstabant satellites multiformes, parati ad sanctum Abū Bafamum impugnandum atque tentationibus obiciendum. Tum angelo dixi: « Quare per Dominum isti rebelli licet hunc sanctum tentare? » Qui mihi respondit: « Sinit Dominus electos ab isto tentari, ut eorum constantia manifesta fiat, utque eum dein devincant et pedibus suis con-

[1] Scil. Ausīm.

terant. Verum veni et vide. » Tunc me duxit ad locum ab orientali urbis parte situm et mihi ostendit arcem marmore eleganti exstructam, in qua conclave magnum ac sedes dispositae, quae lapidibus pretiosis decoratae erant, luxque splendens ac caelestis, illisque *sedibus* impositae coronae. Et ei qui mihi comes aderat dixi : « Quid sunt haec ? » Respondit : « Hae
p. 422. sunt septem virtutes quas acquisivit hic *sanctus, nimirum humilitas, virginitas, oratio, patientia, eleemosyna, quae omnibus praestantior est, mansuetudo et iustitia. Istae virtutes homini conciliant regni caelorum haereditatem, quam hic adulescens Bafamus apprehendit ; eaedemque eum non deserent quoad purum Domino sistant. » — Itaque monachus ille Domini laudes ob ea quae viderat celebravit. Porro non destitit hic adulescens egregius a certamine quod incolarum deserti instar sustinebat, donec edita sunt imperatorum decreta de idololatria unanimiter amplectenda et de omnibus ad *idolorum* adorationem cogendis. Quod factum ubi sanctus rescivit, coepit orationi atque solitudini absque intermissione vacare ; singulis noctibus tot persolvebat genuflectiones ut numerari non possent, neque opera paenitentiae atque religionis ab eo praestita ullus praeter Deum norat. Equidem cum eo assidue versabar.

Eius autem fama ad imperatorem Maximianum perlata est ; qui statim epistulam ad Arianum, Aegypti superioris praefectum, scripsit, ut *urbem* Ausīmum peteret ille sufficientemque institueret inquisitionem de adulescente illo cui nomen Bafamus [1], quoniam, *inquiebat*, « de isto ad nos rumores mali delati sunt, ipseque, nostris decretis spretis, Christum adorat. Qui si *tamen* tibi paruerit, magnis eum dona praemiis ; sin vero non oboedierit, eum ad nos dirige. » Epistulam misit per principem viginti equitibus stipatum ; quam epistulam postquam legit princeps Arianus, equum conscendit et ingenti multitudine comitante ad civitatem Ausīmum se contulit. Bafamo *tunc* apparuit Michael archangelus et dixit ei : « Eia, gaude, o Bafame. Quid moraris otiosus, certamine iam late conserto et coronis gratuito oblatis ? En imperator [2] principem cum epistula misit ad Arianum praefectum, qui nunc ad hanc urbem adventat, te requirens, turbis multis comitantibus. Ad eum igitur

[1] Codex, hoc loco : Abfâm. — [2] In cod. : princeps.

egredere et Christum confitere, nihil timens, quoniam a te non discedam, et necesse est te ab eo ad imperatorem mitti, a quo gravia sustinebis tormenta, dein ab hoc ad Arianum remitti et certamen tuum consummare. » Tum *archangelus*, pacem ei precatus, in caelum ascendit. Confestim igitur sanctus ad matrem se contulit et cum ea quaecumque viderat communicavit. Quae dixit ei : « Et ego idem vidi, fili mi, et me quoque Michael certiorem fecit ; a te proinde non abscedam. » Reversus itaque ille ad cubiculum in quo fuerat, laudibus Dei celebrandis et psalmis decantandis integram impendit noctem.

Postero die, me Theodorum arcessitum certiorem fecit omnium rerum quas viderat, mihique dixit : « Paratus esto, si sanguinem meum linteo exceptum ad hanc ecclesiam attulerint. Tu enim et famulus meus ecclesiam aedificandam curabitis, ac gradum episcopatus consequeris, prout mihi revelatum, et ecclesiam quidem consecrabis atque plurima videbis miracula. » Cui ego : « Domine mi, fiat voluntas Dei. » Nobisque sedentibus nuntiatum est *Arianum cum suo exercitu p. 423.
adventare. Cuius adventu commota est civitas, huiusque primores exierunt, timore magno correpti, et coram eo se prostraverunt, dicentes : « O domine noster, quale admisimus crimen ut ad nos cum isto exercitu venires ? » Qui respondit eis : « Non est cur timeatis ; sed Bafamum mihi tradite. » Tum illi : « Quod iubes fiet » ; et ad aedes sancti convenientes, hunc invenerunt alba indutum stola et equo albo insidentem. Cubiculo suo *Bafamus* valedixit, idemque osculatus est, et cum egressus esset, famuli, coram eo stantes, ei dixerunt : « Quonam tendis, domine noster Bīfāmūn ? » [1]. Sanctus iis respondit : « In occursum praefecti exeo, veste nuptiali indutus. Ne molestiam in me repetendo susceperitis ; libens enim et sponte mea veni. » Itaque universi flentes dixerunt : « Te voluissemus animabus nostris redimere. » Ubi autem ad praefectum accessit, hic, sublatis oculis, gratiam Christi vidit in eum effusam, et, pulchritudinem adulescentiae eius atque vestimenti admirans, eum sic compellavit : « Pax tibi, Bīfāmūn. » Cui sanctus : « Pax gaudium significat ; et equidem semper gaudeo, tibi vero non est gaudium, quia nullum impiis est, dicit

[1] *Sic*, hoc loco.

Dominus. » At praefectus : « Attende ad imperatoris decretum et, missa loquacitate, tus offer. » Tum sanctus : « Corpus hoc tibi prostat ; fac ei quodcumque tibi libuerit ; ego vero nunquam oboediam. » Itaque praefectus iratus iussit talos eius perforari, iis infigi catenas, tum caudae equi alligatum per universam urbem circumduci, praecone ante eum clamante : « Haec isti ita facta sunt, quia imperatoris numina non colit. » Quae postquam absoluta sunt, martyrem reduxerunt, dixitque praefectus : « Initium tormentorum expertus es ; accede et tus offer. » Respondit ei martyr : « Similis es culici rupem alis percutienti. » Porro statim abierant famuli sancti *martyris* et heram suam fecerant certiorem de iis quae acciderant. Egressa igitur est illa clamans et venit, ac postquam filium in hoc statu vidit, scissis vestimentis suis et crinibus pulvere conspersis, his lamentabatur verbis : « Vae mihi, o lumen oculorum meorum ! » Tum ad filium accessit, qui dixit ei : « Hodie nomen Christi a domo tua abstulerunt. [1] » Processerunt autem famuli *huius* sancti, numero centum, et conclamarunt : « Christianismum nos palam profitemur et in Deum heri nostri credimus ; » impetuque in praefectum facto atque eius throno everso, ipsum maledictis et convitiis lacessiverunt. Sed milites eius processerunt eumque erexerunt. Quibus illico praecepit ut ingentem ducerent fossam, ignem ardentem accenderent et martyris servos in ignem deicerent. Cum autem vidisset mater sancti ipsos servos suos sua sponte in ignem
p. 424. insilientes, ad filium accedens, *eum osculata est, eique valedixit, illo ipsi benedicente eamque signante signo crucis ; tum properans sese in ignem demersit. Martyrium suum die mensis tūt vigesimo octavo *omnes* consummarunt, neque ullus ex servis *Bafami* superstes fuit, praeter Diogenem (Dyūǧānos), qui eum in omnem locum sequebatur ; viditque sanctus angelos capitibus martyrum imponentes coronas et eorundem animas cum gaudio et exsultatione suscipientes.

Quorum benedictio nobis adsit.

Postero die, cruciavit *Arianus* martyrem et, cum eum a fide dimovere non potuisset, relatione de iis rebus quae accidissent

[1] Haec Bafami verba paulo forsan facilius intellegentur, si eadem non affirmantis, sed interrogantis verba esse ponamus : « Numquid hodie...? ».

conscripta, sanctum principi tradidit, ab hoc perducendum ad imperatorem, ipseque Ausīmo discessit. Biduo elapso, urbis cives egressi sunt atque corpora sanctorum famulorum sancti *Bafami* et matris huius intacta abstulerunt ac sepultura donarunt. Martyr autem Abū Bafamus adductus est et coram Maximiano constitutus, qui, ipsius gratiam, speciem atque pulchritudinem admiratus, multis eum verbis allocutus est, et, cum ei persuadere nequiret, iussit eum, ingenti lapide ad collum alligato, in mare demitti. Quem ad se oratione recurrentem eduxit Dominus atque liberavit. Subinde turbo vehemens exortus est et in mare [1] imperatorem deiecit ; sed istum, ab eo invocatus, martyr salvum praestitit. Huius cognita fortitudine, imperator, cum persentiret eum a se convinci non posse, epistulam scripsit et ad Hermanium (Harmānyūs), Alexandriae praefectum, misit ; itemque sanctum cum militum custodia eo transmisit. Quem ante se adstantem praefectus, perlectis imperatoris litteris, artificiose sic compellavit : « Te ad me misit imperator, ut, ture diis oblato, magnos consequaris honores. » Respondit ei martyr : « Qui imperatori non oboedivi, quomodo tibi oboediam ? » Iratus itaque praefectus, clavam aliquantisper apprehendit ; sed, cum vellet eum percutere, illius brachium, ab humero divulsum, in terram decidit, ipseque remansit gravi affectus dolore et in haec erupit verba : « Qui te ad nos adduxit, is a Deo nulla quiete *vel felicitate* donetur. » [2] Illius vero, propter dolores quibus premebatur, misertus, martyr Abū Bafamus ita oravit : « Tu, Domine, dixisti : Nolite malum pro malo reddere. » Tum apprehensum brachium eius in locum suum coaptavit, signoque crucis signavit. Quod Dei virtute evasit quale prius fuerat. Miles autem qui aderat, nomine Dionysius, cum vidisset quod contigerat, cum servis suis processit, et conclamarunt : « Christianismum nos palam profitemur. » Quare ira excandescens praefectus praecepit ut eorum capita acie gladii amputarentur. Item iussit martyrem equuleo imponi et comprimi quoad sanguis manaret, tum acetum et calcem in corpus eius infundi ; sed *Bafamus* ab angelo, quem Dominus miserat, sanatus est. Hermanius tamen,

[1] Vel : in flumen. — [2] Melius forsan, admissa unius litterae insertione : Nonne Deus id nobis concedet, ut a te quiescamus ? Cf. edit. arab.

postquam intellexit martyrem animo fortem esse neque a fide sua discessurum, eum praeposito tradidit, adiunctis militibus, et ad Arianum, Aegypti superioris praefectum, misit, cui et
p. 425. dixit: *« Rebellem hunc accipe ac in regionem exteram eiecti caput gladio abscide. » Et milites quidem sanctum Abū Bafamum adduxerunt, qui tunc temporis iam dies viginti duos nihil comedens nihilque bibens exegerat, quemadmodum testatus est Diogenes, famulus eius, quum in navi esset.

Quo tempore autem ante praefectum constitutus est, fulgebat vultus eius ut sol splendens. Tum *praefectus* eum interrogavit: « Quare, Bafame, neque domino meo imperatori neque Hermanio, Alexandriae praefecto, morem gessisti? » At ille: « Vobis, inquit, nunquam oboediam. » Porro iussit *praefectus* virgam ferream afferri, quinque clavos longos confici, ungues manuum et pedum eius evelli, uno autem ex illis clavis caput, duobus pedes, duobus item manus ligno affigi; dein exclamavit praefectus: « Erubesce, Bafame. Ubinam Deus tuus, qui te e manu mea ereptum salvum praestet? » At martyr oravit, et, Salvatore e caelo descendente, statim diffluxerunt clavi et velut cera facti sunt; stetitque martyr incolumis coram Domino, et Salvator eum ita affatus est: « O electe mi, attolle manus tuas [1] et suspice caelum, ubi thronus tuus et corona tua. Equidem nomen tuum celebre efficiam atque illustre; miracula e corpore tuo prodibunt, et quicumque me in nomine tuo invocaverit, eum salvum praestabo. » Dein, manum corpori eius imponens, eum confortavit, et, pacem imprecatus, cum magna gloria in caelum ascendit. Posthac praefectus martyri dixit: « Tus offeres, aut morieris. » Ei restitit martyr, responsumque ex sacris libris opposuit. Quare in eum excandescens *praefectus* haec eum iureiurando minatus est: « Equidem te non *hic* interficiam, sed mecum ad Aḫmīm abductum *ibi* morti tradam. » At vero iuravit martyr quoque, dicens: « Ad urbem Aḫmīm tecum nequaquam ibo. » Huic itaque succensens, iussit ille talis eius perforatis inseri cardines cum annulo ferreo, eumque ad mare pertrahi, satellite ante ipsum clamante, hunc ita plecti eo quod rebellis fuerit et idola convitiis affecerit. Cum autem sanguis plurimus e cor-

[1] *Sic.* Ubi legendum forsan foret: oculos tuos.

pore suo manaret, exclamavit martyr: « O Domine, ne mei oblitus fueris. En sanguis meus per vias huius urbis effusus est. » Porro ibi aderat, stans, vir caecus, qui turbae dixit: « Ad martyrem ducite me, ut ipsius benedictionem accipiam. » Tum, manu ad terram protensa, digito in martyris sanguine intincto oculis ac corpori suo signum crucis impressit, et, oculis statim apertis, vidit et voce magna laetabundus clamavit: « Credo in Deum huiusce martyris. » Quem martyrem dum sequitur, vidit eius sanguinem in unum confluxisse locum et in oleum mutatum esse. Et ipse idem qui hoc viderat progressus est, dixitque: « O Bafāmūn martyr, noli tristitia affici; ecce sanguis tuus oculos meos aperuit. » Vidensque vulnera quibus corpus eius dilaniatum, digitum suum *iterum* extendit et intinxit in illum sanguinem qui oleum evaserat atque eo martyris inunxit corpus, et, huius vulneribus sanatis, ei
dixit: « Ecce sanguine tuo *tua vulnera sanata. » Adfuit et p. 426.
mulier nomine Helqānā, quae demum ante tres menses militi nupserat et quam nemo *adhuc* viderat. Haec cum, audito turbarum tumultu, e fenestella domus suae respiciens, martyrem conspicata esset, exclamavit: « O Domine mi, o martyr, benedicta illa hora qua te adspexi! En coronam adspicio, tibi et mihi quoque praeparatam. » Multaque protulit verba, quibus martyrem laudaret. Praefectus autem, qui martyrem, mulo insidens, sequebatur, praecepit ut illa ad se deduceretur, atque, ab eadem vituperationibus affectus, iussit a militibus manum eius et pedem caudae equi, itemque manum et pedem caudae muli alligari. Tum, equo incitato, illa in duas partes dirupta, certamen suum fortiter consummavit et coronam immarcescibilem adepta est.

Ubi ad flumen *Nilum* [1] deventum est, martyre in ima navigii parte posito, vela dederunt: sed, martyre orante ac Dominum deprecante, navis immobilis constitit. Quare iratus praefectus satellitibus dixit: « Ite et magum requirite. » Adductum ergo magum, cui nomen Alexander, rogavit ut navigium expediret. Ipse autem magus taurum afferri iussum, postquam in huius aures verba effutiit, incantationibus ita devovit ut disrumpe-

[1] البحر. Ancipitis significationis nomen videtur hoc loco non de *mari*, sed de flumine interpretandum, ut pag. 410.

retur; cuius ambae partes, lance allata, inventae sunt aequales, et praefectus gavisus est. Magus incantationes *alias*, multorum daemonum nominibus invocatis, adhibuit, ipseque ad terram exibat, ascendendo atque descendendo, clamabatque: « Navem expedite »; neque tamen haec loco mota est. Unde dixit illi princeps: « Equidem te ante adventum tuum admirabar; sed, postquam incantationibus usus es, puteum mundasti et exsiccatus est »[1]. Dein iussit praefectus fossam duci, hanc ligno repleri, in eandem fossam mediam martyrem demitti, proicique naphtam et ignem. In fossam igitur demissus, preces ad Dominum *Bafamus* fudit, et descendens Michael eum eripuit e medio illius fornacis, quae facta est velut ros frigidus. Ubi magus martyrem incolumem vidit, in Dominum credidit. Quamobrem praefectus, sententia dicta ut caput eius amputaretur, iratus ad martyrem reversus est, quem sic allocutus: « Vires omnes adversum me adhibuisti. » Tum martyr: « Hodie, inquit, neque comedes neque bibes, priusquam me ad celerem finem deduxeris. » Quare succensens ille praecepit ut appararetur convivium, voluitque surgere, accumbere et comedere; sed, pedibus rigescentibus, ipse solo inhaesit. Attamen prae magna stoliditate, ignorantia et inscitia, iussit escam aliquam et mensam sibi apponi, ut comederet; sed manus exaruit, neque hanc extendere potuit, et deinceps propter manum aridam dolores expertus est. Idcirco praescripsit ut *Bafamus* morti addiceretur. Et *martyr quidem*, a militibus abductus ad pagum cui nomen Ṭamā, ad collem nempe excelsum ab occi-
p. 427. dentali pagi parte situm, a custodibus petiit *ut sibi per eos orare liceret; quibus permittentibus, manus extendit, dicens: « Haec ultima mea in hoc mundo oratio. » Et apparuit ei Christus Dominus, qui eum confortavit eique regni caelestis bona promisit. Ad me vero famulum suum Diogenem respiciens, mihi dixit: « Ad me accede; » et accedens ipsum osculatus sum. Tum, manu mea apprehensa, hoc mihi praescripsit: « Linteum quod tecum attulisti serva, ut eo sanguinem meum excipias, quem ad urbem tuam asportes. » Dein, militibus progredientibus, linteum extendit, in hoc martyr Abū Bafamus constitit, iique caput ipsius purum absciderunt.

[1] Proverbium de opera incassum impensa.

Eadem hora, locus ille suavibus repletus est odoribus, et, dum amare fleo, convenerunt homines complures, qui mihi dixerunt: « Exspecta dum, praefecto abeunte, te adiuvemus. » Et eadem *iterum* hora, vento secundo exorto navique soluta, venerunt pagi incolae cum linteis funebribus et aromatibus pretiosis, quibus martyris corpus pro merito involverunt. Cum autem fossam percussissent, quattuor cubitos altam, sepulcrum invenerunt aedificatum, speluncae praeparatae instar, in quo sanctum corpus collocarunt. Dein accepi ego lapidem, quam, nomine martyris insculpto, in os sepulcri imposui, atque hoc ita occlusimus, eique monumentum superstruxi. Ibi *etiam* appositum est aquarium, e quo biberent transeuntes; et homines multi veniebant, benedictionem aucupantes, atque ab omni morborum genere sani fiebant, et si quos daemon invasisset, ii liberabantur.

Vir fuit manibus et pedibus paralyticus, quem lecto allatum super sepulcrum iacentem deposuerunt. Huic martyr apparuit et dixit: « Hoc tibi propter dicteria et scommata incondita accidit. » Tum baculum quem manu gerebat protendit; et vir, illico sanatus, lecto super humerum sublato, domum rediit, Deum et martyrem eius Bifāmūn glorificans. Die autem tertio[1], mulierem hydropicam adduxerunt. Haec martyrem in somnis vidit, sibi minitantem atque dicentem: « Hoc tibi propter opera tua mala accidit. Verum promitte te castam futuram. » Quod cum iurans promisisset, eidem dixit: « Famulum meum Diogenem iube ad eum locum pergere ubi caput meum amputatum est atque ex eo paululum pulveris colligere, quo corpus tuum inunges, a morbo sic liberanda; sed ad peccatum noli reverti. » Ab ea certior factus ego Diogenes ad illum locum perrexi et, solum explorans, repertas in terra parvas sanguinis guttulas collegi: tum mulierem illam accepi ac pulvere inunxi, et, a morbo subito sanata, Dominum glorificavit. Illic hebdomadam commoratus sum, et miracula ibidem perpetua erant. Porro remansi, navem exspectans, mihique dormienti nocte sabbati apparuit martyr praecelsus Abū Bafam, magna circumfusus gloria, qui mihi dixit: « Crastina die vade; navem invenies, qua ad tuam naviges urbem. *Sanguinem p. 428.

[1] Post sepulturae diem vel post sanationem supra relatam.

autem meum sedulo asserva, et Theodorum, amicum meum, admone de iis omnibus perficiendis quae ei praescripsi; eum enim oportet ad munus episcopale in urbe Ausīm evehi et mihi ecclesiam in una domorum mearum aedificare. Sanguinem hunc in ampulla reponite et insignia prodigia videbitis. » Ego vero, magnopere gestiens, illum osculatus sum, et ipse magna cum gloria in caelum ascendit. Dein mane surrexi et, commeatu diurno assumpto profectus, navem inveni, qua navigavi; itemque Theodorum, *Bafami* amicum, repperi, cui omnia quae facta essent, ab initio usque ad finem, enarravi, eidem tradito linteo quo sanguis continebatur. Hoc gaudens osculatus est, et in eo sanguinem repositum asservarunt. Tum Theodorum episcopum constituerunt, isque ecclesiam consecravit, omnia perfecit quae martyr praescripserat atque urbis civibus quae a Christo Domino promissa essent his verbis revelavit: « Per *varios* terrae tractus percrebrescet miraculorum atque prodigiorum fama; etiam in Ṭamā, quae est ex regionibus urbi Qārī adiacentibus, erunt sanationes insignes; item ecclesiam eius (*Bafāmi*) in Aḫmīm finibus frequentabunt, et *ibi* fient prodigia manifesta atque illustria usque ad finem mundi, atque ad *eandem* eius ecclesiam homines universi ab Alexandria usque ad Syenem confluent, tum caeci, tum qui morbo diuturno laborant, ut sanitatem et integritatem valetudinis obtineant. »

Ipsius precibus Dominus Deus nostri misereatur. Amen.

p. 237. MENSIS ṬŪBAH DIES VIGESIMUS OCTAVUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Clemens (ʿAklīmenṭos). Is erat filius mulieris fidelis ex civibus Ancyrae (Kīrās) [1], cui nomen Euphrosyna (ʿAfrāsīnā), temporibus Hilarii (ʿIlāryūs) et Lucii (Lūqyas) [2], regum Galatarum. Ubi puer adulevit, eum mater omnibus Ecclesiae disciplinis erudivit; et, annos duodecim natus, se ipse pietatis operibus et orationibus frequentibus dedidit, coepitque nihil cocti sanguinolentive comedere, sed terrae leguminibus, trium puerorum instar, vesci. Ad diaconatum dein evectus, maiorem posuit operam in scientia addi-

[1] C: Akīrās. — [2] B: Lūqyūs.

scenda, eratque gratia Domini cum eo. Cuius fama ad se perlata, Diocletianus imperator arcessitum blandissime allocutus est, eique promisit, eum sibi, si secum de idolorum cultu consensisset, filii loco futurum. Huius dictis cum non assentiretur, ab eodem variis affectus est cruciatibus; sed, a Domino confortatus, virtute sua inimicos pudore suffundebat et ante septem tribunalia iudiciaria stetit. — Martyrium *alterum. p. 238. Diocletianus, postquam fastidio ipsi fuit illum torquere, eum Romam misit, haec ad praefectum istius urbis scribens: « Hic magus est, cuius magiae nullam similem unquam vidi, ita ut ab eo tormenta quasi nihili fiant. Quem ad te misi, sperans forsitan fore ut eius cor demulcendo illicias. » Quamobrem ei obtulit ille *praefectus* aurum et vestes, eaque respuenti multa minatus est, non perterritum autem praelo, verberibus et membrorum praecisione cruciavit. Sed *martyrem* Dominus confortabat et in pristinum statum restituebat. — Martyrium tertium. Postquam *praefectum romanum* pertaesum est eum torquere, ab hoc in urbem Nicomediam ad Maximum (Maksīmūs) [1] missus est, qui eum cruciavit quoad ipse et omnes adversarii pudore afficerentur. — Martyrium quartum. Tum eum in urbem patriam, ubi educatus fuerat, ad Ancyrae praefectum [2], reduxerunt, qui eundem acerbe cruciavit. — Martyrium quintum. Dein eum ad Dadianum (Dādyānūs) imperatorem [3] duxerunt, apud quem invenit confessorum multitudinem, quos magnopere confortavit. Erat enim adulescens hic sermone eloquens, et aderat ei Domini gratia. — Martyrium sextum, manu Maximiani (Maksīmānūs). Postquam huc iterum adductus est, reperit sanctum Agā [4] Nicolaum (Nīkālāwos) et martyrum multitudinem; quibuscum eum multum cruciarunt. — Martyrium septimum, manu Lucii (Lūqyās). Ab hoc crudeliter cruciatus, tum gladio decollatus, coronam martyrii obtinuit. — Plurimi autem ex fidelibus fuerunt qui martyrium ipsius *imitandi* causa obierint, *quia nempe,* tenerae licet aetatis, tormenta multa sustinuit, seque patientem virtute Christi exhibuit, prout dicit Apostolus [5]: « Virtus mea in infirmitate perficitur. » Sacro

[1] B et C: Maksīmyānūs. — [2] A, absone: ad Kiram praefectum. — [3] Vel: regem. — [4] *Sic.* Sed haud inverisimile est, legendum: Abā. — [5] II *Cor.*, XII, 9.

eius capite abscisso, venit mulier fidelis, cui nomen Sophia, corpus eius accepit, sepelivit et terrae mandavit.

Ipsius intercessio nobis omnibus in aeternum adsit. Amen.

Eadem die fuit martyrium sancti Abākūh [1] qui ex civibus Bamumyah in regione Phaeumensi (el-Fayyūm) erat. Ipsius preces nobis adsint. Amen.

p. 428. Martyrium passus est sanctus inclitus, Anbā Helias eunuchus. Is, ex pago quodam regionum Behnesae (el-Behnasā) circumiacentium oriundus, villicus erat hortorum Ciliciani (Kilikyānūs) principis, praefectura ibi fungentis, fructusque ad heri domum cotidie afferebat. Ei erat avunculus e numero monachorum ac perfectorum, in deserto interiore solitariam degens vitam. Ad quem hic Helias ventitabat, ut ab eo pietatem et ascesim addisceret, ipsumque ille hortabatur ad animam in puritate servandam, dicens: « Qui natura corporei sunt, puritate angelis spiritalibus similes fiunt. » Itaque, quia avunculum Iacobum invisebat, magnam inde percepit utilitatem. ei Spiritus sancti instinctus revelati sunt et timor Domini, qui initium est sapientiae, infusus fuit. Illis diebus, avunculum ieiunii diuturnitate, orationis vigiliaeque perpetuitate aemulari coepit; mente ac cogitatione in caelum translata, res mundi dereliquit. et quoties fructus ad aedes principis afferebat, oculos ad terram demissos servabat, neque ullum omnino e domus incolis videre cupiebat.

p. 429. Cum autem notata fuisset egregia eius *urbanitas, castitas et modestia, coeperunt omnes ad eum venire; universi nimirum domus incolae coram eo adsistebant, sive pellices, sive puellae mammis sororiantibus praeditae, sive puellulae virgines. Erat *ipse* hic puer in adulescentiae flore, forma venustus, statura mediocris et decens, pulcher aspectu, corpore tener, colore rufus. Oculi eius subnigri, in caeruleum vergentes, genae rubicundae. Adulescentem huiusmodi quicumque intuitus erat, ab eo non discedere cupiebat, nullusque poterat aspectu eius satiari; nemo fuit ei similis vel par, nisi Iosephus iustus, Aegypti princeps. Inimicus vero ei propter honestatem morum, puritatem, cordis munditiem, conscientiae integritatem, invidens, eum capere voluit retibus suis, quae sunt filiae Hevae. et in laqueum fornicationis, amoris mulierum, aspectus earum et colloquii cum iisdem, proicere. Sed illum superare non potuit, utpote ieiunio, oratione et paenitentia [1] communitum, et talem a cuius ore Domini invocatio non recederet. Quare ab eo fugit diabolus, tristis, anxius, molestiam *aliam* quaerens quam ei inferret. Et quidem amorem ac cupidinem illius iniecit in cor filiae Ciliciani principis, libidine illam invadente igneque in eiusdem membris exardescente, quia *adulescens* forma elegans erat et pulcher, quo non fuit quisquam in mundo ea aetate venustior et cui nullum similem mulieres iis temporibus genuerunt.

[1] Vel: Abā Kuh, idem qui infra, p. 436, Abā Kāu appellatur.

Quadam die, cum fructus ad *principis* aedes afferret *Helias*, ad eum properavit illa, coepitque insidias ei struere et iocis blandiri, volens eum secum ad lapsum pertrahere. Cuius ubi opera perversa et artes turpes animadvertit *Helias*, eamque illuc tendere ut ipsum secum in peccatum alliceret, vix domum ingressus ut cophinos cum fructibus deponeret, pedem referens, aufugit, illius instar qui ignem devitat, et statim ascendit ad avunculum suum Anbā Iacobum, apud quem conquestus est quae mulier improba atque perversa in se, lacessendo, proterva effutiendo, attentavisset. Quem tunc hortatus est ille ac vehementer admonuit ne eam intueretur, neve cum ea sermones aut colloquia misceret, utque eam prorsus devitaret, quia, « adspectus mulierum, fili mi, *inquiebat*, lapsus est et scandalum, ipsaeque retia et laquei diaboli, ac fugiendo vir salutem consequitur ». Dixit quippe Salvator noster [2]: « Qui mulierem adspexerit ac concupiverit, iam moechatus est eam in corde suo. » Haec quoque subiungebat *Anbā Iacobus*: « O fili mi, necesse est *prae oculis habeamus* iudicium, et gehennae poenas, et vermes qui non dormiunt, et itineris molestias, et animae exitum, et satellites vultibus varios et tenebras extremas, et stridorem dentium. » Admonenti itaque oboediens *Helias* ampliora asceseos et religionis opera aggressus est ieiunio, vigiliis, oratione multiplici neque intermissa; et reiectis alimentis coctis ac delicatis, coepit pane tantum et sale, nullaque praeterea re vesci.

Posthac auctus *mulieris* illius amor et aestus, ac, corde peccati ignibus exardescente, ipsa *Herodiadi maledictae similis p. 430.

[1] Seu ascesi. — [2] MATTH., V, 28.

evasit. Ubinam sunt adulescentes tirones qui huiusmodi mores improbos atque immundos imitantur? Ubi adulescentes tirones quos libido ita invasit ut Hevae filias requirant? Veniant illi et iuvenem hunc insignemque eius puritatem aemulentur. Qui, intellegens grave sibi ex illa puella periculum imminere, secum tacite cogitavit dixitque: « Quaenam erit *mihi* ab ista femina salus? » Tum penem sibi praecidit ac perfecte mundatum apprehendit, linteolo involvit et ad illam attulit, dicens: « Quod ex membris meis amavisti et concupivisti accipe: me vero dimitte. » Dein ab eadem fugiens discessit et aegrotus aliquandiu mansit. Postquam autem convaluit, coepit illa in ipsum leonis crudelis instar rugire et dixit: « Tu significas me a te ita superatam esse; sed mox perspicies quae tibi paraverim. » Et *reapse* perniciem eius, ut mulier aegyptiaca, uxor pistoris Pharaonis regis Aegypti, meditata, patrem suum adiit, apud quem haec conquesta est: « Adulescens villicus, quem fidum habes, pater mi, et quem sinis in aedes tuas ingredi et ad te fructus afferre, mala de se edidit indicia, meque saepe aggressus est, ad opus turpe invitans; praeterea, o pater, christianus est Christique adorator. »

Quibus ira incensus pater adulescentem Heliam ad se adduci iussum sic allocutus est: « Quomodo tu, cui opes et familiam meam commisi, fidem meam in domo mea fallens, rem probrosam a filia mea petis? » Respondit ei Helias: « Domine mi, innocens ego ab iis quae improperasti, neque te, a tempore quo in domum tuam ingressus sum, in ulla re unquam fefelli, sive ad opes quod attinet, sive ad familiam. Virginitatem meam a die qua in lucem editus sum usque nunc servavi. » Et tunc, sublata veste, locum *pudendorum* exhibuit. Quare miratus princeps: « Istam criminationem, inquit, mittamus. Sed, eia! tus diis adhibe, et in munere tuo perpetuo remanebis. » Eum autem princeps, propter mansuetudinem eius, modestiam, et gratiam Dei ipsi inditam, valde diligebat. Cui sanctus Helias: « Non possum, inquit, magister mi, res istas fabrefactas adorare et Dominum meum Iesum Christum a me amandare. » Eum *princeps* variis cruciatibus acerbis affecit, Domino eundem salvum praestante; et cum videret ille eum a se superari non posse, sententiam de eo decollando subscripsit. Quod audiens martyr gavisus est, dixitque:

« Haec est hora quam exoptabam. » Et milites precatus ut sibi per eos liceret orare, facie ad Orientem conversa, dona spiritalia postulavit, his usus verbis: « O Domine, quicumque, die commemorationis meae, in nomine meo sacrificium obtulerit vel alicui egeno bene fecerit, eum tu in regno caelorum remuneraberis; et si quis, calamitate, angustiis, aere alieno vel principis expostulatione pressus, nomen meum invocaverit, eum tu laetum efficies ac prosperum, et petitionibus cordis eius donabis. » Porro ei apparuit angelus Domini et dixit: « Quaecumque *a Christo Domino postulasti, haec et eis maiora ipse tibi perficiet. p. 431. Quod ad corpus tuum attinet, ecce Iulius Acfasensis (el-'Aqfāsī) tibi proximus adstat, qui omnia quae tibi acciderunt iam conscripsit; ipseque corpus tuum sepeliet et ad avunculum tuum deferendum curabit, qui idem servabit usque ad diem quo Dominus id revelare constituit; et ei pulchram in urbe Ahnās aedificabunt ecclesiam. In hac reponetur corpus tuum et in eadem signa atque miracula edet Dominus. En autem tres coronas praeparavit tibi Dominus: unam, propter pietatem tuam, preces, ieiunium, vigilias et *varia* officia praestita; alteram, propter servatam virginitatem; tertiam, propter patientiam, tormenta quae perpessus es et sanguinem pro Christi nomine fusum. » Gaudens itaque martyr iis quae ab angelo Domini audierat, militibus innuit, collum protendit et, abscisso capite, cursum consummavit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eadem die martyrium subiit pater episcopus, insignis, beatus, perfectus, excellens, venerandus, pater spiritalis Anbā Fāfilās, pastor bonus. Hunc ad imperatorem Numerianum adduxerunt, qui dixit ei: « Mihi oboedi, o episcope, et senectutis tuae miserebor [1]; tus offer numinibus nostris. » Respondit ei sanctus corde impavidus: « Id nunquam committam ut, Domino meo Iesu Christo abnegato, tus operibus manuum hominum oferam. » Iterum vero imperator: « O episcope, inquit, libri vestri omnes fabulae sunt; nostra autem opera vera. Ea igitur praesta quae tibi praescribo, et te secundum a me constituam. » Tum illum irridens episcopus: « Qui me, inquit, verbis tuis decipere vis, tace. » Quare continuo iussit ille *episcopum*

[1] Fortasse legendum, una littera omissa: miserere.

torqueri, atque hunc cruciatibus acerbis affecerunt, quos tamen Christus Dominus ab eo auferebat. Cum eo in tormentis fuerunt tres iuvenes alii. In quibus benigne tractandis ac blande compellandis multam operam posuerat[1] Numerianus imperator, et cum eos a sententia dimovere non potuisset, ira incensus, sententiam Philae[2] episcopi et trium iuvenum qui cum illo erant subscripsit, ut *nempe* eorum capita gladii acie abscinderentur.

Et quidem pater episcopus, ea re audita, gavisus est et his oravit verbis: « O Domine mi Iesu Christe, qui creaturas tuas diligis, te oro atque obtestor ut quicumque nostri in terris meminerit, de eo tu in regno tuo caelesti recorderis et salvum eum ab universis tentationibus praestes. » Ad quem vox e caelo venit, dicens: « O viri electi et puri, mox erit quod petistis et amplius quiddam. » Quare pater episcopus militibus signum sic dedit: « Imperatoris iussa, inquit, adimplete, filii. »
p. 432. *Qui properantes illorum capita acie gladii amputarunt. Et fideles accedentes corpora martyrum collecta linteis eximiis, exquisitis ac pretiosis sepelierunt et absconderunt quoad finem haberet persecutio et gravis oppressio, qua christiani affligebantur. Illis *tunc* aedificata est ecclesia, in qua corpora pura reposita, et ex iisdem corporibus Dominus signa miraculaque edidit.

Eorum precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eadem die, et ea quidem aetate qua mandatum acceperat Cilicianus a Diocletiano ut quicumque idola nova non adoraret morti acerbissimae traderetur, martyrium passus est sanctus Abbā Kāu. Fuit iis temporibus vir nomine Kāu, ex pago Nāmūsā *oriundus*. Qui extra pagum haud procul egressus, domunculam exstruxit, in qua habitavit, et cultui divino, paenitentiae ac multis pietatis operibus vacavit, ieiunium nonnisi singulis sabbatis rumpens, nec quidquam comedens e quo sanguis exiret, nec vinum unquam bibens. Ad eum incolae pagi veniebant, benedictionis eius accipiendae gratia, et aegrotos omnesque infirmos qui inter ipsos erant sanabat. Dum autem pietatis exercitiis et orationi operam dat, nocte diei vigesimae sextae *mensis* kihak, ecce angelus Domini ei apparuit.

[1] Ad litt.: sese defatigaverat. — [2] Sic.

Cui sanctus: « Quisnam es tu, domine mi? » Respondit ille: « Ego Gabriel archangelus. Quid deses otiaris, certamine iam late inito? Mane surgens, perge ad maris[1] litus; *ibi* enim principem Cilicianum invenies, Christianos torquentem. Christum Dominum coram eo confitere, ipseque te Antinoen ('Anṣinā) ducet, quo in loco certamen tuum consummabis. » Et continuo *archangelus* evanuit.

Sanctus vero Abbā Kāu, nulla omnino mora interposita, bene mane surrexit et discipulum suum domi relictum sic admonuit: « Hic remane, et si venerit quispiam me requirens, dic ei: Profectus est pater meus, fratrem invisurus. Persevera autem donec ad te redeam. Preces tuas consuetas persolve, quemadmodum a me quotidie fieri vidisti, quoad fiat voluntas Domini. » Dein oravit, discipulumque suum osculatus et ab eo digressus, ad maris[1] litus pervenit, *ubi* ita exclamavit: « O fili iniquitatis, omnibus hominibus scelestior, quare Deum dereliquisti et idolorum servitio te addixisti? » Quibus sancti verbis auditis, praefectus eum interrogavit: « Unde tu, et ex quo loco venisti? Quod nomen tibi est, et cur eiusmodi sermonem profers? » Respondit ei sanctus: « Imprimis ego christianus, Christi Domini servus, *et tu quo- p. 433.
que nosti, praeter eum, nullum alium Deum esse. Dein vero ex Faeumi (el-Fayyūm) finibus *oriundus* sum, ex pago Bimāy[2]. » Faciem eius considerans, *inibi* deprehendit praefectus gratiam Dei, et dixit ei: « Senectutis tuae me miseret, neque caput tuum gladio abscindam; verum idola imperatoris adora. » At sanctus Abbā Kāu: « Non committam, inquit, ut Dominum meum Iesum Christum derelinquam et idola maledicta adorem. » Tum praefectus: « Apollinem ad te afferri iubebo, ut eius pulchritudinem contempleris. » Iussitque illum afferri, atque allato praefectus *ipse* adorationem illico adhibuit. Sanctus autem eos irridebat. Dein, praefectum compellans: « Eum alloquar, inquit, et videbo num et ipse mecum loquatur. » Et gavisus est praefectus, existimans sanctum, cum ad idolum progrederetur, adorationem ei adhibiturum. Porro Cilicianus, quo tempore Diocletianum imperatorem adierat, ab eo donatus fuerat statua aurea, lapidibus pretiosis decorata,

[1] Vel: Nili fluminis. — [2] *Sic*, hoc loco. Cf. supra, p. 436, l. 28.

cubitum cum dimidio alta, cui nomen Apollo et qua magis quam omnibus divitiis suis gaudebat. Hanc ergo statuam sanctus, brachiis exceptam, in terram deiecit; quae in duas partes confracta est. Itaque praefectus, videns quod factum erat, manu ad vestimentum protensa, hoc scidit, et, gravi excandescens ira, iussit sanctum in equuleum attolli et ab hora diei sexta usque ad octavam premi; qui ita compressus est ut sanguis eius velut aqua manaret et milites, fessi atque impotentes, dicerent: « Domine noster princeps, laborem atque defatigationem suscepimus, ille vero nihil omnino passus est, neque ab invocatione Iesu Christi destitit. » Quare praecepit praefectus ut demissum sibi sisterent, eique dixit: « Initium tormentorum expertus es, quod sane molestum. » Cui martyr Abbā Kāu: « O sceleste, nonne nosti me a Domino meo Iesu Christo roborari? Eia, quod tibi visum fuerit, cito perfice. » Iussit igitur praefectus, illum cum *aliorum* sanctorum multitudine ligatum atque ablatum ad urbem Behnesam (el-Behnesā) abduci.

Porro remanserat praefectus ira incensus propter idoli aurei confractionem, nec quidquam illa die comedit vel bibit. Et quidem praefectus, sedens *pro tribunali* coegit ea die singulos ut victimas offerrent; et ad eum martyrem Abbā Kāu adduxerunt, cui dixit: « Idola venerare, ne moriaris. » Respondit ei martyr magnanimus: « Non poteris me ita seducere ut Iesum Christum, Creatorem caeli et terrae, abnegem. » Praecepit praefectus ut, inter quattuor milites distentus, loris caederetur quoad sanguis eius velut aqua difflueret. Venit autem quidam caecus a nativitate, et, cum digito ad terram protenso sanguinem martyris accepisset et oculis suis imposuisset, vidit. Quamobrem conclamaverunt universae turbae, dicentes: « Nullus sive in caelo, sive in terra Deus, nisi Christus Iesus. » Et iussit
p. 434. praefectus *occidi quotquot in nomen Christi credebant. Porro numeraverunt omnes qui illa die interfecti erant et quingentos eos fuisse invenerunt. Martyrem Abbā Kau carcere in urbe Antinoe (Anṣinā) incluserunt. Cui oranti apparuit virtutis osor, specie angeli divinitus missi indutus, et dixit: « Pax tibi, o sancte Domini, Abbā Kāu. En praefectus te crastina die requiret et e carcere educet. Procedens igitur, Apollinem adora, ut manus illius effugias et abeas quocumque libuerit. » Cum existimaret sanctus Abbā Kāu, illum *qui se alloquebatur* an-

gelum Dei esse, oravit, et vocem Domini audivit sibi dicentem: « Ne timueris, ego tecum sum. Et nunc eum qui tibi adstat et te alloquitur apprehende, ipseque tibi revelabit quis sit. » Martyr, virtute divina in eum immissa, processit, diabolum apprehendit atque interrogavit: « Qui es tu? » Respondit ille: « Dimitte me, et te rei certiorem faciam. » Cui sanctus: « Me prius certiorem fac, et ego te dimittam. » Tum alter: « Ego Ṣūfūnāsār, satanas malignus, qui peccato delector, et iniquitatem, fornicationem atque flagitium diligo. Adamum ego in rebellionem per matrem vestram Evam induxi »; et verbis plurimis eum allocutus est. Dixit ei sanctus: « Quisnam te ad me misit? » Respondit: « Pater meus Satanas, qui malorum omnium radix est et ea praecipiendo perficit. » Tum sanctus iterum: « Si ad eum revertaris nihil consecutus, quid tibi eveniet? » Dixit ei daemon: « Si quis nostrum, ad sanctum quemdam a patre nostro missus, illum seducere non potuerit, non licet ei illa die coram mittente apparere, iubenturque qui eidem occurrerint eum acerbe cruciare. » Daemonem *denuo* interrogavit sanctus: « Cuinam operi vacas? » Respondit ei daemon: « Si hominem viderimus qui Domini voluntatem adimpleat, malum in cor eius immittimus, nec sinimus eum recte agere; et si quem viderimus ad ecclesiam se conferentem, ipsum prohibemus. » Porro sanctus Abbā Kāu daemonem alligavit et catenis ferreis devinctum cruciavit, illo interim exclamante: « Te per Iesu Christi potentiam obtestor ut me dimittas. »

At vero praefectus misit qui sanctum arcesserent, eumque e carcere eductum abduxerunt. Comes ei aderat daemon, quem vinctum pertrahens sanctus, in locum sordidum atque caenosum, propter quem transibant, probrosissime iniecit. Martyrem Abbā Kāu coram se adstantem praefectus sic compellavit: « Deos adora. » Cui sanctus: « Eiusmodi rem nunquam faciam. » Praecepit ille ut vivus in ignem iniceretur. Verum eundem angelus Domini descendens salvum praestitit, et exclamavit martyr: « Erubesce, impie. » Percontatus est praefectus quis *ita inclamasset*. Responderunt ei: « Ipse est monachus Kāu. » Tum, ira percitus, *praefectus* gravibus eum affecit cruciatibus, angelo Domini eundem incolumem praestante; et huius opera atque ope crediderunt homines plurimi, quorum capita acie gladii abscissa
sunt. Posthac Christus Dominus sancto apparuit, *eumque ma- p. 435.

gnificis donavit promissis, dicens: « Quicumque, calamitate vel angustia pressus, me per nomen tuum invocaverit, eum salvum faciam. » A praefecto autem capitis damnatus, dixit sanctus militibus: « Sinite me preces fundere ad thesaurum misericordiae ac miserationis plenum, Dominum meum Iesum Christum, illum ipsum cuius civitatem caelestem Ierusalem exspecto. » Oravit dein sanctus, his utens verbis: « O Domine mi Iesu Christe, pro cuius sancto nomine hos labores omnes suscepi, orationem meam hodie exaudi et universas petitiones meas adimple. » Et ad eum vox Domini directa est, dicens: « Tibi erit quodcumque postulasti, et amplius. » Qua voce audita, collum purum laetus atque hilaris protendit, ipsiusque caput hora diei sexta amputatum fuit. Animam eius angeli lucis susceperunt, et, a Domino triplici corona redimitus, festum egit cum sanctis in civitate sancta Ierusalem. Confestim autem corpus eius acceperunt *fideles* et ad domunculam in qua habitaverat deduxerunt, ibique remansit donec nomini eius aedificata est ecclesia, in qua corpus depositum, Domino per illud signa atque miracula operante.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

p. 238. MENSIS ṬŪBAH DIES VIGESIMUS NONUS.

Hodie requie donata est sancta Xenia ('Aksānī) [1]. Haec sancta,
p. 239. e stirpe optimatum et divitum *Romae progenita, praeter quam parentibus eius nulla alia proles, a teneris unguiculis sedulam posuit operam in diuturnis precibus nocte dieque fundendis, et romana virginum asceteria saepius invisebat, ascesim cum illis exercens, alimenta quae secum e domo attulerat pauperibus ac miseris distribuens et monacharum cibis vescens. Assidua erat in legendis monachorum vitis, et plurimas ad Deum preces fundebat, ut se illorum societatis participem constitueret. Quam parentes filio cuiusdam optimatis romani desponsaverunt; tum ei vestes multas, ornamenta pretiosa et vasa aurea atque argentea compararunt.

Appropinquante autem coniugii et nuptiarum die, dixit matri suae: « Non decet me post initum coniugium brevi ad monachas

[1] E et F: Kasānī.

redire. Quare mihi in animo est ad eas nunc pergere, iis valedictura. » Id matre permittente, secum quaedam ornamentorum suorum et duas ancillas assumpsit, seque ad mare contulit, ubi navem invenit quae in eo erat ut e portu solveret et in insulam Cyprum navigaret. Qua conscensa, in Cyprum insulam delata est, prioreque nomine in Xeniam mutato, cuius ea vis est ut « peregrinam » significet, sanctum Epiphanium convenit eique omnia quae ad se attinerent exposuit. Is eam ad urbem Alexandriam misit, illucque advenienti in somnis apparuit Paulus apostolus, qui, proprio nomine indicato, insinuavit quid facto opus esset. Ipsa, postero die, adiit sanctum Theophilum patriarcham, qui, capillis eius detonsis, vestem monachicam ei imposuit; et, venditis ornamentis ac vestibus quae secum attulerat, ecclesiam aedificavit, nomine sancti Stephani protomartyris et archidiaconi *dicatam*. Pater autem Theophilus ad eam coegit virginum monacharumque multitudinem, quae virgines omnes in ecclesia habitaverunt; ipsaque ascesim exercuit atque certamen, in quo tantopere excelluit ut nihil igne praeparatum, praeter panem, nec quidquam ex adipibus, neque oleum, sed olera cruda comederet et humi iacens carperet somnum. In hoc tenore atque instituto vitae egregiae et laudandae amplius viginti annis perseveravit, et, cum paululum aegrotasset, ad requiem translata est.

Die mortis illius, Deus — qui exaltetur! — prodigium edidit, quo significabantur gratiae caelestes in eam collatae: quo nimirum tempore obiit, hora meridiana, viderunt homines crucem ita fulgentem ut solis splendorem superaret, eandemque siderum fulgidorum circulo, quasi corona, circumdatam; neque res illa conspicua esse desiit, donec, sanctae corpore cum corporibus *aliarum monacharum deposito, evanuit, in- p. 240.
tellexitque adstantium multitudo eam nonnisi illius *virginis* causa ostensam fuisse. Tunc duae ancillae patri patriarchae et omnibus res gestas sanctae ab initio instituti eius usque ad mortem enarraverunt, quomodo etiam nomen mutaverit ipsasque obtestata fuerit ut eius conditionem celarent et eam sororem suam, non dominam, nuncuparent. Quod admirati patriarcha et *caeteri* omnes vitam illius ab initio ad finem conscripserunt.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria Cyriaci iusti, athletae. Cuius preces nos custodiant. Amen.

Mensis Tūbah dies trigesimus.

Hodie martyrium passae sunt sanctae atque beatae virgines Pistis (Pistīs)[1], Elpis (Helpīs) et Agape ('Agābī), cum Sophia (Sofiah) matre earum. Mater haec, ex Antiochiae civibus et prosapia nobili oriunda, tribus illis filiabus donata est, easque memoratis insignivit nominibus, quorum vis est: fides, spes, charitas. Quae postquam paululum adoleverunt, ad urbem Romam se contulit, illas ad devotionem, ad timorem Dei et ad Ecclesiae disciplinas institutura. Earum fama ad imperatorem romanum Adrianum ('Ardiānūs), *fidei* adversarium, delata, iussit ille easdem crinibus ad se pertrahi. Porro aderat ipsarum mater, eas exhortans atque confortans ut in fide Christi firmae perstarent, iisque dicens: « Cavete, filiae meae, ne frangantur corda vestra, neve gloriam huius mundi caduci ita intueamini ut gloria permanenti atque perpetua careatis. Constantes estote, filiae meae, ut, sponso vestro Christo unitae, cum eo in thalamum spiritalem ingrediamini. » Erat autem natu maxima duodecennis, altera undecim annorum, et minima natu, novennis. Postquam ad imperatorem advenerunt, natu maximae, Pisti, praecepit ut accederet, eamque sic allocutus est: « Te mihi dicto audientem praebe, et ego te uni optimatum imperii mei collocabo atque magnifica in te conferam beneficia; Apollinem adora. » Quae illi convitia et maledicta rependit. Quare iussit illam fustibus caedi, ubera ei p. 241. praecidi, *eamque in caldarium igne subiecto succensum inici. Quod ubi factum, cessante ebullitione, obstupuerunt adstantes ac Deum glorificaverunt. Tum praecepit *imperator* caput illius amputari, *quo amputato*, mater corpus eius accepit.

Dein alteram, Elpidem, adductam multis verberibus ceciderunt et torrefaciendam iniecerunt; verum, flamma iterum exstincta, iussit *tyrannus* illam educi et capite plecti. Quod postquam factum, corpus eius accepit mater. Timens vero haec natu minimae, ne *scilicet* tormenta aegre sustineret, eam con-

[1] Ita ex B et C; A, mendose: Bišnis.

fortabat atque ad patientiam hortabatur; et ubi iussa est *puella* equuleo comprimi, matre Christi Domini opem implorante, ut filiae robur tribueret atque constantiam, Dominus misso angelo suo equuleum confregit. Idcirco praecepit imperator ut illa in fornacem ignis facie deorsum versa proiceretur; eaque in fornacem deiecta, viderunt qui aderant viros tres vestibus albis indutos illam circumstantes, fornaxque rori frigido similis facta est, ita ut mirarentur adstantes et Christum Dominum confiterentur multi; quorum capita acie gladii abscissa sunt. Dein iussit praefectus[1] verubus igne candefactis puellae latera assari; sed, Domino eam confortante, ignem non sensit. Tum praescripsit *idem* praefectus ut caput illius amputaretur; quo gladii acie amputato, accepit mater trium filiarum suarum corpora, eademque sepelivit et in locum ab urbe remotum secum attulit, ubi stetit, filias suas complorans easque rogans ut precibus a Domino vitae finem sibi impetrarent. Quam petitionem exaudiens, Dominus spiritum eius recepit. Tum accedentes fidelium turbae eam rite sepelierunt et iuxta filias eius deposuerunt. Quod vero ad imperatorem attinet, Dominus, sanctarum virginum ultionem ab eo exigens, in oculos eius pustulas[2] immisit, quibus caecus factus est, corpus eius vermibus scaturivit et miseram obiit mortem.

Earum preces atque benedictiones nobis omnibus in saecula saeculorum et aeternitates aeternitatum adsint. Amen.

Mors sancti Anbā Palamonis (Bālāmūn). p. 435.

Pater noster Anbā Palamon fuit eremita in monte orientali. In struendis huic insidiis multum insudavit daemon, ac conatus est ei illudere; at nihil omnino tunc profecit inimicus pessimus. Quadam autem die, surrexit vir Dei Anbā Palamon, opus suum exiguum deferens et ad fertilem Aegypti ripam tendens; et iter quidem faciebat, ita propter peccata sua flens ut, lacrimarum ex oculis manantium ubertate, *ipsi* oculi a vultu prope avellerentur. Daemon vero, Dei et hominum inimicus, senis sancti, patris nostri Anbā Palamonis, mentem gravi affecit oblivione, ut per montem devius vagaretur, neque sivit eum discernere quo pergeret, intendens eum ita in locum semotum abducere ibique

[1] *Sic*, semel atque iterum, cum hucusque de solo imperatore mentio facta fuerit. — [2] Nomine arabico proprie ille morbus significatur qui gallice vocatur *petite vérole*.

occidere. Postquam senex sanctus per desertum septem dies erravit, fame et siti — tempus namque erat aestivum — prope exanimis, in terram denique procidit moriturus. Sed Deus benignus et hominum amans, perspiciens quaecumque nobis hominibus ipse facturus sit, quin ea noverimus, permittere noluit ut servus suus Anbā Palamon daemonis artibus *diutius* erraret. Quare spiritum erroris expulit *et a sene abiecit. Ubi cognovit senex quid sibi factum, exclamavit: « O Domine mi Iesu Christe, mihi opitulare »; et confestim vocem audivit sibi dicentem: « Noli timere; neque enim inimicus, a tempore quo ad ipsum animadvertisti, te superare potest. Surge et meridiem versus paululum progredere: invenies senem, monachum sanctum, cui nomen Talason (Tālāṣūn), in summa rupe [1] habitantem. Ipsi revela omnia quorum daemon invidum te fecit [2] et magnum illud peccatum quo te tentavit et quod ab adulescentia tua admisisti. Ipse pro te orabit, ut peccatum tibi condonetur. »

p. 436

Tunc beatus Anbā Palamon, secum assumpto exiguo suo opere manuali, surrexit et meridiem versus in monte processit, hunc recitans psalmum [3]: « Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua iudica me. Miserere mei, Deus; exaudi orationem meam, verba oris mei ausculta. Quoniam alieni in me insurrexerunt, et fortes quaesierunt animam meam. Non confiderunt ut Deum sibi praesentem invocarent. Ecce Deus adiuvit me, et Dominus animam meam suscipit. Avertet malum in inimicos meos et dein eos disperdet. Voluntate mea sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonus es tu, quoniam ex omni angustia eripuisti me, adiuvisti me et inimicos meos interemisti. » Porro recitavit et hunc psalmum [4]: « Exsurget Deus et inimicos suos disperget; fugiant a facie eius qui sanctum eius nomen oderunt; » itemque recitavit quae dehinc subsequuntur; atque, paucis, non se praebuit segnem in Deo deprecando, quoad ab eo ad locum senis directus esset. Eum ubi vidit Anbā Talason, magnopere gavisus est, eum suscepit, in rupem sursum adduxit et salutavit. Et cum oravissent ambo, consederunt, ut alter cum altero de miris Dei operibus colloquerentur. Tum hospitem interrogavit Anbā Talason:

[1] Ad litt.: in arce. — [2] Vel: quibus te perturbavit. — [3] *Ps.* LIV, 3 sqq. — [4] *Ps.* LXVIII, 2.

« Unde viam nosti, ut huc venires et nos in hoc deserto inviseres? » Tum coepit sanctus Anbā Palamon flere et, genibus flexis, dicere: « Condona mihi, o pater dilecte et sancte. » Cui Anbā Talason: « Dominus Iesus Christus omnium nostrum universos lapsus condonet. » Iterum autem senex iustus Anbā Palamon: « Me pudet, inquit, pater mi sancte, tibi magnum illud peccatum manifestare quod, inimici daemonis opera, inscium me atque improvidum attigit. » Tum pater Anbā Talason: « Sic scriptum est [1]: Confitemini alter alteri peccata vestra. Ego quoque, pater mi sancte, magna peccata in adulescentia mea admisi et usque nunc quotidie pecco. Propterea ad te [2] in hoc desertum veni, Deum cum lacrimis deprecaturus ut exiguam illorum partem mihi dimittat; ipse enim clemens et misericors, voluntasque eius misericordia, quoniam ipse, Deus hominum amans, peccata nostra nobis condonare potest. *Quod si peccatum condonaverit, hoc nunquam revertetur. » p. 437

Audiens itaque sanctus Anbā Palamon, sibi a beato Anbā Talasone consolationis motiva paenitentiae considerationi innixa proponi, ex verbis eius levamen expertus est, coepitque haec exponere: « Contigit quondam mihi, in coenobio monachorum a Deo veniam imploranti, ut eos audirem hoc ex Scripturis sacris, divinitus inspiratis, edicentes: Solitudo timorem parit, et Deus odio habet iocationem, quae est risus indecens. Tunc in corde meo constitui vitam solitariam in parvo meo habitaculo agere neque unquam cum alio sermonem conferre, neque ridere omnino, sed die nocteque peccata mea deflere. Satanas autem me frequenter oppugnabat et cor meum ad risum alliciebat, me tamen obsistente neque vel levissimum assensum ei praebente. Saepe etiam ante oculos meos lusus exercebat, eo tendens, ut coram me iocando, me ad risum pertraheret; sed ei non consentiebam, verum, capite *ad terram* inflexo, sedens propter peccata mea flebam, usurpans salutis nomen quod est *nomen* Domini nostri Iesu Christi. Haec dum sollicite mente volvo et in laborum ac molestiarum certamine diu persevero, mihi succensuit inimicus.

[1] IAC., V, 16. — [2] *Sic*; sed contextus suadet duas voculas delendas esse.

« Quadam die, profectus eram ad opus manuum mearum deferendum, et in monte iter faciebam, ad locum *urbi* Miṣr vicinum tendens, ut rem meam venderem et paululum panis mihi emerem; cumque ab habitaculo meo tantum fere distarem quantum est iactus sagittae nec tarde incederem, ad me accessit inimicus Satanas, ut me alliceret. Et mente mea confestim perturbata, amovit ille nomen Domini mei Iesu Christi ab ore meo, neque me sivit testimonia Dei mei ullo modo memorare. Inde postquam paululum processi, mihi apparuit mons totus immutatus; quippe qui oculis meis non terra arenosa remansit, sed terra nigra coram me evasit. Tum mihi quae obvia erant inspicienti ecce occurrit urbs nova, eleganter aedificata, domibus magnis constans et palatiis affabre exstructis; portae laminis coopertae pulchre fulgebant. Urbs ipsa munita perinde ac si foret urbs regia, atque arboribus et hortis circumdata. Porro ego quoque urbem insignemque eius magnificentiam miratus sum, et, illectus ac quasi abreptus, volui urbem ingredi, dicens: *Cives* forsitan a me ement exiguam manuum mearum opellam. Tum, ubi ad urbem prope accessi, reperi canalem qui rotae motu agebatur, et mulierem vidi cuius adspectus viduae adspectus et quae tristis videbatur. Vestimenta eius scissa ac velamen [1] in oculos modestiae causa demissum. Illa, ad puteum sedens, iumenta dirigebat et vineas canalis rotam volvendo irrigabat. Simul ac me adspexit, labore intermisso, caput contexit, sic me compellans: ‘ Benedic mihi, pater sancte ’. Et p. 438. properans *cophinos ab humero meo demisit, in terram deposuit et dixit: ‘ Sede, requiesce, pater mi dilecte, quia onere tuo defatigatus es ’. Tum, hortata ut supra canalem aquae sederem, coepit ex canali aquam duabus palmis haurire atque super pedes meos effundere, illius instar qui benedictionem expetit, perinde ac si esset viri divitis atque generosi uxor. Cui ego: ‘ O mulier fidelis, dic mihi, num, si urbem istam ingressus fuero cum hoc exiguo manuum opusculo, inventurus sim qui id a me emant ’. Respondit mihi: ‘ Utique id a te ement. Verum noli de eo sollicitus esse: id equidem opibus

[1] Arab. بلين. Cuius vocis, a me nusquam alias repertae et lexicographis ignotae, vim certam ac definitam a doctioribus discere velim. Suspicari sane licet illam a Latinorum « *pallio* » per nomen copticum **ⲂⲀⲖⲖⲒⲚ** derivatam esse.

quae mihi suppetunt a te emam, tibique e domo mea res quascumque necessarias suppeditabo. Ego enim uxor viri opulenti; atque ante paucos dies mortuus est maritus meus, divitias multas et iumenta plurima mihi relinquens. En amplas istas vineas conspicis; harum uvas ego decerpam. Verum nemo mihi praesto est, qui de illis curet. Utinam inveniam virum fidelem, qualis tu es, in cuius manus res meas omnes committam, ut eas prout libuerit administret! Quod si tu, pater mi sancte, veneris ut domui meae praesis et quaecumque mea sunt regas, te coniugem mihi assumam ’. At ego: ‘ Monachus, inquam, qui coniugium inierit, opprobrio et pudore se afficit ’. Tum vero mulier: ‘ Si me non accipias uxorem tibi, esto tamen rebus meis universis praefectus. Eas interdiu administrabis, quoniam mihi possessiones, agri, areae, iumenta, vineae, servi atque ancillae. Haec de die regenda assumas; nocte autem succedente stabis ad vacandum orationi ’. Itaque surgens illa me secum in superiorem domus suae partem duxit, mihique epulas ex omnibus esculentis apparavit, atque haec ante me apposuit. Deinde, cubiculum suum ingressa, magnificas induit vestes et, ad me reversa, mihi dolose blandita est. Tum vero obstupui, ac Dei — qui exaltetur! — virtute compos mei factus, me signo crucis signavi, et quaecumque videram evanuerunt velut fumus vento propellente, nec quidquam remansit ex iis quae mulier ista paraverat, intellexique illa omnia a Satana maledicto orta, qui vellet me ita ad lapsum inducere. Tunc amare et diu flevi, magno cordis maerore affectus; meique misertus, Deus clemens ac misericordissimus ad me misit angelum suum, qui, me consolatus, peccatorum venia mihi promissa, dixit mihi: ‘ Surge, sanctum Anbā Talasonem, tibi vicinum, adi, eique peccata tua confitere ’. Surrexi igitur, veni ad sanctitatem tuam, pater mi sancte, et precibus tuis peccata mea mihi condonabit Dominus. » — Tunc mihi benedixit sanctus Anbā Talason, his verbis ad me directis: « Fili mi, Dominus nobis et tibi condonabit. » Subinde, mensa nobis e caelo demissa, alter cum altero comedimus.

Dein sanctus Anbā Palamon ad oratorium suum in pace reversus est. Profecit autem hic *sanctus in ascesi et devotione p. 439. toto vitae tempore, orationes assidue fundens nocturnas atque diurnas, et longas noctis vigilias sustinens. A Deo obtinuerat

hic sanctus donum curationum. Cum eodem ferae mansuescebant; his manu sua alimenta praebebat et illae pedes eius lingebant. Ipse nudus erat et cuiuscumque vestis expers; sed Deus eius crines promissiores effecerat, iisque a parte cum antica tum postica tegebatur. Singulis hebdomadis ieiunabat, ieiunium non frangens nisi die sabbati et die dominica, dimidio pane quem Dominus ei per corvum mittebat. Quandoque herba montis vescebatur; aquam bibebat modioli fragmento haustam. Erat hic sanctus clemens, misericors, benignus, Creatori suo similis; sub vesperum, pro modulo virium quae post opus ac laborem manuum suppetebant, ab oratorio descendebat, ut captivos, afflictos, orphanos, viduas, desolatos et peregrinos viseret. Patravit hic sanctus miracula multa et in pace quiêvit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur, ac magna misericordia sua peccata nostra atque *imprimis* peccata scriptoris harum paginarum condonet. Amen.

p. 241. Explicit mensis benedictus ṭûbah, in pace *quae* a Domino *est*. Amen.

---

*IN NOMINE DEI STABILIS, AETERNI, VIVI, PERMANENTIS, SEMPITERNI, CUI PERPETUA SIT GLORIA. p. 242.

MENSIS ʾAMŠIR.

Huius dies horae undecim, et exinde adaugetur *tempus diurnum*.

MENSIS ʾAMŠIR BENEDICTI DIES PRIMUS.

Hodie memoriam agimus sollemnem coetus Patrum centum et quinquaginta, qui, Theodosio Magno imperatore, Constantinopolim convenerunt. Causam autem cur convenerint praebuit Macedonius, qui, patriarcha constantinopolitanus cum esset, impius fuit in Spiritum sanctum, siquidem hanc suam perversam sententiam prompsit, Spiritum sanctum creatum esse, non secus ac ceteras creaturas; itemque Sabellius, episcopus Luniae (Lūnyah), qui haereticus fuit, affirmando Patrem, Filium et Spiritum sanctum unam esse personam et hypostasim unam; Apollinaris (ʿAbūlīnāryūs) quoque, dicens Dominum [1] non unitum fuisse nisi cum corpore animali, cui defuerit anima rationalis, intelligens, et divinitatem fuisse corpori loco animae atque intellectus.

Itaque iis tribus audentibus eiusmodi foedam impietatem proferre, imperatorem adierunt quidam Patrum, eumque rogaverunt ut cogeretur concilium, iudicii de illorum impietate ferendi causa. Qui, adeuntium sententiam amplexus, Domitio (Dāmītyūs)[2], papae romano, Timotheo, papae alexandrino, Meletio, papae antiocheno, et Cyrillo, episcopo hierosolymitano, nuntium mandavit ut secum episcopos doctiores qui in singulorum regionibus erant adducerent. Quamobrem adfuerunt illi Patres centum *et quinquaginta, et quidem in urbem Constantinopolim convenerunt. p. 243. Papa romanus non adfuit, sed adfuerunt legati eius, epistulam deferentes ab eo scriptam. Huic concilio praesedit Timotheus, patriarcha alexandrinus. Qui Macedonium arcessitum rogavit ut fidem suam exponeret;

[1] B et C: Filium. — [2] Ita A; B: Dāmintyūs; C: Dāminyūs. Legendum: Damasus.

et cum hic exposuisset odiosam suam fidem, iuxta quam Spiritus sanctus creatus haud secus ac caeterae creaturae omnes, haec ei opposuit pater Timotheus: « Nobis Spiritus sanctus est Spiritus Dei; et si dixerimus Spiritum Dei creatum, fatemur vitam eius creatam esse; si autem vita eius creata sit, ipse igitur creatura est, vitae *per se* expers. Recede proinde ab illa impietate. » Non recedentem excommunicavit atque anathematizavit. Dein Sabellio dixit: « Confessionem tuam expone. » Et affirmanti Trinitatem unam esse personam et unam hypostasim obiecit pater Timotheus: « Si sit Trinitas, ut tua fert opinio, hypostasis unica, inanis est invocatio Trinitatis, atque inanis idcirco baptismus, qui in Patre, Filio et Spiritu sancto confertur; negas quippe Trinitatem, et ex tua sententia ipsa Trinitas incarnata est, passa ac mortua, falsumque est quod narrat Evangelium [1], Filium stetisse super Iordanem, Spiritu sancto in ipsum descendente et Patre, clamore desursum emisso, ipsum agnoscente. Discede igitur ab illa haeresi. Si *enim negavit* Arius Filium, et si Macedonius Spiritum sanctum negavit, tu utrique aequalis es, quia Filium et Spiritum sanctum negas. » Cum ab haeresi sua non recederet, excommunicatus est et anathemate perculsus. Tum dixit Timotheus Apollinari: « Confessionem tuam pande. » Qua prolata, respondit pater Timotheus: « Deus Verbum corpori nostro [2] unitus non est nisi ut nobis salutem conciliaret. Si vero cum solo corpore animali descenderit [3], animae intelligentis atque rationalis expers, non homines igitur, sed animalia salvavit, siquidem homines, resurrectionis die, non suscitabuntur nisi cum anima intelligente, rationali, ad quam dirigetur *Dei* sententia, a qua exquiretur ratio, per quam felicitas obtinebitur vel sustinebuntur tormenta. Exclusa est proinde *tua haeresi* incarnationis utilitas; et quomodo *Christus* ipse de se pronunciat hominem se esse, cum animae intelligenti unitus non sit? Recede itaque ab impietate tua. » Hunc quoque non recedentem, sicut illos *priores* anathematizavit Timotheus, et concilii sententia omnes tres anathematizati sunt, una cum iis qui ipsorum doctrinae adhaererent.

[1] Matth., III, 16, 17. — [2] B et C, melius: naturae nostrae. — [3] B et C: unitus fuerit.

Deinde adiunxerunt symbolo *Patres partem incipientem* a verbis: « Credimus in Spiritum sanctum », usque ad finem. Sua enim formula non pervenerant Patres trecenti decem et octo nisi ad verba: « Cuius regni non erit finis; et in Spiritum sanctum. » Haec fuit *postrema clausula eorum quae praescrip- p. 244. serant sancti illi *Patres nicaeni*. Adiunxerunt isti Patres *constantinopolitani* quae exinde ad finem usque subsequuntur. Conditi sunt etiam in eodem concilio canones qui usque hodie in manu omnium communionum christianarum sunt, a quibus adhibentur et apud quas vim legis retinent. Habitus est horum Patrum conventus anno quinquies millesimo octingentesimo octogesimo [1] primo a mundo condito.

Precum eorum benedictio nobis adsit. Amen.

Eadem die celebramus consecrationem primae ecclesiae quae aedificata fuerit nomine insignita Petri martyris et martyrum postremi; qui, postquam Arium excommunicavit, martyrio affectus est extra urbem Alexandriam, circa finem regni impii Diocletiani. Quo autem tempore Constantinus pius, imperium assecutus, idolorum delubra evertebat et ecclesiae aedificabantur, exstruxerunt fideles alexandrini, ab occidentali Alexandriae parte, ecclesiam nomini sancti Petri dicatam, quae permansit donec regionem invaserunt Arabes et aliquandiu postquam ea potiti sunt. Illa nomine occidentalis *ecclesiae* conspicua erat. Diruta est atque oblivioni tradita. Verum ecclesia sanctorum in Ierusalem caelesti firma stat, nec quidquam adversi illi accidit.

Ipsorum intercessio nobis adsit. Amen.

Hodie martyrio affectus est vir sanctus, insignis atque venerandus, Anbā Abadion ('Abādyūn). Hunc, propter magnam p. 439. puritatem, religionem, ascesim, vigilias constantes et orationum quas absque intermissione fundebat, multitudinem, Dominus [2] elegit [3]. Ab Anbā Petro, martyrum postremo, consecratus fuerat. Eum ad sedem suam accedentem cum gaudio magno susceperunt *fideles*. Quos hortabatur atque instituebat ad regulas ac leges evangelicas et ad canones apostolicos.

Ea aetate, Arianus [4], secreto veniens, apud episcopum hospitio exceptus est. Huic episcopo filius erat formosus, nomine Philip-

[1] B: trigesimo. — [2] Ita, admissa correctione. In cod.: pater. — [3] Ad munus scilicet episcopi. — [4] Correxi. In cod.: 'Armānūs.

pus, quem sapientiam, philosophiam et medicinae scientiam sollicitissime edocuerat. Et in urbe habitabat princeps, Heraclamon appellatus, filio donatus cui nomen indidit Caltum (Kaltūs) et qui in scientia et timore Dei profecerat. Occurrit hic Philippo, episcopi filio, a quo medicinae artem didicit; et ambo simul aegros invisebant gratuitoque curabant, ac quicumque aegrotantium ab iis invisebatur sanitatem recipiebat. Porro conspi-
p. 440. catus Arianus pulchram eorum *formam, eos dilexit, uxoremque ex eorum genere quaesivit, et quidem sororem sancti Abū Calti (Qaltah) duxit, atque *ipse* pater episcopus Anbā Badion (Bādiūn) [1] eum matrimonio iunxit. Vidensque sanctus Anbā Caltus magnam episcopi devotionem, propria domo relicta, apud illum in aedibus episcopalibus [2] habitavit; episcopus autem, perspecta eximia adulescentis Abū Calti diligentia, eum presbyterum ordinavit et de eo his verbis ad eum directis vaticinatus est: « O fili mi, haud dubium martyrio te affectum iri manu Ariani, eiusdem nempe qui uxorem apud vos duxit. »

Aliquanto post, Diocletianus, cum a fide defecisset, Arianum requisivit, eoque non *statim* reperto, legatos misit qui inquisitionem de eo in omni loco instituerent, dicens: « Quicumque Arianum ad me adduxerit, eum magnis honoribus et decem auri talentis [3] donabo. » Ubi rescivit Arianus se ab imperatore requiri, ad eum profectus, eundem invenit idolorum cultui vacantem; a quo coactus, cultum et ipse ad imperatoris mentem adhibuit. Ab eodem iussus, praefecturam suscepit omnium Aegypti provinciarum; illeque idola ei tradidit ac mandata scripta dedit ne senibus propter senectutem, adulescentibusve propter teneram aetatem parceret, utque omnium quicumque imperatoris deos non venerarentur capita acie gladii abscinderet. Ariano in Aegypti fines adveniente, odioso hoc rumore commota est urbs [4] et universa terra Aegypti; coepitque ille idola per omnes civitates et pagos circumferre, donec ad urbem Antinoen ('Anṣinā) devenit, sui terrorem cunctis huius urbis civibus incutiens. Ipsius uxor, re audita, se ab eo abscondit, et eam quaesivit, sed non invenit. Nemo ei obviam processit; verum misit qui episcopum Anbā Badionem

[1] *Sic.* — [2] Ad litt.: in cellula. — [3] Proprie, ponderibus quae arabice *arṭāl* vocantur. — [4] Alexandria (?).

arcesseret, dixitque ei: « Adduc ad me christianos, ut imperatoris decreta audiant et eius numina venerentur. » Cui tunc episcopus: « Indica mihi quid emolumenti apud imperatorem lucratus fueris. A nobis [1] abscesseras nobis amicus, et reversus es inimicus; homo profectus eras, rediisti fera crudelis. » Respondit ei Arianus: « Aegypti superioris incolae duro corde sunt et cervice indocili atque indomita; et idcirco missus sum, ut eos *nempe* artem recte incedendi doceam et inducam ad idola veneranda. » At episcopus iterum: « Cave, inquit, istis idolis, ne a te surripiantur et divendantur. » Deinde se contulit Anbā Badion ad ecclesiam, et populum convocatum certiorem fecit eorum omnium quae evenissent; tum eum *sollicito* cum timore his verbis adhortatus est: « O filii mei dilecti, mutua praesentia nunc postremum fruimur. » Qui flentes responderunt: « Tu et nos et filios nostros docuisti, Dominumque oramus ne nos a te in regno caelorum separet; et quacumque morte moriturus sis, eadem nos prompto animo moriemur. » Hos igitur ubi vidit in fide firmos ac paratos ut sanguinem gaudentes pro Christi nomine profunderent, iis *secum* assumptis, Arianum adiit; conclamaruntque: « Nos omnes Christum Dominum regem caeli et terrae confitemur. » Quibus succensens ille *praecepit ut. universorum capita ampu- p. 441.
tarentur, adeo ut sanguis velut aqua per vias urbis diflueret. *Omnium* autem animas angeli in regnum caeleste deduxerunt et coronis redimierunt.

Ipsorum benedictio nobis adsit. Amen.

Posthac procedens episcopus praefecto dixit: « Ut morem geras Akarbidae caprario, terram vastas et homines interimis. Testatus enim mihi est frater meus Absada ('Absādah) virum illum stultum esse ac dementem ex tempore quo apud nos capras custodiebat. » Cui praefectus: « Verane sunt quae dicis? Mecum sane ad urbem Absāy [2] venies, et ab Absada episcopo percontabimur num res ita se habeat ut affirmasti. » Tum navem solverunt ad urbem Siut ('Asyūt), cuius urbis incolae omnes, numero plurimi, nomen Christi Domini confessi et capite truncati, coronas in regno caelorum consecuti sunt.

[1] Legendo من pro الى; quod faciendum contextus persuadet. — [2] Eadem est quae apud Coptitas *Psoï* audit. Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 381.

Porro navigans *Arianus* in *Nilo* flumine, civitates et pagos circuibat; perveneruntque ad urbem Aḫmīm, cuius cives, re audita, ad episcopum convenerunt. Illos hic certiores fecit rerum quae in *variis* regionibus accidissent; dein cum illis ad urbem Abṣūdār profectus, eos die vigesima octava mensis kīhak, solis occidentis hora, sacra communione refecit, coepitque nocte natalis Christi usque ad tempus sacri faciendi adhortari; tum missam celebravit et fideles ad sacram communionem admisit.

Adiit autem vir perversus praefectum, monuitque populum in ecclesiam convenisse. Misit ille milites, praecipiens ut omnem populum interficerent, neque finem caedendi fecerunt quoad sanguis, rivi instar, per urbis vias flueret. Scripsit etiam praefectus ad episcopum, haec ei mandans: « Videris homines hortari ut mihi obsistant. » Misso item nuntio ad Absadam, hunc arcessivit atque interrogavit de verbis quae retulerat Abbā Badion, ad Diocletianum pertinentia. Qui respondit: « Quaecumque de illo dicta sunt veritati consonant; ille enim apud nos educatus est, et eum equidem novi dementem atque vesanum. » Ea re audita, iratus est Arianus et Diocletianum missis nuntiis certiorem fecit eorum quae de ipso affiirmavisset episcopus Absada. Imperator vero legatum remisit, militibus stipatum, haec Ariano mandans: « Potestatem tibi dedi in christianos qui tus diis non offerunt, ut eorum capita abscindantur. Quod spectat ad Absadam, ad Calinicum (Kalīnīkū) et ad caeteros episcopos, si victimas obtulerint, eos honoribus auge; sin minus, ipsorum capita acie gladii amputentur ». Arianus, imperatoris mandatis obsequens, Absadam et Calinicum decollavit; Abba Badionem vero secum assumptum Antinoen reduxit et cruciavit, dein proiecit in custodiam obscuram, cuius ostium ei quinque dies occlusit; tum eductum invenit ei similem qui e potationis loco egrediatur, iussitque crucem parari, in hac illum appendi eidemque quindecim af-
p. 442. figi *clavis. Dicebat autem ei Arianus: « Eadem tibi faciam quae Domino tuo *facta sunt.* » Illa hora, se conspiciendas praebuerunt duae columbae albae, cruci insidentes; sanctoque in cruce Deum laudanti apparuit Salvator, quo ipsum alloquente clavi ferrei quibus affigebatur dissoluti sunt atque e corpore eius exciderunt, haud secus ac folia ficus ex arbore decidentia. Promisit illi *Dominus* honores magnos; « et quicumque, in-

quit, in angustiis constitutus, nomen tuum invocaverit, eum ex afflictione eripiam; item quisquis die martyrii tui sacrificium obtulerit, et quisquis eleemosynam in honorem tuum pauperibus largitus fuerit, hoc illis in regno meo retribuam. » Ubi omnes pollicitationes suas sancto edidit Dominus, pacem ei precatus, ad caelos cum magna gloria ascendit. Arianus, auditis iis quae facta erant, carnificem misit, qui gloriosum illius martyrium complevit. Urbis cives purum *martyris* corpus abstulerunt et honorificentissime, prout decebat, sepultum apud se absconderunt, donec, persecutione cessante, pulchram ei aedificarunt ecclesiam.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Mensis ʾAmšīr dies secundus. p. 244.

Hodie ad requiem translatus est sanctus Anbā Longinus [1], abbas monasterii Vitri (ez-Zuǵāǵ). Hic, ex Cilicia oriundus, vitam monasticam ibi amplexus fuerat. Pater eius, qui *et ipse* monachus, Christum diligebat et humanam fugiebat gloriam. Cum autem obiisset abbas coenobii eorum, cogitantibus *monachis* de sene *Longini patre*, cui nomen Anbā Lucianus (Lūkyānūs) in defuncti locum sufficiendo, assumpsit Lucianus Anbā Longinum, et *ambo*, Cilicia relicta, Syriam petentes, in quadam ecclesia commorati sunt. Neque permisit Christus Dominus ut eorum meritum lateret, quoniam non absconditur civitas supra montem posita; Deus quippe — qui exaltetur! — per illorum manus multa edidit signa, quibus gloriam apud homines sunt consecuti. Porro sanctus Anbā Longinus, a patre suo, hoc suadente, discedens, in fines Aegypti migravit. p. 245.
Quem *ad coenobium Vitri advenientem laeti susceperunt, et in *hoc* monasterio habitavit donec abbas mortuus est. *Tunc* eum, propter perspectam vitam eius egregiam et virtutem, archipresbyterum coenobio praefecerunt; et cum huc paulo post venisset pater eius monachus Anbā Lucianus, vela nautica conficientes et victum sibi labore suo comparantes, aliquandiu manserunt *ambo* unanimes, Domino signa multa per manus eorum patrante. Dein mortuus est Anbā Lucianus.

[1] C et E: Longius.

Porro, temporibus Marciani imperatoris, qui concilium chalcedonense coegit, misit ille in omnes partes legatos deferentes exemplar formulae fidei, qua duae naturae affirmabantur. Legatorum quibusdam ad coenobium Vitri advenientibus et formula sibi tradita, sanctus Longinus dixit: « Nihil inconsulto patrum nostrum agere possum; venite mecum, ut eorum rogemus sententiam. » *Adstantes* igitur introduxit in speluncam ubi seniorum corpora iacebant et, exemplari corporibus imposito, sic profatus est: « O patres mei, nolite causari decumbere vos ac requiescere. En allata est formula haec, doctrinam duarum naturarum praedicans. Licetne per vos ut ei subscribam, annon? Nisi mihi indicaveritis quid facto mihi opus sit, Dominum sempervivum testor, me ossa vestra ex hoc loco eiecturum. » Ex illis itaque corporibus exiit, omnibus audientibus, vox, dicens: « Assensum ne praebueris neque ab antiquorum Patrum fide discesseris, sed istud scriptum a nobis amove. » Quod cum vidissent legati, timore ac tremore correpti, ad imperatorem non redierunt, sed, coma detonsa, vitam monasticam amplexi sunt et in monasterio post aliquot annorum intervallum obierunt. Sanctus autem Longinus cursum suum rite consummavit et, in senectute bona atque honesta ad requiem vocatus, coronam gloriae a Domino nostro Iesu Christo consecutus est.

Ipsius benedictio et preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti incliti Anbā Pauli (Būlā), eremitarum primi. Ortum ducebat hic sanctus ex urbe Alexandria. Nomen ipsius Paulus (Būlos), fraterque ei erat qui Petrus appellabatur. Iis, post mortem patris, aggredientibus ad haereditatem inter se dividendam, voluit Petrus frater partem maiorem sibi et alteri partem minorem attribuere. Quod aegre ferens, is fratri suo dixit: « Cur meam paternae haereditatis portionem mihi non tribuis? » Respondit ille: « Quia tu, iunior cum sis, divitias tuas dissipabis, ego vero eas tibi servabo. » Dissensione igitur inter eos ob eam rem orta, iudicem adierunt, ut sua sententia mutuam litem dirimeret.

Dum autem ambo ad eum pergunt, occurrerunt funeri quo mortuus efferebatur; et quemdam interrogavit sanctus Paulus de defuncto. Respondit ille: « O fili mi, fuit hic ex primoribus
p. 246. urbis, cui facultates amplae suppetebant, *et ecce, illis relictis,

ad sepulcrum defertur cum hac *tantum* veste qua tegitur. » Ingemuit sanctus et intra se dixit: « Quid mea refert ut opes mundi huius caduci possideam, quas dein, abiens nudus, derelinquam? » Tunc, ad fratrem conversus: « Domum revertamur frater, inquit, neque enim iam a te quidquam expetam. » Et ab illo discedens, nescius quo iturus esset, ex urbe egressus est et tres dies in sepulcro habitavit, Christum Dominum rogans ut se derigeret ad id faciendum quod Deo gratum. Frater vero multos dies perseveravit illum advocans. Quo non invento, gravi maerore eius causa affectus est, eumque rationis agendi paenituit. Ad sanctum Paulum autem misit Dominus angelum suum, qui eum ex illo loco eduxit et, ante eum gradiens, adduxit usque ad desertum orientale interius, ubi annos septuaginta commoratus est, neminem unquam videns et veste viminea indutus. Ei Dominus corvum cum dimidio pane quotidie mittebat; et ubi voluit Dominus sanctitatem eius manifestare, ad patrem inclitum Antonium, intra se cogitantem se primum esse qui desertum incoleret, allegavit angelum suum, qui accedens dixit ei: « In parte deserti reconditiore aliquis est eiusmodi ut mundus dignus non sit qui vestigiis pedum eius prematur, ad cuius preces Dominus rorem et pluviam in terram demittit, opportunaque Nili incrementa concedit. » Quod audiens Antonius surrexit et ad regionem deserti sua itinere unius diei[1] reconditiorem se contulit, et, a Domino ad Pauli speluncam directus, ad eum ingressus est eumque convenit, atque alter alterum venerati sunt ac de miris Dei factis sunt collocuti. Tum, vespera superveniente, advolavit corvus, panem integrum afferens; unde Anbā Paulus Anbā Antonium sic compellavit: « Nunc novi te a Deo esse, siquidem mihi iam inde a septuaginta annis dimidium panem Dominus quotidie mittit, et ecce Deus hodie tibi *quoque* tuum cibum misit. Verum ad me propere affer pallium quod Constantinus imperator Athanasio patriarchae dedit.[2] »

Qui, ab eo discedens, patriarcham adiit, ab hoc pallium accepit et reversus est. Sed in itinere adspexit animam sancti Anbā Pauli angelosque eam sursum deducentes. [3] spe-

[1] B: duorum dierum. — [2] C add.: et tibi transmissum est.

luncam deveniens, mortuum osculatus est, eum lacrimavit palliogue involvit, et cilicium vimineum sibi assumpsit. Dum autem anxie cogitat de eo sepeliendo, ad ipsum accesserunt duo leones, qui, cum coepissent se faciebus suis super corpus pro- p. 247. sternere, videbantur capitibus suis *licentiam *ab Antonio petere* ea agendi quae agebant [1]. Unde, intellegens eos a Domino missos, iis definivit spatium longitudini corporis aequale, quod unguibus effoderunt, donec eis dixit: « Satis est. » Tum corpus humavit et, ad patriarcham reversus, eum de re certiorem fecit. Is viros misit cum curru, qui corpus defuncti adveherent. Illi per montem dies plurimos circuiverunt, id requirentes, neque locum eius reppererunt, quoad sanctus, patriarchae in visione apparens, ei revelavit nolle Dominum corporis manifestationem ac proinde ipsi abstinendum a molestia viris imponenda. Eos igitur, misso nuntio, *patriarcha* revocavit. Vestem autem vimineam *Antonius* [2] ter singulis annis induebat, eaque ad missam celebrandam utebatur; et, quadam die, cum vellet *huius* vestis dignitatem hominibus demonstrare, illam mortuo imposuit, qui *eadem* suscitatus est, et miraculum hoc factum est in omnibus Aegypti et Alexandriae finibus celebre.

Benedictio precum huius sancti patris Anbā Pauli nobis adsit nosque custodiat. Amen.

p. 442. Eadem die ad requiem vocatus est sanctus pater Anbā Paulus [3]. Illa nimirum aetate, qua vita religiosa [4] in terris nondum apparuerat, cum et montes et deserta monachis carebant, nec erant qui crucis imaginem, habitum scilicet monachicum, induerent, vir fuit Alexandriae opulentus, cuius sive auri sive argenti divitiae atque vestes praetiosae innumerabiles. Is duos habuit filios, quorum natu maiori nomen Petrum, minori Paulum indidit. Eum mortuum *filii* ad sepulcrum extulerunt atque humarunt; tum, ad aedes suas reversi, dies plurimos sederunt, lugentes. Dein, exactis luctus paterni diebus, dixerunt alter alteri: « Patris nostri haereditatem dividamus »; et aggressi sunt ad opes eius omnes dividendas.

[1] Vel: demisse consulere de iis quae agenda essent. — [2] Quod nomen ex iis quae antecedunt colligi videtur, cum tamen ex altera traditione mox referenda, *infra*, p. 465, Athanasii nomen supplendum foret. — [3] Altera ex uno cod. G recensio relationis proxime antecedentis, eaque, pro more scribae G, multo longior. — [4] Seu *ascesis*.

Sed Petrus natu maior iniuriam Paulo fratri tacite intulit, siquidem duas sibi partes, Paulo autem unam attribuebat, et hunc, eo quod iunior erat, opprimebat. Itaque Paulus, intimo corde magnopere contristatus, fratri dixit: « Quid sibi vult vis ista manifesta, qua patris mei facultates me excluso invaduntur? » Respondit fratri suo Petrus: « Nihil tibi invideo; verum ego natu maior, et melius quam tu has opes administrabo; **limendum quippe est* ne, iis dissipatis, postremo egeas. Haec p. 443. unica portio tibi sufficit quoad plene aduleveris, et si re quadam indigeas, quod tibi necessarium suppeditabo. » Rursus vero Paulus: « Non erit hoc; sed partem meam ex haereditate patris mei, non secus ac tu, accipiam. » Tum Petrus: « Talem, inquit, non tibi dabo, nisi ex vasis tantum. » Cui Paulus: « Tu me iuniorem conspicis, intendisque me haereditate patris mei fraudare. Quamobrem iudicem adeamus, qui sententiam dicat inter nos, et quidquid sententia sua iudex definierit, hoc exsequemur. » Petrus, maerore affectus, respondit: « Eamus quocumque tibi libuerit. »

Tunc surgentes Paulus et Petrus, duo viri divitis filii, e domo sua egressi sunt ut iudicem convenirent. Dum autem per urbis vias incedunt, viderunt virum mortuum ac linteis funebribus involutum, lecto impositum, quem extulerant *propinqui* et humandum deferebant, turba multa subsequente atque eum plangente. » Et Paulus quidem unum ex iis qui mortuum comitabantur compellavit interrogavitque: « Quisnam ille est quem in hac urbe hodie mortuum tanto planctu prosequuntur? » Respondit in hunc modum qui compellabatur: « Fili mi, vir iste auctoritate praepollens erat; ei opes innumerae, quarum vim nec ipse noverat. Et en eum intueris in hoc lecto iacentem et peccatis suis tantum atque culpis stipatum; viam init qua non revertetur unquam et cum mole omnium peccatorum suorum mortuus est. Itaque, fili mi, nos oportet in hoc mundo animarum nostrarum causa decertare. Beatus ille cui merita acquisita [1]; ea enim reperiet, thesauri instar in caelesti Ierusalem, civitate primogenitorum, reposita. » Haec cum ex ore viri illius audisset, dixit fratri suo

[1] Ad litt.: possessiones (spiritales).

Paulus: « In domum nostram revertamur. » Cui frater: « Cur pedem retro referres, neque ad iudicem pergeres? » Respondit Paulus: « Revertamur. Scio enim quamnam sententiam in me ipse solus dicturus sim »; iuravitque illi nihil malevoli in ipsum cordi suo inhaerere. Et postquam domum reversi sunt, evanuit Paulus e conspectu fratris. Qui, ignorans quo ille abiisset, eum triduo per urbem vocavit neque invenit. Quare, scissis vestimentis suis, gravi maerore eius causa oppressus est, et planxit, dicens: « Utinam cor fratris mei tristitia non affecissem propter divitias huius mundi, ut ne tale quid ei accidisset! »

Paulus vero, a parte occidentali urbis paululum progressus, sepulcrum repperit, in quo tres dies commoratus est, preces ac gemitus ad Deum fundens; tum, quarto ab ingressu in sepulcrum die, misit Deus angelum suum, qui illum abreptum Orientem versus transtulit atque in eo loco, prope aquae fontem, deposuit. Tum, angelo in caelum ascendente, invenit sanctus Anbā Paulus ferarum cavernas, in quas ingressus est, contextam sibi e fibris arborum vestem induit, vitam iniit solitariam et sic oravit: « O Domine mi, Iesu Christe, cu-
p. 444. stodi me et salvum me *e manu inimici maligni praesta; o Rex regum, tibi gloria in sempiterna saecula! Amen. »

Facta sunt haec temporibus Athanasii, patriarchae alexandrini. Porro de deserti incolis exorta est disceptatio, quibusdam affirmantibus primum qui desertum incoluerit fuisse Iohannem Baptistam, dicentibus vero aliis: « Non de antiquis solliciti sumus, sed quaerimus quis aetate hac nostra praesenti desertum incoluerit. » Aderat autem eremita, nomine Antonius, ex civibus unius pagorum Aegypti Qiman nuncupati; qui, pago patris relicto, montem conscendit et exstruxit sibi parvam domunculam, quae Bārāfūlā, hoc est deversorium, appellabatur et in qua solitarius vixit. Huius cor se supra eremitas omnes extulit, ipseque cum animo cogitavit, se primum esse qui desertum incoleret. Ad quem tunc vox e caelo directa est, dicens: « En quidam in deserto habitat, praestantissimus, talis ut mundus universus dignus non sit qui plantis eius conteratur. Propter eum terra tranquillitate fruitur et fructus suos edit; iustitiae et precum eius causa ros in gramen demittitur. » Ea re audita, dixit Antonius: « Nomen sempervivum Domini

Dei mei testor, me pedem retro non relaturum neque ad domicilium meum rediturum, nisi prius servum Domini viderim. » Neque fuit corde inconstans; sed, fide firmus, cum gaudio spiritus, ad montem interiorem, Orientem versus, processit, donec ad vallem profundam devenit. In quam ubi ingressus est, coram se vidit hominem linteis sepulcralibus involutum qui pede unico stabat, manu sinistra tenens harpaginem ingentem, quem sapientes mundi etiam « dayros » [1] appellant. Ad illum accedens, Antonius dixit ei: « Quaenam est tibi te sic habendi causa? » Respondit qui linteis funebribus involutus prostabat: « Ego princeps civitatis meae tenebrosae; iique nos fuimus quibus homines *cultu idololatrico* serviebant. Sed finem habuit tempus nostrum, nosque Deus eiecit et in haec loca deserta atque vastata usque in diem magni iudicii ablegavit, ut iudicium cum iis qui illa *idola* fecerunt subeamus. » Dixit ei Antonius: « Haud dubium quin ad iudicium venturus sis. » Tum ille: « Quia nomen deorum, quo indigni sumus, nobis imposuerunt *homines*, idcirco ad iudicium adducemur, rationem ab iis expetituri qui *idola* confinxerunt. » Tunc, manu capiti suo imposita, exclamavit senex: « Vae tibi, urbs sanguinum, Tyre, quae es Alexandria, quia populos omnes idololatriam docuisti! » Dein haec subiunxit senex: « In quonam loco servus Dei commoratur? » Cui ille: « Noli mortuos de vivis interrogare. Is ipse in cuius nomine venis te ad illum diriget. »

Dehinc iterum alterum circiter dimidium diem prorsum incessit senex, et ecce ei in monte apparuit bellua illa, dimidia parte superiore homini, dimidia parte inferiore equo similis, aspectuque maxime tremenda, quam sapientes mundi centaurum (kiṭūros) appellant. Ad quam accedens senex, eam interrogavit: « Ubinam, o bellua, servus Domini habitat? » Illa, lingua utens barbara *et intellectu difficili, respondit: « Nonne iam tibi dictum p. 445.
non esse interrogandos mortuos de vivis? » Deus autem, hominum amans, mentem senis ita acuit ut sermonem ferae intellegeret. Inde prorsum denuo progressus, *Antonius* vidit velut flammam ardentem ad nubes ascendentem; quam admiratus, dixit: « Intuemini qua arte inimicus veritatis sese in formas

[1] Vocem peregrinam et ignotam exscribo, qualis in codice arabico prostat.

diversas immutet. » Et processit senex, confidens Deum sibi adesse, ac circa solis occasum, vestigium hominis cum multis ferarum vestigiis videns, dixit: « Nunc scio non fore ut Dominus servum suum derelinquat. » Tum, vestigio sancti *Pauli* insistens, progressus est quoad ad ostium speluncae eius perveniret. Et primum quidem a sene *Antonio* auditus est sanctus, hunc psalmum decantans [1]: « Confitebor tibi, Domine », tum dicens: « O Domine, omnia secreta tibi manifesta sunt », itemque orationem evangelicam [2] recitans. Postquam autem finem ille fecit et dixit: « Amen », senex Antonius lapide accepto lapidem *alium* percussit. Quod ubi audivit sanctus, intra speluncam clausus, existimavit hoc ab inimico factum, siquidem a quo tempore ibi commorabatur nihil simile audierat; et properans lapidem magnum post speluncae ostium advolvit. Sed Antonius, audito *huius* lapidis sonitu, inclamavit, dicens: « Petivi, et mihi datum; quaesivi, et inveni; pulsavi, et mihi aperietur. » Sanctus vero, ei ab interiore speluncae parte respondens, ait: « Rogantem non oportet conturbari de iis rebus ad quas tendit. »

Tum ostio ei aperto, eum introduxit, atque alter alterum amplexi sunt, et postquam oraverunt et consederunt, *hospitem* interrogavit Antonius: « Quod tibi nomen? » Respondit ei beatus *Paulus*: « Si meum ignoras nomen, quare in hoc desertum venisti? » Et subito, Deo mentem suam illuminante, dixit illi Antonius: « O me felicem igitur, qui Paulum alterum videre merui! » Tum confestim Paulus, eum *vicissim* interrogans: « Exsistitne adhuc vigetque mundus? » Respondit: « Exsistit. » Subiunxit ille: « Dominaturne adhuc iniquitas in terris? » Respondit: « Dominatur. » Et tertio: « Subsuntne principes errori Satanae in clementia *exercenda* et in iniuria debilibus inferenda? » Respondit alter: « Utique, utique. » Dein surrexerunt, oraverunt, *iterum* consederunt ambo, et Paulum sic compellavit Antonius: « Dic mihi, pater mi, num futurum sit ut schema hoc *monasticum* super terram multiplicetur, annon. » Subrisit beatus Anbā Paulus, dein ingemuit. Cui Antonius: « Pater mi, te videns subridentem, gavisus sum; sed ubi ingemuisti, incessit me turbatio. »

[1] *Ps.* CXXXVIII, 1. — [2] MATTH., VI, 9 sqq.

Respondit Paulus: « Deserta haec ut nidi columbarum pullulabunt, et electos suos Deus ex omnibus locis congregabit; nomen autem istud electorum oblivioni tradetur ac sufficietur nomen timentium [1], et gaudium aliquandiu erit, prout scriptum est [2]: ‘Qui in petrarum locis habitant gaudebunt, et eosdem Deus ante iram transferet’. Illis dein succedet gens *indocilis p. 446. atque inoboediens *hominum* animabus suis de nocte non invigilantium. Tunc montibus succensebit Deus, eos vastabit, amotis incolis, eorumque ruina aliquantisper perseverabit. Sanctorum tamen memoria non abrumpetur, et ad montes remigrabit genus aliud, cuius cordibus Deus benignitatem infuderit; sed inimicus Satanas, obambulans per montes vacuos, in quibus et ferae bella gesserunt et athletae coronas suas consecuti sunt, corda aliorum in alios incitabit, adeo ut dissolvantur et, dicentes nihil boni hic reperiri, schema monasticum a se atque vitam religiosam abiciant, eo quod, dulcedinem amoris Dei assecuti, in ea constantes non fuerunt; scriptum est enim [3]: ‘In patientia possidebitis animas vestras’. Alii, domiciliis suis derelictis, urbium plateas sibi habitationis locum constituent et, e medio ovium grege egressi, se ipsi solos lupis obicient; in locis mortuorum et desertis extra civitates et pagos locis habitabunt: loca relinquent ad Deum collaudandum apta, et commorabuntur in locis quae memorare non decet, in locis quae nunquam *a Deo* visitabuntur; his delectabuntur, haec incolent, eo quod patrum suorum disciplinam non susceperunt. Qui illis diebus vivent genus erunt infirmum ac maxime odiosum, cui nonnulli credent et a quo alii discedent propter mansuetam eius sapientiam ac fortitudinem. Vitae haereditatem non consequentur, utpote sapientiam neglegentes. »

Sed ecce, nobis colloquentibus [4], corvus panem rostro allatum ad speluncae ostium proiecit. Tunc dixit *Antonio* [5] beatus Paulus: « Nunc scio te ex Christi militibus esse, quoniam inde iam ab octo [6] annis dimidium panem mihi quotidie affert iste

[1] Arabice *er-rohbān*, quod est vulgatum *monachorum* nomen, sed ex etymo vim habet *timentium*. — [2] Cf. Is., II, 19, 21. — [3] LUC., XXI, 19. — [4] Affingit sibi narrator hoc loco personam alterius ex colloquentibus. — [5] Ad lit.: « ei ». Exhinc scilicet miro modo pluries mutatur narrantis persona. — [6] *Sic*. Cf. prioris recensionis locum parallelum, supra, p. 457.

corvus, et postquam advenisti, tibi *quoque* cibum corpori necessarium misit Christus Dominus Deus noster. » Quibus ab eo dictis, surreximus, oravimus et coepimus Deum usque ad tempus stellae vespertinae exorientis laudare atque ei benedicere. Ubi autem consederunt ambo, diu haeserunt, altero alterum obsecrante ut panem frangeret. Dein manus nostras extendimus et panem in duas dimidias partes divisimus, perinde ac si trutina hae appensae fuissent. Postquam comedimus, surreximus ad Deum collaudandum donec dies illuxit; luce autem diurna exorta, salutatione matutina inter nos consalutavimus. Et ego quidem Antonius *Paulo* dixi: « Undenam, pater mi, toto illo tempore quod in hoc deserto degis, sacram communionem accipis? » Respondit mihi beatus Anbā Paulus: « Singulis sabbatis ac
p. 447. diebus dominicis a Deo ad me angelus mittitur, qui me *sabbato et die dominica communione reficit. » Tum ego: « Benedicta, pater mi, hora qua faciem tuam videre merui. » At ille: « Surge, perge ad domicilium tuum, assume pallium quod dedit tibi Athanasius, et continuo redi, ut corpus meum sepelias... [1] » Sermonem eius mirabar. Ipse autem sanctus mihi sic praecepit: « Festinus redi, quia tempus meum imminet. » Tum lacrimans dixi: « Domine mi, adspectu tuo nondum satiatus sum. » Ille vero: « Festina, inquit, et redi antequam ad me auferendum veniant ».

Ab eo discedens, duos dies totidemque noctes iter feci, properans, quoad ad habitaculum meum venirem. Erat autem apud me senex nomine Abrahamus, qui me interrogavit: « Pater mi, ubinam fuisti? En abhinc iam sex dies te non videram. » Et assumpto pallio, egressus sum. Tum ille: « Visne ut tibi comes adsim? » Negavi. Dum vero in itinere versor, angelos adspexi sub sphaera caeli Deum collaudantes, et, gradum sistens, Deo laudes cum iis persolvi. Qui dicebant: « Animam hanc puram ad regem veritatis adducemus. Pax tibi, vir Dei, Paule. Angeli tibi congaudent. Ecce domicilium tuum in regionibus [2] lucis paraverunt, quoniam beatus inter aequales tuos factus es. » Iis dein e conspectu meo ablatis, iter perrexi usque ad sancti speluncam et ingressus, illum repperi

[1] Hic occurrunt duarum vel trium vocum mutilarum paucula vestigia, quae nullum vel verisimilem sensum fundunt. — [2] Cod.: saeculis.

genibus flexis adorantem, facie terram attingente ac manibus in crucis modum extensis; atque, ad eum progressus, nullo ipsius halitu percepto, intellexi corpus solum superesse, cumque hoc extendissem, flevi et dixi: « O pater mi, memento mei in illis sedibus ad quas migrasti. » Dein pallium explicui et, libro ritus ecclesiastici educto, tria evangelii capita trina recitatione legi, tresque orationes persolvi, et sedi mecum reputans quomodo eum efferrem atque humarem, siquidem, ad cellam meam antea reversus, de ligone ad terram effodiendam afferendo non cogitaveram.

Quae dum mente volvo, ecce duo leones venerunt et, speluncam ingressi, ante corpus Anbā Pauli sese venerabundi prostraverunt, idque osculati sunt. Eos videns, conturbatus sum. Ipsi vero leones, me aspicientes, coram me se prostraverunt, et nutibus interrogabant ubinam vellem terram ab iis effossam. Tunc, corporis longitudinem mensus, hanc mensuram iis intra speluncae aream definivi, et foderunt, alter ad caput, ad pedes alter, quoad profunditatem attigissent staturae hominis aequalem eisque innuerem satis esse quod fecissent. Continuo, e fossa exsilientes, capita sua in terram prostraverunt, in modum dicentium: « Condona nobis. » Ego autem corpus pallio involvi et intra fossam humavi. Tum mortui lectum adii et vestem e fibris arborum contextam, quae ipsi erat, *mihi assumpsi*, ut filius parentum haereditatem suscipiens. Insuper signo notavi locum in quo corpus humatum. Dein profectus, iter prorsum suscepi, et Dominus — cui sit laus! — viam mihi complanavit,
meque ad urbem Alexandriam perduxit, *ubi, aedes patris p. 448.
nostri Anbā Athanasii ingressus, certiorem eum feci omnium quae mihi obvenissent. Accepit patriarcha vestem beati Anbā Pauli, eamque quotannis ter induebat, nimirum die festo sacrae Epiphaniae, die festo Resurrectionis salutiferae et die festo Ascensionis Christi Domini.

Deinde vero patriarcha mihi viros atque equitatum tradidit, dixitque: « I et affer mihi sanctum Anbā Paulum, quem corpori sancti Marci evangelistae apponam. » Et equidem, viris assumptis, ad montem profectus, dies plurimos perseveravi cum sociis circuiens, neque locum invenimus. Vestigia sane reperi atque indicia quae posueram, ipsam vero speluncam non repperi. Dum autem in monte versamur, sanctus Anbā Paulus apparuit

patri patriarchae, cui et dixit: « Nuntio ad viros *inquisitores* misso, iube eosdem ad te reverti, non enim voluntas Dei est ut corpus meum ulli hominum deinceps ostendatur. » Postero mane misit patriarchae Eulogium ('Aulūġyūs), haec ei mandans: « Ad desertum pergens, currus vestigia reperies, *quibus directus*. Antonium huiusque comites revoca. Corpus namque sancti Anbā Pauli nulli hominum usque ad diem apparitionis Salvatoris Iesu Christi manifestandum est. » Profectus Eulogius ad desertum se contulit et, repertis currus vestigiis, ad nos venit, nosque ad urbem reduxit.

Porro pater patriarcha Vitam incliti huius Anbā Pauli a se conscriptam in ecclesia urbis Alexandriae deposuit, et recitabatur omnibus qui vitam monasticam capesserent. Verum ii quoque qui in saeculo remanent illum aemulentur cuius vestis mortuum [1] suscitavit. Fuit nimirum in urbe Alexandria adulescens christianus nomine 'Alādis, qui aegrotavit et mortuus est. Porro credite mihi, homines Dei amantes: ego Athanasius acceptam vestem vimineam, quae beato Anbā Paulo fuerat, mortuo imposui, et revixit. Ego Athanasius testor rem a me propriis oculis usurpatam. Et ego, Isidorus ('Isīdrūs) episcopus, testor illud factum a me propriis oculis usurpatum. Et ego, Antonius ('Anṭūnī), primus presbyter manu Anbā Athanasii ordinatus, idem factum testor, et idcirco subscripsi.

Ipsius preces et gratia nobis omnibus adsint. Amen.

p. 247. MENSIS 'AMŠĪR DIES TERTIUS.

Hodie ad requiem vocatus est asceta 'Ambā Iacobus monachus. Hic sanctus a teneris mundo valedixerat et in spelunca annos quindecim habitaverat, sese, illo temporis spatio, ieiuniis diuturnis et orationibus vix interruptis addicens, devitansque toto illo tempore ingressum in urbem; neque ullius feminae formam adspexerat. Quare insidias ei struxerunt quidam ex diaboli asseclis, et meretricem suscitaverunt, quae ornata eum convenit atque, ad eundem in speluncam ingressa, in ipsumque irruens, coepit ei lascive blandiri ut eum ad peccatum committendum pelliceret. Quam sanctus ille ita adhortatus est, ita

[1] Correxi. Cod.: regem.

meminisse iussit ignis gehennae et tormentorum aeternorum, ut ipsius opera ad paenitentiam agendam adduceretur.

Posthac inimicus sic eum dolose aggressus est: cum filiam cuiusdam viri principis invasisset atque exagitaret, patri eiusdem persuasit eam a nemine sanari posse nisi a monacho illo qui in spelunca commorabatur. Itaque illam accepit pater et ad eum adduxit, eum rogans ut ipsam precibus suis sanaret; et ille quidem pro ea oravit, et sanata est. Timens autem pater ne, si eam statim abduceret, locum diabolo daret ad eam redeundi, eam apud sanctum reliquit, cum ea relicto *eiusdem fratre p. 248. adulescentulo, et abiit. Tum vero Iacobus, Satana contendente ut eum puellae amore illaquearet, hanc vitiavit, ac, veritus ne, re manifestata, pudore suffunderetur atque occideretur, illam una cum fratre interfecit. Dein, a Satana in desperationem adductus, e spelunca egressus est et in mundum reversus. Eiusdem autem misertus, qui non vult mortem peccatoris, *Deus*, ad eum misit monachum sanctum, qui sibi obvium et a se salutatum videns maerentem atque tristem, rogavit ut sibi panderet quid adversi accidisset. Cui cum casus suos omnes exposuisset, cor ipsius confirmavit ille ac debilitatem roboravit, ei impositis ieiuniis atque orationibus.

Quare, *ad desertum* regressus, et in quemdam specum ingressus, sese eo inclusit, *inibi* omnia sustinens mortificationum genera: ieiunium perpetuum, orationes continuas, vigilias, herbas escae loco adhibitas. Cum autem cordis maerore premeretur, quasi Deo non esset gratus, voluit Deus misericors ei demonstrare ipsius paenitentiam acceptam fuisse. Cum enim urbs illa eo anno sterilitate laboraret, adeo ut fames gravis in ea grassaretur, revelavit Deus eiusdem urbis episcopo famem ab urbe non recessuram, nisi per orationem Iacobi monachi, qui in specu habitabat. Adscita igitur secum magna populi frequentia, episcopus illum adiit, rogavitque ut eis Dei misericordiam exoraret. Qui recusabat, dicens: « Ego peccator, Deumque per peccata mea ad iram provocavi. » Audita tamen visione episcopi, morem huic gessit et, ad multitudinem egressus, oravit; neque finem orandi fecerat cum decidit imber copiosus. Unde, confisus orationem suam fuisse Deo acceptam, paenitentiam prospere cessisse et peccata condonata, exinde duplicavit virtutum actus quos exercebat, sibi ipse dictitans: « Sedulo

cave ne cadas. » Vitam finivit in senectute bona ac Deo probata, et in pace quievit.

Ipsius preces atque benedictio nobis omnibus in aeternum adsint. Amen.

p. 448. Ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Hadrā,[1] qui quidem primus fuit monachus vitam monasticam professus in p. 449. regione montosa Benhadab, in partibus nostris, *ante patrem Anbā Petrum Magnum. Erat mons ea aetate desertum aridum atque incultum, ossibus *hominum* mortuorum et omnium quadrupedium refertum, utpote locus a praeteritis generationibus corporibus humandis assignatus. Coepit autem sanctus Anbā Hadrā in deserto habitare, quia sedes illa communis ac publici iuris erat; ei libuit cum deserti feris et cum reptilibus venenatis habitare, fugitque perturbationem hominum commercio inhaerentem, quoniam munditia quae sibi inerat delectabatur; et magno desiderio spiritali ad solitudinem tendebat, ne latus alterutrum impugnationibus praeberet, tum nempe cogitans de artibus tentatoris, tum procul a se fluctus huius mundi, aerumnarum atque periculorum pleni, et hominum fallacias abiciens. Hic vir sanctitate perfecta praeditus mortuum vere suscitavit; factumque ipsum vobis statim exponam.

Vir erat vitam asceticam agens, omnibus laboribus divinis illustris, universis virtutibus spiritalibus perfectus, in operibus suis rectus, cui nomen Anbā Iehuda (Yahūḏā). Qui, insigni simplicitate atque egregia mansuetudine conspicuus, corporum resurrectionem, quae est pignus haereditatis nostrae et spes vitae ac salutis nostrae, non credebat. Deus autem, qui homines amat et qui de cuiusque salute semper sollicitus est, cum nollet virum hunc benedictum quidquam amittere ex labore suo, ascesi eximia, multitudine orationum et actuum religionis, ipsius conditionem sancto Anbā Hadrae manifestavit, eum nempe fide debilem esse, in eum finem ut eundem ille erigeret et a molestia recrearet. Itaque, cum venisset Anbā Iehuda ad sanctum Anbā Hadram invisendum, prout quotidie solebat, obviam ei properavit sanctus *hic*, et, benedictionem ab eo petens, perinde ac si ipse quoque corporum resurrectionem non crederet, sanctum Anbā Iehudam his verbis interrogavit: « Pater

[1] Vel: Hadrī.

mi, putasne ossa haec resurrectura? » Respondit Anbā Iehuda: « Tu me doctior es, pater. » Ex quo responso intellexit senex *Anbā Hadra* cordi illius dubium ea de re insidere; et tunc vestem[1] suam imposuit uni cadaverum priscorum quae subter murum deserti proiecta iacebant ac cum sene Anbā Iehuda *domum* ingressus est, ubi ambo consederunt. Aliquantulo post, fingens senex Anbā Hadra se vestem suam foris oblitum, Iehudam misit ad eam afferendam. Quo egresso ut vestem afferret, subito reviviscens mortuus ille qui ea coopertus erat, manum *advenientis* apprehendit, perinde ac si voluisset eum sanare et infirmitati fidei eius remedium afferre. Unde, com... contremiscens, Anbā Iehuda magnum edidit clamorem, senemque Anbā Hadram advocavit. Senex autem, qui ipse per se noverat quaenam evenissent, egressus, reprehendit eum propter debilitatem fidei in miraculum quod viderat, eumque confirmavit in fide perfecta in Christum Iesum, qui est pignus resurrectionis *nostrae* a mortuis: atque hanc *confessus est p. 450. ille, et, Deum glorificans, eique gratias agens, a sene discessit.

Porro beato Anbā Iehudae[2] magna inerat cura ac sollicitudo de exstruendis atque aedificandis coenobiis, ubi monachi habitarent, ipseque aedificavit magna haec coenobia, quae in finibus nostris sunt, ex quibus unum, in littore maris situm, monasterium Hamyūz, alterum monasterium Denderae (Dendarā), utpote huic urbi vicinum, appellatur. Ad patrem nostrum Anbā Hadram quod attinet, in *deserti* finibus degebat, prout supra notavimus, in loco ubi *mortuorum* ossa soli, quadrupedibus ac feris voracibus exposita; et in pago haud procul distante a monasterio idololatrae morabantur, qui *verum* Deum non noverant. Hi noctu viderunt ingentem flammam ardentem, ex illo deserto assurgentem et fulguris instar fulgentem, remque admirati, prae inscitia sua existimaverunt, illam intuentes flammam, a sene nocte trucidari et illo igne quem adspexerant assari oves quas furatus fuisset. Itaque, cum quadam nocte accessissent, ut eum a confinio observarent, et limitis murum conscendissent, eorum manus obriguerunt muroque ita inhaeserunt ut sese e loco movere non possent. Tunc e muro ad

[1] Nomen arabicum proprie designat vestem quamdam breviorem, qua medium fere corpus tantum tegitur; gallice, *tablier*. — [2] Sic, sed mendose. Lege: Hadrae.

sanctum Anbā Hadram conclamaverunt, ut ipsorum misereretur ipsisque condonaret quod admisissent, et ei inscitiam suam atque fidem mancam confessi sunt. Senex vero Deum precatus est, a quo vinculis absoluti, illi abierunt, Dominum glorificantes.

Hoc quoque *factum* audite, et Deum mirabundi glorificate. Fuit ea aetate mulier quaedam vidua, idolorum cultrix, corde admodum simplici, cuius filium praefecto tanquam furem tradiderunt. Unde illa remansit maerore ea de re oppressa, singulos rogitans atque sic compellans: « Quid faciam? Quid de me fiet? [1]. Et quis filium meum a morte eripiet? ». Cui responderunt omnes qui eam audirent: « Nemo est qui filium tuum salvum praestare queat, nisi sanctus Anbā Hadra, eremita in Benhadab *commorans.* » Tunc eum adiit anus, et coepit apud eum supplex filii sui causa instare, lacrimas fundens et verba tristītiae ac cordis maerentis proferens. Cuius simplicitatem ubi vidit senior, dixit ei: « I et Iesum quaere. Ipse filium tuum tibi salvum praestabit et e manu praefecti eripiet. » Illa vero, praecipienti oboediens, — mulierem hanc idololatram considerate et admiramini! — abiit, et ubique clamare coepit: « Ubinam est Iesus, qui filium meum salvum praestet? » Et Dominus quidem Iesus Christus, *pauperculae* illius clamantis atque eiulantis misertus, eidem in forma visibili propter rectam agendi rationem apparuit, dixitque: « Ego Iesus, quem quaesivisti. Forti animo esto, confer te ad tribunal praefecti; te salvam praestabo, efficiamque ut filium tuum praefectus liberum dimittat. » Illa gaudens properavit; dumque filium eius educunt cruciatibus afficiendum, subito Dominum nostrum Iesum Christum adspexit, qui videbatur praefectum inducere
p. 451. ad adulescentem dimittendum. Hunc itaque *iussit praefectus dimitti; anusque et huius filius *domum* reversi sunt, Deum glorificantes.

De eodem *sancto* latissime percrebruit rumor, ei divinitus manifestata fuisse quae in lege et prophetis *continentur*. Eiusmodi fuit vir ille perfectus, qui ad tantum apicem pervenit. De hoc sene electo narratur, eum circa finem vitae suae capitis dolore laboravisse neque tamen quidquam remisisse religionis suae atque asceseos, sed dixisse: « Mihi videor sonitum

[1] Vel, forsan: quid e re mea est?

campanarum mentis meae identidem audire. » Sanationes autem perficiebat, omnesque *aegrotos* qui ad ipsum venirent in pristinum restituebat statum. Patiens erat ut Iob. Postea requie, non secus ac patres eius, donatus est.

Ipsius precibus Dominus Deus nostri misereatur. Amen.

*Mensis 'Amšīr dies quartus. p. 249.

Hodie martyrium sancti apostoli Agabi ('Aġābos) [1]. Discipulum hunc accensuit Dominus in numerum septuaginta discipulorum, quos a se electos misit ut ante ipsius passionem praedicarent. Quo tempore in coenaculo *montis* Sion cum duodecim discipulis versabatur, gratia Paracleti repletus est, eumque Dominus prophetiae charismate donavit, narrante libro Actuum Apostolorum, illum assumpto Pauli cingulo sibi pedes alligavisse, haec edicentem [2]: « Testatur Spiritus sanctus virum cuius hoc cingulum Hierosolymis a Iudaeis ita alligatum iri »: quae prophetia adimpleta est. Dein evangelium vivificum cum apostolis praedicavit, plurimasque perlustravit regiones. Homines docebat dirigebatque, et multos cum ex Graecis (el-Yūnāniyyīn), tum ex Iudaeis, ad cognitionen Christi Domini adductos vivifico baptismo mundavit. Eum Hierosolymis apprehensum Iudaei crudeliter verberarunt, fune ad collum alligato extra urbem pertraxerunt et lapidibus obruerunt quoad efflaret animam. Tunc in eum e caelo descendit lucis columna, quae eiusmodi apparebat ut a corpore illius ad caelum pertingeret, omnibus rem conspicientibus. Unde Deus illuminavit cor mulieris iudaeae, quae, cum nihil ei inesset odii et invidiae Iudaeorum propriae, sed legem mosaicam observaret, pronuntiavit: « Sanctus est et iustus vir in quem lux illa delapsa est. » Tum coepit Deum laudare et clamare: « Ego christiana, et in Deum huius sancti credo. » Quare eam quoque lapidarunt, et, ad requiem admissa, cum illo sancto eodem sepulcro condita est.

Utriusque preces nobis adsint. Amen.

Hodie vir fuit, *ovium* pastor, saecularis, nomine Eucharistus p. 451.
(Auġāristos [3]), cuius uxor Maria (Miryam) appellabatur. Hi

[1] C: 'Aġābīs; E et F: 'Aġābūs. — [2] *Act.*, XXI, 10, 11. — [3] Infra: Auḫāristos.

erant pii ac puri, via munditiae et castitatis incedentes, eleemosynasque gratis largiebantur. Pecora multa possidebant, quorum totum proventum eleemosynae loco distribuebant, panem quo vescebantur et nihil aliud sibi reservantes. Erant autem in deserto duo senes eremitae, qui, sub rupe in speluncis degentes, insignia religionis opera et arduos paenitentiae labores frequentabant, magnis etiam visionibus donati. Qui, inimico cuiusvis rei bonae superbiam in eorum corda iniciente, existimarunt in mundo neminem esse pietate sibi parem. Quare Dominus ad illos angelum suum misit, qui dixit eis: « Nondum ad illum gradum excelsum pervenistis et meritum, quod assecutus est Eucharistus pastor, in quodam regionis Miṣr pago habitans, cui uxor nomine Maria. »

Illico surgentes senes benedicti, clausis ostiis suis, ad partes Aegypti fertiles et Nili aquis prolutas [1] descenderunt ac de pastore percontati sunt; ad cuius domicilium postquam Deo dirigente devenerunt, oratione praemissa, *foris* consederunt. Horum adventu cognito, Maria, pastoris uxor, iis obviam cum gaudio egressa, eos domum introduxit, eorum pedes aqua lavit, cibumque eis apposuit. Qui tamen nihil comederunt, sed dixerunt: « Non gustabimus quidquam donec Eucharistus rure redierit. » Vespere, Eucharistus, redux, ad eos ingressus eorumque pedes osculatus est. Dein, cum orassent et consedissent, dixerunt ei senes: « O frater noster benedicte, vitam tuam nobis pande; ne celaveris nos quidquam ex iis quae ad te pertinent, siquidem longum iter emensi sumus, sed omnia nobis edissere. » Respondit eis: « Ego homo peccator. Pater meus mihi hanc coniugem dedit. Prima
p. 452. autem *nocte qua simul conversati sumus, inter nos convenit de puritate servanda, amboque, ego et uxor, virgines sumus. Toto vitae tempore ieiunavimus, ieiunium non rumpentes ante vesperam. Dimidiam proventus pecorum partem cum ei qui summa rerum potitur [2], propter pascua, tum mercedi pastorum, partem alteram ecclesiae, peregrinis atque egenis impendimus. Hic *quoque* totius vitae nostrae tenor: ego et uxor ut fratres; eleemosynarum largitionem ex facultatibus nostris non intermittimus; noctes integras erecti stamus orantes usque ad diei illucescentis horam. »

[1] Quae nomine quasi proprio nuncupantur *er-Rîf*. — [2] Ad litt.: *soltano.*

Et senes quidem noctem illam exegerunt. *Dei laudes* cum pastore huiusque uxore decantantes, et postero mane profecti sunt. Quibus *Eucharistus et uxor* panem et marsupium cum auro obtulerunt. Illi vero, nulla re accepta, domum reversi, pietatis opera usque ad tempus mortis in immensum multiplicarunt. [1]

Illorum omnium precibus Dominus Deus nostri misereatur. Amen.

Mensis 'Amšîr dies quintus. p. 249.

Hodie ad requiem admissus est Agrippinus ('Agribīnū) [2], urbis Alexandriae patriarcha. Hic pater, *Deum timens, sanctus, p. 250. purus, presbyter erat in civitate Alexandrina. Patre Claudiano (Klādyānū) patriarcha defuncto, hic sanctus, a populo urbis electus, per gratiam Dei sedis apostolicae administrationem suscepit, quo in munere vitam egit apostolicam, praedicans atque inculcans fidem in Christum et leges eius vivificas, oculo cum intellectuali tum sensibili invigilans gregi custodiendo et adiuvando, a fidelibus neque aurum neque argentum accipiens, sed ea *tantum* quibus propter famis necessitates vesceretur et ea quibus corpus a frigoris et caloris incommodis tueretur, assiduus in erudiendis atque edocendis populi tenuioribus et primoribus, omnium gratia vigilias sustinens precesque fundens. Annis duodecim in huiusmodi certamine exactis, in pace quievit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti Abū Bašīh, praefecti monasterii Aḫmīm, itemque sancti Abbā Nūb, praefecti Deserti auri.

Eadem die ad requiem admissus est sanctus Anbā Apollo ('Abollū) [3], angelorum imitator, cuius vita die vigesima quinta mensis bābah descripta fuit.

Eadem die, memoria quadraginta novem seniorum martyrum in deserto Scete (Šihāt), translationis scilicet corporum eorum ad sacellum [4] et cryptam quae ipsis intra ecclesiam sancti Abū Macarii (Maqār) exstructa est. Quorum omnium preces nobis adsint. Amen.

[1] Ad litt.: duplis plurimis adauxerunt. — [2] Ita ex B, C et D; A: 'Aġrinīnū. — [3] B: Anbā Bolū; C: Anbā 'Ablā. — [4] Ad lit.: ecclesiam.

Eadem die ad requiem admissus est sanctus Abū Līdos [1], papa Romae. Cuius precum benedictio nobis in aeternum adsit. Amen.

p. 452. Ad requiem vocatus est pater sanctus atque egregius Anbā Abšāy, Petri nomine insignitus. Hic, ex pago quodam *regionis* Aḫmīm, qui Abṣūnah appellabatur, oriundus, ubi in corde ipsius exorta est cogitatio bona, de vita nimirum monastica *amplectenda*, omnibus quae possidebat abdicatis, crucem suam accepit et Dominum suum secutus est. Grege quem pascebat aliis, qui curam eius agerent, relicto, in montem *scetensem* ascendens, occurrit patri Anbā Baǵūl, sancti Anbā Šenūdah avunculo, quocum in monte Adrībah commoratus est. Religionis et asceseos opera multa atque inenarrabilia absque intermissione exercebant, ieiunio perpetuo cum vigiliis nocturnis erant addicti; et ab hoste plurimis vexati sunt tentationibus, *ex quibus* tamen Dominus eos incolumes eripuit. Ea autem tempestate, sanctus Abū Šenūdah, septem annos natus, ascendit ad avunculum suum Anbā Baǵūl, cui praescripsit angelus Domini ut eum schemate *illo monastico* indueret, quod ad caput suum esset reperturus. Illum itaque, simulque Anbā Abšāy, schemate induit Anbā Baǵūl; atque omnes tres in religione et ascesi *exercenda* concordes manserunt, habitationes sibi in monte confecerunt, et, ecclesia nomine celsissimae et purissimae Dominae Mariae aedificata, singuli sibi domunculam iuxta ecclesiam exstruxerunt, quae habitacula usque ad hanc diem remanent. Huic ecclesiae nomen er-Raǵāmah indiderunt. Tres simul sese ter in montem Siut (ʿAsyūṭ) contulerunt, Abū Iohannem Curtum invisendi gratia, et vocem e caelo audierunt dicentem: « Hodie te elegi, o Šenūdah, monachis omnibus caput atque moderatorem. » Et erant omnes tres in pietate erga Deum unanimes, ut funiculus triplex, qui, teste Salomone sapiente, non cito rumpitur. Hic autem sanc-
p. 453. tus Anbā Abšāy cursum suum hodie consummavit. Quem *sanctus Abū Šenūdah sepelivit, recitatis super eum precibus quae monachis praescriptae sunt, et in sacro eiusdem monasterio corpus reposuit, ex quo miracula multa prodierunt. *Haec* sanctus Abū Šenūdah in illius Vita descripsit.

Ipsius precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

[1] D: sanctus Yūlīdos.

*Mensis ʾamšīr dies sextus. p. 251.

Hodie e mari ascendit corpus sancti patris miraculorum, doctoris orbis *universi*, Hippolyti (Abūlīdos) [1], papae romani. Sanctum hunc, qui fuit vir inter aequales suos egregius et perfectus, elegerunt ad sedem urbis Romae post sanctum patrem Argium (ʾArǵyūs) [2] conscendendam, primo anno quo pater Clodianus (Klādyānū) Alexandriae praeerat. Cum assiduus esset in populo erudiendo et ab idololatrarum doctrinis tuendo fidelesque in fide Christi confirmaret, fama eius ad imperatorem impium Claudium perlata, hic illum apprehendit, diris affecit verberibus, et postremo, gravi lapide ad collum alligato, in mare salsum, [3] hora matutina diei quintae *mensis* ʾamšīr, proiecit. Die autem sexta mensis eiusdem, inventum est corpus sancti super aquas, lapide ad pedes eius alligato, fluitans. Ad quod egressus, quidam fidelium idem in domum suam translatum linteis pretiosis involvit. Rumor ea de re, per urbem Romam et regiones circumiacentes perlatus, ad imperatorem pervenit, qui corpus expostulavit; hoc vero abscondit qui possidebat, neque revelavit. Reliquit hic sanctus scripta multa, e quibus alia de doctrinis dominicis et manifestatione incarnationis Filii Dei in natura humana agunt, et alia institutio sunt atque exhortationes de vita recte dirigenda. Condidit insuper canones de rebus diversis, quorum numerus triginta et octo, iique in nostra ecclesia et in omnibus christianorum ecclesiis inveniuntur.

Benedictio precum eius nobis in aeternum adsit. Amen.

Eadem die ad requiem admissi sunt sancti Abū Cirus (Abū Qir) et Iohannes, itemque tres virgines cum matre earum. Virginum nomina haec erant: Theodora, quod « Dei donum »; Theopista, quod « Dei fides », *et Theodoxa, quod « Dei gl[illegible]ria » interpretatur. Matris autem nomen Athanasia, quod « vi[illegible] immortalis [4] » valet.

Sanctus Abū Cirus, monachus et eremita, *Deo* a teneris religiose serviebat, et sanctus Iohannes miles fuit, ex prae-

[1] D: Yūlīdos; E: Abyūlīdos. — [2] B et C: Aúǵyūs. — [3] I. e., mare proprie dictum, quatenus distinguitur a magnis fluminibus: Nilo, Euphrate, etc. Cf. sup., pp. 122, 159. — [4] C rectius « Immortalis ».

toria imperatoris cohorte [1]. Uterque, ex populo Alexandriae oriundi, Antiochiae habitabant. Postquam ipsi cum virginibus harumque matre Christum coram Diocletiano imperatore confessi sunt, interrogavit hic undenam essent. Cui cum responsum esset illos e populo Alexandriae oriundos, praecepit ut illuc mitterentur. Et ubi, ad urbem Alexandriam translati atque illic ante praefectum constituti, Christum Dominum confessi sunt, iussit ille eorum capita amputari. Porro sancta Athanasia virgines filias suas confortabat atque ad patiendum hortabatur, affirmans eas, si martyrium constanter sustinuerint, futuras Christi regis sponsas, itemque sanctus Abū Cirus easdem confirmabat, iis in memoriam revocans quae passa esset Thecla, Apostolorum socia et aemula; et earum singulas carnifici offerebant donec martyrio *omnes* affectae sunt. Mater post filias, et post universas, sanctus Abū Cirus et Iohannes martyrium subierunt. Deinde praecepit praefectus ut illarum [2] corpora feris atque volucribus caeli obicerentur; verum fidelium turmae corpora clam subrepta sepelierunt et in arcas condiderunt.

Eorum omnium preces atque benedictio nos custodiant. Amen.

p. 453. Ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Zanufius (Zānūfyūs). Sancto huic multa adscribuntur pietatis facinora. Magnum monachis conventum constituit, eiusque opera animae plurimae salutem consecutae sunt. Devotionis actus, preces, ieiunium, genuflexiones innumeras exercebat, et filios suos hortabatur ut Dei timorem cordibus suis insererent. Porro convenerunt mulieres plurimae, quae eum rogarunt ut sibi monasterium aedificaret, in quo habitarent, utque schemate *monastico* ab ipso donatae sub umbra orationum eius commorarentur. Qui rem detrectavit. Verum, Domino interrogato, vocem audivit sibi dicentem: « Feminae et viri Domino aeque accepti, ut testatur Paulus [3]. » Tum ei praescripsit *eadem vox* ut illis *feminis* monasterium exstrueret, schema imponeret, et rectricem praeficeret, quae eas moderaretur. Et sanctus quidem monasterium aedificavit in quod confluxerunt virgines, atque ad has transmittebat canones et leges obligatorias quibus adstringuntur monachi, ut eas servarent. Monasterium hoc

[1] Ad lit.: ex imperatoris primoribus vel familiaribus. — [2] B: illorum. — [3] *Gal.*, III, 28.

contra el-Marāyeġ, in finibus Aḫmīm situm est. Postquam autem Dominum Deum vidit [1] *Zanufius*, cursum suum in certamine *spiritali*, in fidei conservatione, in ascesi etiam et in corpore suo diu noctuque affligendo, complevit. Hisce ad extremum usque halitum toleratis, ad Christum Dominum migravit. Corpori eius ea persolverunt quae praescripta sunt et monachos decent, idque in ipsius monasterio, ubi vitam finierat, sepelierunt; et eiusdem *sancti* opera insignia edidit Deus miracula, quae nunc in Vita eius descripta *iacent*.

Ipsius precibus Dominus Deus nostri misereatur. Amen.

Mensis 'Amšīr dies septimus. p. 252.

Hodie ad requiem admissus est pater Alexander, Alexandriae patriarcha. Is sanctus vitam monasticam amplexus fuerat in monasterio Bādīrūn [2], quo nomine « coenobium patrum » significatur, et ad munus patriarchale electus est. Iustus erat, purus atque doctus, eique molestiae graves tempore regiminis acciderunt. Imperator nempe qui rerum summa tunc potiebatur regni administrationem filio suo commiserat, qui monachos in monte Scete *commorantes* vexavit. Hic eo impietatis atque irreligionis progressus est ut, in monasterium ab australi *urbis* Miṣr parte situm ingressus, et videns imaginem celsissimae Dominae *virginis Mariae* adornatam ac velo serico coopertam, dixerit: « Quid est *hoc? » Cui cum respondissent: p. 253.
« Haec imago celsissimae Dominae matris Christi », conviciis eam proscidit et in faciem eius expuit, dicens: « Si vixerim, christianos delebo », nomenque Christi blasphemavit. Nocte subsecuta, in somnis res vidit quae ipsum exagitarunt ac terruerunt, easdemque mane patri suo sic exposuit: « Hac nocte, graves a daemone expertus sum cruciatus. Virum adspexi cathedrae ingenti insidentem, admodum terribilem. Vultus eius solis radiis micantior. Armatorum myriades eum circumdabant. Stabamus autem ego et tu post eum vinculis adstricti, et mihi de eo sciscitanti dictum: Hic est Iesus Christus, christianorum rex, quem heri irrisisti. Tum armatorum aliquis, ad me ac-

[1] In visione seu alloquio de quo supra; nisi quis vertere malit: Quo autem tempore Domino Deo visum est, consummavit cursum suum, insignem certamine spiritali, etc. — [2] B et C: Bābārūn (!).

cedens, latus meum lancea confodit, neque hanc extraxit quoad mortuus essem. » Quod audiens pater, maerore affectus est. Adulescens autem, illico febri correptus et *in lectum* ablatus, elinguisque factus, eadem nocte obiit. Post dies quadraginta pater quoque mortuus est.

Cui successit imperator alius, hominum et ipse vexator, qui apprehensum patrem Alexandrum cruciavit donec sibi tria denariorum millia tributi loco penderet. Illum Deus morti cito tradidit. Sed in eius locum suffectus est imperator alius, eo malignior, cuius administer [1] patrem *patriarcham* apprehendit, ab eo tria alia denariorum millia exigens. Causatus est pater sese illa *priora* partim a fidelibus expetiisse, partim mutuatum. At ille excusationem non accepit. Precatus itaque *patriarcha* ut mora sibi concederetur ad ea colligenda, in Aegypti superioris fines ascendit, eadem emendicaturus. Porro contigit ut in monte eremita, cui duo aderant discipuli, iuberet ab his quemdam montis locum everri, utque urnas quinque, auri plenas, reperirent, quarum unam subripuerunt et occultarunt, *reliquis* quattuor ad eremitam allatis. Eas eremita misit ad discipulos [2] patriarchae, subsidio huic futuras. At vero duo discipuli *eremitae*, urna [3] *quam surripuerant* accepta, ad saeculum reversi, vitam monasticam reliquerunt, uxores duxerunt, et ancillas, servos atque pecora emerunt. Quos idcirco apprehendit loci praefectus; et ab eo verberibus affecti, confessi sunt urnas quinque a se repertas esse. Rem praefectus misso nuntio cum
p. 254. administro communicavit, *qui allegatis satellitibus aedes patriarchae diripuit, aurea ecclesiarum vasa quaecumque a se reperta abstulit, patrem *patriarcham* contemptui habuit, vinculisque adstrictum in carcerem coniecit, et rationem ab eo exegit cum urnarum auri plenarum, tum trium millium denariorum, neque eum dimisit quoad haec tributi loco collecta sibi tradidisset.

Posthac imperatori illi mortuo alius successit imperator, superiore nequior, qui fidelibus praescripsit ut, pro cruce gloriosa, manibus suis proprii ipsius numinis nomen signatum imprimerent, quod *numen* erat leonis simulacrum, a Iohanne theologo praedictum, inque omnes regiones misit, mandans ut id

[1] Ad lit.: vezirus. — [2] C: discipulum. — [3] A et C: urnis.

exsequerentur, et a patriarcha petiit ut idem praestaret. Qui cum instanter rogavit ut se ea re immunem haberet, recusantemque precatus est ut sibi trium dierum moram concederet. Tum in domum suam reversus, Dominum multa prece obsecravit ne se deserens sineret in illam incidere calamitatem. Cuius orationem exaudiens Dominus, eum morbo levi visitavit. Quare ab imperatore petiit ut sibi per eum liceret domicilium suum alexandrinum repetere. Hoc ille non permisit, existimans aegrotationem simulari et signaculi vitandi causa confictam. At, quattuor diebus transactis, obiit patriarcha, postquam, de ea re divino oraculo praemonitus, discipulis suis dixerat: « Crastina die visitabit me Christus; currum [1] nobis praeparate. » Mortuus igitur est, corpusque curru [1] ad illum locum translatum, in quo patrum corpora *iacebant*.

Huius patris aetate Melchitis in Aegypti finibus praeerat patriarcha sanctus nomine Anastasius, in quem, utpote christianorum iacobitarum amantem, contigit ab ipsius populo seditionem moveri. Quare, ut animae suae saluti consuleret et ne suos in fidelium odio imitaretur, iis derelictis, patrem Alexandrum adiit et huius potestati se submisit. Quem maximo in honore habens pater *Alexander*, rogavit ut sedem patriarchalem conscenderet, regimen gregis susciperet, seque sineret in aliquo monasterio monachi vitam degere. Rem detrectavit pater Anastasius, dicens: « Si mihi placuisset dignitas patriarchalis, fui equidem patriarcha. Nihil opto nisi ut tuus discipulus sim. » Post multas tamen atque instantes preces et post mutua inter ambos colloquia, assensit pater Anastasius ut episcopus constitueretur, eique a patre *Alexandro* una ex sedibus episcopalibus tradita, gregem sibi commissum diligentissime atque optime pavit. Quod autem ad patrem Alexandrum attinet, sede apostolica annos haud pauciores quam viginti quattuor cum dimidio potitus, in pace quievit.

Ipsius preces atque benedictiones nos in aeternum custodiant. Amen.

Eadem die ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Theodorus, Alexandriae patriarcha. *Quo tempore hic pater p. 255.

[1] Nomen arabicum, quod de quocumque devehendi modo usurpatur, posset forsan hoc loco *navigium* designare.

monachus erat haud procul a Mareota (Maryūṭ), in monasterio cui nomen Ṭamnūrah, discipulum agens apud virum sanctum atque perfectum, novit is, Spiritus sancti instinctu, Anbā Theodorum patriarcham fore et rem hominibus praenunciavit. Fuit hic pater in religione sua pugnator ardentissimus, cilicium ex pilis contextum ad carnem et vestem ferream superne adhibens, perfectus in humilitate ac mansuetudine sua; Deoque volente ad sedem patriarchalem electus, oves Christi optime rexit. Quibus lectionem quotidie, imprimis tamen diebus dominicis et festivis, sedulo suppeditabat. Sedem sancti Marci tenuit annos undecim cum dimidio, et in pace quievit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

p. 453. Scitote, fratres, die huic respondente ad requiem vocatam esse sanctam Alexandram (El-'Iskandarah). Haec, quae Alexandriae degebat, inde exiens, extra urbem habitavit et in quoddam sepulcrum ingressa, sibi ostium occlusit, relicta in pariete parva fenestella, quanta satis esset manui cum pane corpori necessario introducendae. Permansit annos duodecim nullam unquam sive viri sive feminae faciem conspiciens; atque, annis duodecim elapsis, solitaria decubuit et, cum manus ex utraque corporis parte protendisset, ad requiem admissa est
p. 454. eius anima, scientia a se acquisita splendens. *Ad eam autem de more venit, victum corpori necessarium afferens, quae ei famulabatur, et fenestellae ostium pulsavit, nemine ei respondente. Tum illam ipsius nomine pluries advocavit, inclamans: « O Alexandra », neque ullum audivit responsum. Quoniam itaque illa, quamvis multoties sic vocata, responsum non dabat, intellegens *famula* ab anima eius desertum carcerem quo includebatur, venit et certiores nos fecit nullam eius vocem a se audiri. Unde novimus eam a Deo sublatam esse, et, ad sepulcrum nos conferentes, pariete destructo atque ostio aperto, illam invenimus mortuam. Quam honorificentissime involutam in eo sepulcro in quo iacebat humavimus.

Quae vero ad eam attinebant nobis ita exposuit Melania (Melānah), famula eius: « Iampridem, cum de hac beata *femina* audissem, rescire libuit inclusionis eius causam, ac veniens ad ostium carceris, ostium *hoc* pulsavi, et illa mihi respondit, me faciem eius et ipsa faciem meam non vidente. Dum autem mihi proxima ad fenestellam staret, eam allocuta sum, dixique ei: « Ego Melania, Christi famula, veni de te percontatura, teque rogo ut mihi causam indices cur te ipsa in hoc sepulcro incluseris. » Quae mihi ex illa parva fenestella sic respondit: « Incedebam equidem via regis magni, qua incedunt fideles universi, meque adspexit vir quidam et mens eius propter me perturbata est atque in devium acta, Satana ipsum sagitta configente et volente me quoque cum illo seducere. Quare, cum intellegerem fratrem propter me pessumdari, cumque ille timeret ne cor suum affligerem et ne se apud alios detrectarem, mecum ipse deliberans, dixi: Praestat me mori viventem quam servum Christi a me ad perniciem trahi. Et idcirco me in hoc sepulcrum ipsa vivens inieci, ne homini ad imaginem Dei creato offendiculo essem. » Tum ego eam interrogavi: « Quomodo potuisti te ipsa includere, neque diuturnae illius captivitatis tempore commercium cum ullo habere, sed constans cum tuis cogitationibus bellum gerere? » At illa: « A tempore matutino, inquit, usque ad horae nonae tempus orationes fundo et Scripturae *sacrae* operam do: reliquam diei partem impendo investigationibus de patriarchis, patribus, prophetis . . . [1].

.... [2], cella eius et urbs quae Rāġām appellabatur et cuius cives impii obstaculo erant ne pluvia *in ipsos caderet. Qui p. 455.
cum angustiis premerentur, eum adierunt et polliciti sunt se, si sibi pluvia impetrata ipsius auxilio fuisset, in Christum credituros. Ille Dominum invocavit et eos ad Dei cognitionem reduxit. Alterius quoque urbis cives ad Dei cognitionem convertit et multa idolorum delubra evertit. Sibi exstruxerat ipse habitaculum in quo erectus stabat, nunquam sedens, et ita in terris annos quinquaginta quattuor permansit. Quod si somnolentia gravaretur, erectus in illo loco dormiebat, supposito manibus adminiculo quo sustentarentur. Singulis hebdomadis [3] ieiunabat, pro mundo universo orabat, et, caritate annonae atque lue in illis regionibus grassante, a Christo Domino petiit calamitatis finem.

Miracula eius plurima atque innumera. Simeon Stylita, cuius temporibus aequalis fuit, iis qui ad se convenerant *quon-*

[1] Sic abrumpitur, lacuna intercedente, in cod. G. relatio de s. Alexandra. — [2] Quae hic subsequuntur, initio mutila, pars sunt longioris recensionis de S. Barsuma, qui in caeteris codd. ad diem 9um huius mensis memoratur. Cf. infra, p. 485. — [3] Vel: singulis feriis sextis.

dam dixit: « Ad nos mox veniet vir insignis; manete hic, ut benedictionem eius accipiatis. » Aliquanto post advenit sanctus Barṣuma ad sanctum Simeonem Stylitam, quem videre cupiebat, et, postquam inter se mutuo consalutarunt, ille, dies aliquot apud alterum commoratus, ad monasterium suum reversus est. Idem urbis Samariae cives ad Dei cognitionem convertit, aegrotos sanavit et daemones eiecit. Dein imperatorem Theodosium iuniorem [1] adiit, quem in fide confirmavit. Et hic quidem ei obtulit pecuniam, quam accipere noluit; simul ei potestatem contulit in omnes regionum Antiochiae circumiacentium episcopos, suumque commisit annulum. Concilio quod Ephesi ad Nestorium anathematizandum congregatum est interfuit, et ei dedit imperator litteras ad Antiochiam et Antiochiae fines, ut obedientiam ipsi praestarent; verum ei restiterunt perversi quidam, eum lapidare volentes; in quorum tamen manus Dominus eum non tradidit. Ad omnes civitates scribebat, epistulis suis imperatoris annulo obsignatis; quare, ei invidentes, eum apud imperatorem accusarunt quod, caesarie abrasa, somno, cibo, potui ac vestibus *pretiosis* deditus esset. Misso itaque quodam familiarium suorum, eum arcessivit imperator; sed postquam in ipso coram se constituto nihil invenit eorum quae delata erant, eum remisit, datis litteris ne quis ab eius praescriptis descisceret.

Cum, mortuo Theodosio et Marciano imperium obtinente, concilium chalcedonense adunaretur, episcopis qui imperatori consentiebant postulantibus ne secum adesse sineret Barsumam, propter gratiam quam ei inesse noverant, *Marcianus* ab urbe sua discedere iussum misit ad Pulcheriam perversam atque malevolam, quae paulo post morte funesta pessimaque mortua est. Porro episcopi rebelles atque *fidei* adversantes eum repellebant, ei obsistebant et ad varias regiones scribebant, ne ab ullo admitteretur. Quibus tamen populi non paruerunt; quippe qui illius sanctitatem, puritatem, ieiunium atque orationes perspectas haberent. Dein duo virorum rebellium milia, quibuscum stabat episcopus quidam, conspiratione in eum inita, cum eum nuntio misso rogassent ut ad ecclesiam secum veniret, insidias
p. 456. ei in via struxerunt ad eum occidendum. *Incedebat nempe

[1] Ad lit.: parvum.

hic iustus inter illos solus, et, ubi ad medium pervenerunt iter, lapidibus eum impetere coeperunt; sed, lapidibus ad ipsorum capita retroactis, recesserunt multi, una cum episcopis suis, maximo pudore atque rubore suffusi. Fuit etiam metropolita, qui plurimis multitudinibus eductis, pugnam cum eo committere vellet. Cui obviam processit sanctus, viginti discipulis stipatus. Prospiciens autem metropolita, ingentem vidit exercitum et dixit: « Cuiusnam hic *exercitus* ? » Cumque ei respondissent: « Hic est Barsumae exercitus », aufugit cum multitudinibus quae eum circumstabant. Multa huiusmodi facinora, quorum longior esset enarratio, patravit sanctus et populos complures ad fidem orthodoxam convertit.

Quando voluit Dominus eum e carcere huius mundi educere, ad eum misit angelum suum qui illum confortaret certioremque faceret translationis post dies quattuor futurae. Et ipse quidem discipulum suum in omnia loca misit, ad corda fidelium in orthodoxa fide confirmanda; atque hic discipulus dein adiit Iohannis caput, in urbe asservatum, quod dum lacrimis propter Marcianum perfundit, ad eum vox e capite emissa est, dicens: « Noli timere; Marcianus quippe mortuus est, quoniam vir insignis, Barsuma scilicet, eum apud Dominum accusavit. » Sanctus vero, postquam singulis suis discipulis benedixit, in pace decessit. Tum apparuit lucis columna, supra cellae eius ostium stans, quam fideles procul videntes venerunt, et compererunt sanctum ad requiem vocatum esse. Cuius benedictione capessita, eum prout decet sepelierunt et tumulo mandarunt.

Ipsius preces et nobis et *libri* scriptori adsint. Amen.

Mensis 'Amšīr dies octavus. p. 255.

Hodie Christus Dominus, post dies quadraginta a natali suo glorioso *exactos*, in templum ingressus est. Eum obtulelerunt Iosephus, faber lignarius, senex iustus, qui in hoc mysterio famulabatur, et sancta Maria, mater eius, ut adimplerent ambo officium quod Altissimus populo israelitico imposuit; oblationem porrexerunt in lege mosaica divinitus praescriptam. Eundem autem brachiis sustulit Simeon sacerdos. Hic senex Simeon erat vir iustus. Porro Ptolemaeus (Baṭlyūs [1]), qui Vic-

[1] Ita A et B; C, rectius: Baṭlamūs.

dam dixit: « Ad nos mox veniet vir insignis; manete hic, ut benedictionem eius accipiatis. » Aliquanto post advenit sanctus Barṣuma ad sanctum Simeonem Stylitam, quem videre cupiebat, et, postquam inter se mutuo consalutarunt, ille, dies aliquot apud alterum commoratus, ad monasterium suum reversus est. Idem urbis Samariae cives ad Dei cognitionem convertit, aegrotos sanavit et daemones eiecit. Dein imperatorem Theodosium iuniorem [1] adiit, quem in fide confirmavit. Et hic quidem ei obtulit pecuniam, quam accipere noluit; simul ei potestatem contulit in omnes regionum Antiochiae circumiacentium episcopos, suumque commisit annulum. Concilio quod Ephesi ad Nestorium anathematizandum congregatum est interfuit, et ei dedit imperator litteras ad Antiochiam et Antiochiae fines, ut obedientiam ipsi praestarent; verum ei restiterunt perversi quidam, eum lapidare volentes; in quorum tamen manus Dominus eum non tradidit. Ad omnes civitates scribebat, epistulis suis imperatoris annulo obsignatis; quare, ei invidentes, eum apud imperatorem accusarunt quod, caesarie abrasa, somno, cibo, potui ac vestibus *pretiosis* deditus esset. Misso itaque quodam familiarium suorum, eum arcessivit imperator; sed postquam in ipso coram se constituto nihil invenit eorum quae delata erant, eum remisit, datis litteris ne quis ab eius praescriptis descisceret.

Cum, mortuo Theodosio et Marciano imperium obtinente, concilium chalcedonense adunaretur, episcopis qui imperatori consentiebant postulantibus ne secum adesse sineret Barsumam, propter gratiam quam ei inesse noverant, *Marcianus* ab urbe sua discedere iussum misit ad Pulcheriam perversam atque malevolam, quae paulo post morte funesta pessimaque mortua est. Porro episcopi rebelles atque *fidei* adversantes eum repellebant, ei obsistebant et ad varias regiones scribebant, ne ab ullo admitteretur. Quibus tamen populi non paruerunt; quippe qui illius sanctitatem, puritatem, ieiunium atque orationes perspectas haberent. Dein duo virorum rebellium milia, quibuscum stabat episcopus quidam, conspiratione in eum inita, cum eum nuntio misso rogassent ut ad ecclesiam secum veniret, insidias
p. 456. ei in via struxerunt ad eum occidendum. *Incedebat nempe

[1] Ad lit.: parvum.

hic iustus inter illos solus, et, ubi ad medium pervenerunt iter, lapidibus eum impetere coeperunt; sed, lapidibus ad ipsorum capita retroactis, recesserunt multi, una cum episcopis suis, maximo pudore atque rubore suffusi. Fuit etiam metropolita, qui plurimis multitudinibus eductis, pugnam cum eo committere vellet. Cui obviam processit sanctus, viginti discipulis stipatus. Prospiciens autem metropolita, ingentem vidit exercitum et dixit: « Cuiusnam hic *exercitus?* » Cumque ei respondissent: « Hic est Barsumae exercitus », aufugit cum multitudinibus quae eum circumstabant. Multa huiusmodi facinora, quorum longior esset enarratio, patravit sanctus et populos complures ad fidem orthodoxam convertit.

Quando voluit Dominus eum e carcere huius mundi educere, ad eum misit angelum suum qui illum confortaret certioremque faceret translationis post dies quattuor futurae. Et ipse quidem discipulum suum in omnia loca misit, ad corda fidelium in orthodoxa fide confirmanda; atque hic discipulus dein adiit Iohannis caput, in urbe asservatum, quod dum lacrimis propter Marcianum perfundit, ad eum vox e capite emissa est, dicens: « Noli timere; Marcianus quippe mortuus est, quoniam vir insignis, Barsuma scilicet, eum apud Dominum accusavit. » Sanctus vero, postquam singulis suis discipulis benedixit, in pace decessit. Tum apparuit lucis columna, supra cellae eius ostium stans, quam fideles procul videntes venerunt, et compererunt sanctum ad requiem vocatum esse. Cuius benedictione capessita, eum prout decet sepelierunt et tumulo mandarunt.

Ipsius preces et nobis et *libri* scriptori adsint. Amen.

Mensis 'Amšīr dies octavus. p. 255.

Hodie Christus Dominus, post dies quadraginta a natali suo glorioso *exactos*, in templum ingressus est. Eum obtulerunt Iosephus, faber lignarius, senex iustus, qui in hoc mysterio famulabatur, et sancta Maria, mater eius, ut adimplerent ambo officium quod Altissimus populo israelitico imposuit; oblationem porrexerunt in lege mosaica divinitus praescriptam. Eundem autem brachiis sustulit Simeon sacerdos. Hic senex Simeon erat vir iustus. Porro Ptolemaeus (Baṭlyūs [1]), qui Vic-

[1] Ita A et B; C, rectius: Baṭlamūs.

tor cognominatus est, cum regnum obtinuit, quinquies millesimo anno et ducentesimo quarto a patre nostro Adamo, et, Deo res ita moderante, iudicium in populum iudaicum exercuit, missis ad urbem Hierosolymam nuntiis, septuaginta viros arcessivit ex Iudaeis doctissimis, eruditissimis ac piissimis, a quibus iussit sibi omnes legis libros exponi atque ex hebraico sermone in graecum tranferri. Quod divina dispositione factum, ut lex ad populum christianum transmitteretur, qui post annos multos exoriturus erat. Praecepit autem ille ut universi *interpretes* in diversa loca bini distribuerentur et sedulo observarentur nec liceret aliis alios adire, ne ex condicto et quasi communi consilio in scribendo agerent et, re apud Iudaeos divulgata, opus non probaretur. Cum itaque omnes totam le-
p. 256. gem transferrent, *occurrens hic iustus Simeon effato Isaiae prophetae [1]: « Ecce virgo concipiet et pariet filium », non ausus est scribere virginem concepturam, ne res a rege non crederetur, sed derisui haberetur, et existimaretur errorem a se in scribendo admissum. Quare pro « virgine » posuit « adulescentulam » ; tum ipse intra se dubitavit, dicens : Virginis partus res est absurda atque impossibilis. Dum autem hanc cogitationem mente volvit, somno in eum divinitus immisso, obdormivit, et dormienti apparuit angelus Domini dixitque : « Mortem non experieris antequam rem videris de qua dubitasti, Christum nempe ex virgine nasciturum. »

Posthac igitur vixit annos prope trecentos, usque ad tempus nempe Christi Domini in lucem editi, qui die huic respondente in templum allatus est. Porro caecus factus erat Simeon. Qui ubi *puerulum* brachiis excepit, vidit, et a Spiritu sancto edoctus est, hunc eum esse quem ipse exspectabat. Unde benedixit Deum, his usus verbis [2] : « Nunc, o Domine, servum tuum in pace dimitte. Ille namque cuius causa captivus in vita huius mundi caduci tenebar iam venit, eumque intuitus sum. Me igitur dimitte, felicitatem perpetuam aditurum. Viderunt enim oculi mei salutem tuam, quam coram universis populis praeparasti, lumen gentibus propositum et gloriam plebis tuae Israel. » Dein, matrem virginem Mariam alloquens [3] : « Ecce positus est hic, inquit, in ruinam et resurrectionem multorum ex filiis

[1] Is., VII, 14. — [2] Luc., II, 29-32. — [3] Luc., II, 34.

Israel », nimirum in eorum ruinam qui non crediderint et in credentium resurrectionem. Tum eidem praenuntiavit dolorem ac dubium quo cor ipsius tempore passionis *filii* afficiendum esset, dixitque [1] : « Cor tuum pertransibit dubii gladius. » Et postquam ea perfecit quae lege praescripta erant, in pace quievit. At vero Anna *illa* prophetissa, quam memoravit Evangelium, et ipsa de eo *puero Iesu* vaticinata est, coepitque Deum glorificare et iustis ex filiis Israel nuntiare illum Salvatorem esse qui ipsos e servitute Satanae atque e gehennae carcere erepturus esset.

Domino nostro aeterna sit gloria, et huius patris preces nobis prosint. Amen.

Mensis 'Amšīr dies nonus.

Hodie ad requiem vocatus est pater insignis Anbā Barsūmā, monachorum syrorum pater. Huius sancti parentes patria Samosatenses fuerunt, et de eo vaticinatus fuerat eremita quidam. progenitoribus ante eundem in lucem editum dicens : « E vobis orietur fructus bonus, cuius fama per orbem divulgabitur » : et iis praenunciaverat quae *illi obventura essent. Postquam p. 257.
itaque natus est et in cognitione Dei profecit, e domo parentum fugiens, ad flumen Euphratem venit, et apud virum sanctum cui nomen Abrahamus, commoratus est. A quo, ex parentum timore, ad *alias* regiones abductus, in Šaqīf se contulit ibique habitavit. Discipuli ad eum convenerunt. Aquam loci *illius*, quae amara erat, Dominus, ipse orante, in dulcem commutavit. Eius manibus magna patravit Deus miracula. Quo in genere hoc fuit. Versanti quondam cum discipulis procul a cella nox supervenit, et Christus, ab eo exoratus, solem ei detinuit donec ad cellam pervenisset. Alias, urbs fuit nomine Rāǵām [2], cuius incolae impii, adeo ut Dei iussu prohibita fuerit pluvia ne iis affunderetur. Qui, cum in angustias adducti sanctum adiissent, eos hic adhortatus, cum iis constituit, eos in Christum credituros si ipse pluvia obtenta illis opitulatus fuisset ; tum Christum precatus est, pluvia cecidit, et in Christum illi crediderunt. Item, urbem aliam ad Deum adduxit et multa simulacrorum

[1] Luc., II, 35. — [2] B et C : Zā'ām. Cf. supra, p. 481, l. 20.

delubra evertit. Sibi locum paraverat in quo non sedens, sed erectus, staret, ibique erectus, nunquam sedens, annos quinquaginta quattuor permansit. Quod si eum somnolentia lacesseret, erectus dormiebat, supposito manibus fulcimento quo sustentarentur. Singulis feriis sextis [1] ieiunabat.

Fuit hic sanctus Simeonis Stylitae aequalis, quem videre optavit. Quare ad eum venit, et, mutua benedictione data acceptaque, ad monasterium suum reversus est. Praedicavit in civitatibus [2] Samaritanorum, qui, miraculis ab eo in ipsorum emolumentum patratis, eius opera crediderunt. Imperatorem Theodosium iuniorem adiit, quem in fide confirmavit; illeque ei divitias obtulit, renuenti autem quidquam accipere litteras dedit potestatem conferentes in universos sedis antiochenae episcopos, suumque annulum tradidit. Concilio ephesino, ad Nestorium anathematizandum coacto, interfuit hic pater, atque ad eum dedit imperator epistulam ut omnia finium Antiochiae capita obedientiam ei praestarent. Ipse ad omnes urbes scribebat epistulas sigillo imperatoris sibi commisso obsignans; sed, consilio in eum inito [3], viri quidam perversi eum apud imperatorem accusarunt quod epulis, potui et vestibus *pretiosis* deditus esset. Quare allegavit imperator unum ex familiaribus suis, qui, cum venisset et in illo nihil reperisset eorum quae contra eum iactata fuerant, eundem ad imperatorem adduxit. Sed neque imperator quidquam invenit mutatum in vita eius spiritali; unde honorifice habitum in locum priorem remisit.

p. 258. *Quo tempore coegit imperator Marcianus concilium *chalcedonense*, postularunt imperatoris asseclae ne Barsumam secum convocaret, eo quod gratiam ipsi infusam noverant; et ubi concilii patres ad duas naturas affirmandas devenerunt, iis ille restitit, eorum dicta confutans. Relatione ea de re ad imperatorem missa, hic eum arcessivit, sed gratiam quae ipsi inerat superare non potuit; tumque ille discessit, imperatrici maledicens, quae brevi post mortua est. Rebelles ei obsistebant et, epistulis ad *diversarum* regionum incolas datis, populum ab eo audiendo dehortabantur; quibus tamen populus non obsecutus est. Convenerunt autem duo virorum milia, quibuscum aderat episcopus, et ei in via insidias struxerunt, ut eum occiderent: cum enim eum,

[1] Vel: singulis hebdomadis. — [2] B et C: in civitate. — [3] B et C: odio in eum concepto.

misso nuntio, invitassent ut secum in ecclesiam veniret, venissetque, et ipsi cum illo medio in itinere versarentur, lapides in eum coniecerunt; at factum est ut lapides in capita proicientium reverterentur, qui recesserunt pudore suffusi. Posthac, ubi voluit Dominus eum e carcere huius mundi eductum, ad eum misit angelum suum, qui eum confortaret ac certiorem faceret translationis ex hoc mundo post quatriduum obventurae. Quare in regiones circumvicinas discipulum suum misit, qui fideles omnes consolatus est; dumque circuit *per regiones* discipulus, ad locum venit ubi caput Iohannis Baptistae *asservabatur*; quod cum lacrimis osculatus, Marciani imperatoris causa precatus est. Tum e capite vox emissa est, dicens: « Ne timueris; ille quippe mortuus est, quia eum Barsuma apud Christum accusavit. » Sanctus vero, benedictione discipulis suis impertita, in pace quievit. Tunc apparuit columna lucis, supra cellae eius ostium stans, quam fideles procul videntes accesserunt et sanctum ad requiem vocatum esse compererunt. Quare, benedictione eius capessita, eum prouti decebat sepelierunt ac tumulo condiderunt.

Ipsius intercessio atque preces nobis adsint. Amen.

Eadem die martyrium passus est sanctus Paulus Syrus. Huius parentes, pâtria Syri et mercaturam exercentes, in urbe Alexandria commorabantur, ubi sancto *puero* donati sunt; dein vero in finibus *urbis* el-'Ešmuneyn habitarunt. Postquam *puer* adulevit, parentes mortui sunt, plurimis divitiis ei relictis. Qui cum audisset fideles ab imperatoribus pro Christi nomine cruciari atque interfici, facultates omnes pauperibus distribuit et *Christum Dominum enixe rogavit ut se ad viam ipsi acceptam p. 259.
dirigeret. Quare Dominus ei, angelo Suriele allegato, praenunciavit tormenta quae pro Christi nomine passurus esset, dixitque *angelus*: « Mihi praecepit Dominus ut tibi adsisterem teque confortarem; noli igitur timere. » Itaque surrexit et, Antinoen ('Anṣinā) veniens, Christum Dominum confessus est coram praefecto, qui iussit vestibus nudatum flagris caedi et lateribus eius igneas apponi lampades; sed is territus non est. Tum obtulit ei imperator divitias plurimas, ut Christum abnegaret. Qui *promittenti* respondit: « Moriendo parentes mei mihi sedecim auri talenta [1] reliquerant, quae Christi causa nihili feci;

[1] Ita interpretor, deficiente alia voce latina, arabicum nomen « qinṭār », (scl. gr. κεντηνάρια).

quomodo igitur divitias tuas magni facerem? » Idcirco praecepit ille ut verubus igneis candefactis aures eius et os urerentur; sed misit Dominus angelum Surielem, qui corpus eius contingendo sanum restituit. Tum in eum immissi sunt serpentes venenati, qui eum non tetigerunt, linguamque eius iubente praefecto praecisam Dominus sanavit. Migrans dein praefectus Alexandriam illum secum assumpsit; cui naviganti apparuit Christus Dominus, eum consolans atque confortans. Amicum autem habebat sanctus Abbā Isiam ('Isī), Theclae fratrem, eique praenunciavit Dominus ipsius corpus cum utriusque corporibus, itemque animam cum animabus futuram. Porro illi duo patres sancti [1] Alexandriae erant, carcere clausi; et, sancto Paulo ad eos adducto eosque salutante, exsultavit anima eorum; verum praefectus, Antinoen [2] iterum rediens, sancti caput in ripa fluminis abscidit. *Mortui* corpus quidam fideles abstulerunt et sepultum secum domum asportarunt.

Benedictio quae illorum omnium precibus inest, nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies decimus.

Hodie martyrium passus est sanctus discipulus et apostolus Iacobus, Alphaei filius. Haec autem martyrii eius narratio.

Discipulus benedictus, postquam evangelium ipse in multis regionibus nunciavit, Hierosolymam reversus templumque Iudaeorum ingressus, fidem in Christum Dominum et in mortuorum resurrectionem palam praedicavit. Quem arripuerunt Iudaei et, sanguini eius inhiantes, apprehensum adduxerunt ad
p. 260. Claudium ('Aklūdīs) [3] regem, qui *imperatoris romani vicem obtinebat, eique dixerunt: « Iste nobis regem alium praeter Caesarem annunciat. » Ea re audita, ille iussit *Iacobum* lapidibus obrui. Qui, ab universis cito lapidatus, in pace quievit. Eum fideles quidam acceperunt et prope templum sepelierunt.

Ipsius intercessio nobis in aeternum adsit. Amen.

Eadem die martyrium passus est sanctus Iustus (Yusṭos). Is erat filius Numerii imperatoris; et cum factum esset ut, ipso bellum *peregre* gerente, soror eius Diocletiano nuberet et

[1] Abba Isias et Thecla; C omittit « patres » appellationem. — [2] Urbis nomen unus cod. C suppeditat. — [3] B et C: 'Aklūdyūs.

hunc constitueret imperatorem, cumque Iustus domum reversus videret ab imperatore abnegatum esse Christum Dominum, rem agerrime tulit. Quod videntes regionis cives ipsum convenerunt, dicentes: « Diocletianum imperatorem occidemus, et solio tuo patris tui loco potieris. » At illos ab eiusmodi facto prohibuit, et, regnum caeleste terreno regno anteponens, imperatorem adiit Christumque coram eo confessus est. Cui imperator: « Quisnam te, vir amplissime Iuste, adegit ut hoc invitus faceres? » Imperator quippe eum valde timebat. Respondit ei Iustus: « Testor Dominum sempervivum Iesum Christum, me, nisi *damnationis* sententiam in me subscripseris, huius urbis cives adversus te concitaturum et te e solio deturbaturum. » A quo perterritus ille sententiam subscripsit in eum, itemque in filium eius Abalium ('Abālī) et Theocliam (Tāwoklyah) uxorem; tum eum in Aegypti regionem ablegavit, praefectoque Alexandriae praescripsit ut eum blandissime alloqueretur, cor eiusdem affligeret, experturus num forte hortanti assentiretur, utque, nisi assentiretur, ipsum a filio et uxore seiungeret. Ubi igitur, famulorum quibusdam comitantibus, in Aegypti fines pervenit, simul reddita imperatoris epistula, eum reveritus praefectus Alexandriae coepit blande alloqui; sed morem suadenti gerere nolentem in Aegyptum Superiorem, Abalium in *urbem* Bastam (Basṭah) et Theocliam in *urbem* Sa (Ṣā') misit, adiuncto singulis uno ex servis illius, ut, si quis cursum consummavisset, adesset qui corpus curaret. Et sanctus quidem Iustus cursum suum pulchre complevit, gladii acie in urbe Antinoe occisus atque immarcescibilem martyrii coronam in regno perpetuo consecutus.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die ad requiem vocatus est pater sanctus, asceta doctus et orbis doctor, Isidorus Pharmiensis ('Isīdārūs' el-Farmī) [1]. Parentes habuit hic sanctus ex Aegypti ditissimis atque illustrissimis, ac propinquitate iunctus fuit *duobus sanctis Alexandriae p. 261.
patriarchis Anbā Theophilo et Anbā Cyrillo. Eum parentes, quorum ipse proles unica, omni cultu corporeo atque spiritali excoluerunt et Ecclesiae libros edocuerunt, quos memoriae perfecte mandavit. Dein scientias graecas et religiosas [2] addidicit,

[1] E: 'Isīdīrūs el-Farmāwī. — [2] Ita ex B; A: et alias quascumque (?).

earumque peritissimus, in illo disciplinarum genere multis antecelluit. Erat tamen asceta humilis, et, cum rescivisset regionum incolis atque episcopis in animo esse ut se apprehenderent et sedis alexandrinae constituerent patriarcham, noctu aufugiens, el-Farmā petiit et ibi, in quodam montis coenobio, vitam monasticam amplexus est. Posthac inde in speluncam parvam migravit, ubi, annos complures solus commorans, diversa conscripsit opera, quorum pleraque de principibus et regibus, ac de interpretatione multorum cum Veteris tum Novi Foederis librorum. Et sane in quadam Vitarum farragine relatum est, numerum quaestionum quae illi propositae fuerint et quas a se pertractatas ad patriarchas, episcopos et cuiusvis generis homines miserit, octodecim libellorum milibus haud minorem esse. In eum Spiritus sanctus effundebatur ut effunduntur aquae fluentes. Et postquam huic agendi rationi et recto vitae tenori addictus degit, senectutem honestam ac Deo gratam assecutus, ad Dominum migravit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria sancti Philonis (Fīlū), episcopi Persidis, qui, ne cultum igni ac soli adorationem adhiberet, martyrium a Persarum rege passus est. Is, acerbis affectus cruciatibus ac postremo gladii acie interemptus, martyrii coronam in regno consecutus est.

Ipsius precum benedictio nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies undecimus.

Hodie martyrium passus est sanctus et illustris pater Balātiānūs [1], papa Romae. Hic pater, qui vir doctus et bonus erat ac strenue decertans, constitutus urbis Romae patriarcha,
p. 262. hanc sedem *annos duodecim in pace et tranquillitate tenuit, populum ad egregiam pietatem exhortans ac fidei veritates edocens. Ubi vero dux Decius, impetu facto in Philippum imperatorem eoque interfecto, solio post eum potitus est, afflictionem gravem et persecutionem violentam in fideles impius ille excitavit, ac multos martyrio affecit. Ab hoc aufugerunt septem adulescentes, cognomine « viri cavernae » famosi.

[1] D: Malānyānūs; E: Balāryūs.

Magnum autem in media urbe Epheso te... ubi idola posuit, his victimas immolans et neci tradens omnes quotquot iisdem non immolarent. Qui, cum certior fa... voluntatem suam ab hoc sancto neglegi et fideles d... oboedientia sibi praestanda, misit qui eu... Ephesum arcesseret, arcessitum hortatus est ut idolis immolaret, idque facere renuentem, imo praecipienti atque idolis illudentem acerbis cruciatibus per unius anni spatium affecit et denique gladio interfecit, coronam gloriae a Domino nostro Iesu Christo consecuturum.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies duodecimus.

Hodie ad requiem admissus est pater asceta et athleta ... lasius (Ġalābisūs) [1]. Is, parentibus in Christum credentibus natus, qui eum scientiam ecclesiasticam docuerunt et diaconum ordinarunt, huic mundo a teneris valedixit, iugum Christi portandum suscepit et praeceptis eius adimplendis strenuam dedit operam. Dein ad presbyteratus gradum promotus est et monachis deserti praefectus. Ei autem vitae asceticae ac religionis officiis perfecte fungenti apparuit angelus Domini, quemadmodum sancto Anbā Pachomio apparuit, praecepitque ut monachorum gentem congregaret. Qui, angeli iussis oboediens, monachos congregavit, communitatem spiritalem instruxit, eosque modo divino rexit, inter eosdem conversans non ut unus eorum, sed ut illorum servus ac minimus. Ad eum abnegationis atque mansuetudinis gradum pervenerat hic pat... ut *hoc ei evenerit: describendum curaverat codicem magn... quo omnes Antiqui et Novi Testamenti libros complexus e... et in quem describendum octodecim impenderat denarios... eundem media in ecclesia posuerat, ut quicumque mona... vellet, illum legeret et utilitatem ex eo caperet. F... gressus vir extraneus senis invisendi causa, viso codice, ... admiratus est ac discedens surripuit. Dein, in urbem ingressus, eum venalem proposuit. Quem apprehendit quidam, pretium percontaturus; et pretium poposcit ille denarios sede...

[1] B, C et E: Ġalāsyūs.

sumptum qui emere cupiebat attulit ad patrem Gelasium, qui de libro oculis obiecto pronunciaret utrum bonus esset et eius pretium ei cuius intererat definiret. Eum postquam vidit pater, afferentem interrogavit: « Quanti venalis tibi *codex* a venditore proponitur? » Cumque respondisset alter: « Sedecim denariis », subiunxit, « Illum eme; bonus enim est, et pretium modicum. » Codicem igitur assumens vir domum rediit. Illi autem *furi*, venienti ut pretium exigeret, non ea ipsa exposuit quae pater protulerat, sed dixit: « Codicem patri Gelasio exhibui, qui pronuntiavit pretium nimium esse. » Interrogavit frater: « Nonne quidquam aliud tibi dixit senex? » At ille: « Nihil. » Tum prior: « Eum nolo vendere. » Et, facti paenitens, assumptum codicem ad seniorem retulit, atque, lacrimis ante eum profusis, rogavit ut illum reciperet sibique condonaret. Qui *petenti* condonavit, sed dixit: « Eum recipere nolo; ipsum serva tu. » Respondit ei frater: « Eum non diutius servabo. » At senex: « Neque ego, inquit, eum receptum volo. » Tum frater: « Nisi eum receperis, pater, mihi nunquam quies erit et tranquillitas. » *Ita* nonnisi operose a fratre obsecrante et ante pedes suos prostrato eo adductus est senior ut codicem reciperet. Nec quisquam rem hanc novit.

Dignus fuit hic pater cui Deus gratiam prodigiorum ac miraculorum patrandorum largiretur. Quadam die, piscem ad monasterium allatum coquus frixit; quo in cellario posito et cuiusdam adulescentis custodiae commisso, abiit, officiis suis vacaturus. Magnam vero illius partem comedit adulescens; et coquus reversus, postquam eum aliquid comedisse comperit, ei iratus est, dixitque: « Quare comedis ante comestionis tempus et priusquam seniores alimentis benedixerint? » Tum a Satana instigante furore incensus, illum ita pede percussit ut in terram ceciderit mortuus. Quem mortuum videns, obstupuit, et seniorem adiens rei certiorem fecit. Tunc senior: « Eum tolle et ante altare reclina. » Abiit ille et ea fecit quae facere a seniore iussus fuerat. Dein venientes senior et monachi ad ecclesiam, orationem occasus solis persolverunt, atque, oratione
p. 264. absoluta, seniorem egredientem *adulescens surgens secutus est; neque rem quisquam monachorum noverat, praecepitque senior coquo ne factum ulli monachorum nisi se mortuo revelaret. Postquam autem senior omni virtutum genere se insi-

gnivit, hora adveniente qua eum Dominus solaretur, ex hoc mundo migravit, memoriam hanc bonam post se relinquens.

Ipsius preces nobis adsint nosque ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

Mensis 'Amšīr dies decimus tertius.

Hodie martyrium passus est sanctus Sergius, qui ex *urbe* Atrib *oriundus erat,* et cum eo pater eius, mater, aliique plurimi. Erat hic sanctus parentum bonorum filius. Nomen patris Theodorus, et nomen matris Maria (Māryah). Qui, postquam aetatem viginti annorum attigit, desiderio pro Christi nomine moriendi cor invadente, praefectum Cyprianum adiens, Christum confessus est. Praecepit ille ut torqueretur, et acerbis affectus est cruciatibus atque in carcerem coniectus. At iubente Christo Domino, ipsius anima, in caelum sublata, sedes sanctorum vidit et solatio donata est; plagas autem *corporis* eius sanavit Dominus.

Certamine eius cognito, presbyter cui nomen Anbā Mānāṣūn et duo diaconi, surgentes, praefectum in *urbem* Atrib convenerunt et Christi Domini nomen coram eo confessi sunt. Istius iussu multis verberibus caesi sunt, turbis eos circumstantibus et presbyteri illius sortem complorantibus. Qui itaque, facie ad eos conversa, eosdem excitavit atque adhortatus est ut in fide Christi perseverarent; tum aquae benedixit, qua eos aspersit, et illi, Spiritu sancto in se immisso, Christum confessi sunt atque, capitibus acie gladii abscissis, vitae adepti sunt coronam. Dein praecepit praefectus ut presbyter in balnei hypocaustum deiceretur, Domino tamen eum e fornace salvum praestante; eidemque apparens Domini angelus, praedixit eum martyrio pro Christi nomine ter affectum iri; atque eum ex hypocausto eduxit angelus Domini. Dehinc misit eum praefectus Alexandriam, ubi martyrium subiit et certamen consummavit.

Quod vero ad sanctum Sergium attinet, hunc Cyprianus ad se adduci iussum cruciavit *et adhibito tribulo ita con- p. 265. culcavit ut in varias frangeret partes; verum Dominus eum suscitavit. Dein idolum adorandum ei exhibuerunt; quod ille pede percutiens in terram proiecit et confregit. Hoc cum vidisset Cyprianus, in Christum credidit, dicens: « Deus qui

se ipse salvare nequit, quomodo alios salvos praestabit? » At vero 'Auhyūs, dux exercitus, et ipse ad sanctum torquendum aggressus, praescripsit ut, pelle ei detracta, aceto et sale perfricaretur; sed Dominus ei robur et gratiam contulit. Mater autem eius et soror, cum quae ad eum pertinebant audissent, ipsum adierunt ac, postquam viderunt, comploraruut; et soror quidem, prae maeroris vehementia, animam exhalavit; sed, sancto orante ac Dominum deprecante, viva statim surrexit. Porro illum convenit sanctus Iulianus [1] Acfahsensis (el-'Aqfahaṣi), « Vitarum martyrum » conscriptor [2], qui, vitam eius percontatus, promisit se de corpore curam acturum idemque sepulturum. Postea iussit Auhyius *Sergium* equuleo comprimi, lampades ardentes auribus eius adhiberi, ungues evelli, lapidem collo appendi, tum corpus lecto ferreo imponi et flammam subici. Quae in eo facta sunt, Christo Domino ipsum confortante et vulnera eius sanante. Ubi vero res duci exercitus fastidio fuit, praecepit is ut illius sententia subscriberetur et caput abscinderetur. Quod audiens *sanctus* gavisus est et nuntio misso patrem suum, matrem sororemque certiores fecit; atque propinqui omnes, egressi ut eum viderent, repererunt ductum *a satellitibus,* camo ori eius imposito, ad decollationis locum, et praefectum huiusque idola convitiis prosciderunt. Qui iussit eos capite una cum sancto truncari, et universi, capitibus abscissis, coronam vitae sunt adepti. Fuit autem in multitudine puerulus qui, oculis eius a Domino apertis, vidit sanctorum animas in altum angelis ducibus conscendentes, et voce altissima clamavit: « O Domine mi, Iesu Christe, miserere mei. » Cuius parentes, cum timerent ne ipsos praefectus, illo audito, eius causa pessumdaret, os eius obturare conabantur, illo tamen multum clamante et Christi auxilium invocante; ac postremo *puerulus,* iis supra se decumbentibus, idem facere non desiit donec, suffocatus, spiritu emisso, coronam vitae consecutus ipsiusque anima ab angelis suscepta est.

Universorum preces nobis adsint. Amen.

p. 266. *Eadem die, Alexandriae, ad requiem vocatus est sanctus Timotheus [3]. Hic athleta certamen pro fide orthodoxa sustinuit,

[1] B: Yūlyūs; C: Yūlyās. — [2] Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, p. 56. — [3] Cod. C haec addit: « Hic pater, e populo Alexandriae oriundus, egregius fuit, doctus, pro fide orthodoxa fortiter dimicans; et postquam

et, *eodem tempore*, pater Severus Constantinopoli in Aegypti fines traiecerat, atque e monasterio in monasterium et e loco in locum migrabat, per diversas commorans partes ac fideles cum patre Timotheo confortans. Huius patris *Timothei* aetate quidam apparuerunt, ex *urbe* Constantinopoli oriundi. [illegible] Eutychis, qui propria phantasia deceptus, Salvatoris [illegible] negavit [1]. Quos anathematizavit pater et expulit, una cum iis qui ipsorum sententiae adhaererent. Postquam sedem annos decem et septem tenuit, in pace quievit.

Huius patris preces nobis adsint. Amen.

MENSIS 'AMŠĪR DIES DECIMUS QUARTUS.

Hodie ad requiem admissus est pater Anbā Severus, Antiochiae patriarcha, fidelium magister. Huic sancto, qui genus ducebat a Romanis, avus fuit episcopus, qui et ipse Severus appellabatur, qui concilio ephesino interfuerat, et cui in visione aliquis apparuit, dicens: « Filio tuo nascetur puer qui fidem orthodoxam tuebitur et tuo vocabitur nomine. » Postquam, episcopo illo defuncto, filius eius hoc sancto donatus est, ei nomen indidit Severum. Didicit autem puer sapientiam profanam et subinde sapientiam ecclesiasticam. Cui quondam ex urbe sua egredienti eremita, cella extra urbem inclusus, sic acclamavit: « Advenientem te gestientes ovantesque excipimus, o Severe, orthodoxiae magister et Antiochiae patriarcha. » Miratusque est Severus quomodo se ille, cui antea nullo modo notus erat, proprio compellaret nomine et ea praesignaret quae sibi eventura essent. Postea sanctus in virtute profecit, celebris evasit, et, vitam monasticam in monasterio sancti Romani (Rūmānyūs) amplexus, sese eximia pietate et ascesi severa praeditum praebuit, * eiusque fama late percrebuit, iuxta illud p. 267.

ad sedem patriarchalem promotus est, molestiis fuit obnoxius ac certamen sustinuit. Mortuo namque Anastasio imperatori Iustinus (Yūsṭyānūs) successerat, qui fideles persecutus est et misso nuntio patrem Timotheum cum episcopis eius arcessivit, eumque magno in honore habuit, ut in suam sententiam pertraheret. Concilium etiam coegit; sed huic pater Severus non interfuit, neque obsequiorum illius rationem habuit. Unde eum imperator annos complures vexavit, donec ... ». — [1] Unde « phantasiastarum » appellatio.

Evangelii effatum [1]: « Non absconditur civitas supra montem posita. »

Patriarcha autem Antiochiae defuncto, consenserunt omnes episcopi docti de patre Severo eligendo. Quem invitum apprehenderunt et patriarcham sedi antiochenae consecrarunt praefeceruntque, atque Ecclesia per universum orbem doctrina et regimine eius collustrata est, siquidem lucubrationes eius ad *fidei* adversarios in omnes regiones perveniebant eosque gladii ancipitis instar caedebant. Brevi post mortuus est imperator, cui successit imperator alius, nomine Iustinus (Iūsṭyānūs), sententiae concilii chalcedonensis addictus; imperatrix tamen, quae Theodora appellabatur, orthodoxa erat. Imperator, qui doctrinis patris Severi adversabatur, eum arcessivit eique honorem exhibuit; tum, quoniam ille sibi non consentiebat, se ira vehementi percitum praebuit, existimans fore ut perterritum in suam pertraheret sententiam; sed cum nec sic eum sibi consentientem haberet, cogitavit de eo occidendo. Cuius propositi conscia, imperatrix pia sancto persuasit ut e conspectu illius aufugeret. Quare clam discessit *Severus*; neque enim voluit Deus ut morti tunc temporis traderetur, sed eum in multorum, imprimisque regionis Aegypti, ubi invaluerant doctrinae perversae, utilitatem servavit. Veniens igitur in Aegypti fines, tractus *diversos* et monasteria, monachi habitu indutus, perlustravit, fideles corroborans. Commoratus est in urbe Saḫā, apud principem christianum cui nomen Timotheus, et signa multa atque prodigia mira patrabat, assiduam impendens operam populo edocendo et in fide orthodoxa confirmando, donec, in *eadem* urbe Saḫā, ad quietem vocatus est. Cuius corpus postea ad coenobium Vitri (ez-Zuǵāǵ) translatum.

Ipsius precum benedictio nobis adsit. Amen.

Eadem die, ad quietem admissus est sanctus Iacobus, papa Alexandriae. Hic fuit vir sanctus et purus, et cum populum optime rexisset, in pace a Domino concessa quievit. Amen.

Eadem die, ad quietem admissus est Anbā Iacobus, Alexandriae papa. Is fuit presbyter in ecclesia sancti Abū Macarii (Maqār), et postquam desertum vastatum est, Aegyptum superiorem petens, in monasterio commoratus est,
p. 268. *seque virtutibus multis et manifestationibus divinis insignem praebuit. Cui,

[1] MATTH., V, 14.

nocte quadam, conspiciendam se praebuit domina Mater Dei, praecipiens ut ad desertum reverteretur, praemonuitque ipsum patriarcham fore, et ab haereticis cavere iussit. Cum ad monasterium venisset, ei apparuit sanctus Macarius (Maqāryūs) praenunciavitque ipsum patriarcham futurum; et quadam nocte, visione didicit Anbā Marcum patriarcham iis diebus e vita cessurum. Revera aegrotavit Anbā Marcus, qui episcopos ad se convenientes sibique praesentes admonuit Iacobum patriarcham post se futurum et Ecclesiam ab eo illustratum iri. Postquam igitur ad quietem translatus est, inter patres convenit ut Iacobus eligeretur. Cui propter electionem suam lacrimas fundenti Dominus noctu se praesentem exhibuit, promisitque se ipsi adfuturum. Et cum consecraretur. Evangelio capiti eius imposito, monachus senex et sanctus, qui inter sacerdotes aderat, Christum glorificavit, dicens: « Vidi equidem duos patriarchas grandaevos et veste splendenti indutos, Evangelii librum hinc et inde tenentes, qui aspectu duobus patribus Severo et Dioscoro similes erant »; audivitque *idem monachus* angelos patrem *Iacobum* collaudantes et duobus aliis patribus *memoratis* coaequantes. Initio patriarchatus sui, conciones habuit quibus in aperto posuit errorem eorum qui duas Christi naturas vel separant, vel confundunt; postea de eadem re libellos complures conscripsit.

Per manum huius patris plurima Deus miracula patravit: quo in genere haec fuerunt. Eum quidam sacerdotum alexandrinorum iniuste accusavit, et ab eo postulavit quod ille praestare nequibat. Cui itaque pater *Iacobus* dixit: « Ecclesiae limen non iam pedibus incedens intrabis. » Qui, domum reversus, in gravem febrim incidit et ea ipsa die mortuus est. Puer quidam, genere christianus, obiit, filius unicus parentibus suis, iisque admodum carus. A patre igitur arcessitus et ut sibi auxilio esset rogatus, *patriarcha puerum* amplexus est et signo crucis pectus eius, cor et frontem signavit, Christumque dein pro eo oravit; tum redivivum patri reddidit, dicens: « Dormiebat filius tuus. » Alias ad eum adductus est daemoniacus surdus et mutus; qui ab eo ita sanatus est ut loqueretur, audiret atque intellegeret. Illum grex universus atque haeretici reveriti sunt, et, cum pro certo haberent verbum eius efficax esse *ac verum*, ab iniquitate et erroribus

suis recesserunt. Assiduus erat in docendo et in admonendo, peccatores reprehendens atque deterrens. In more huius patris positum erat ut festum celebraret universorum patrum patriarcharum qui ante se obierant, a Marco apostolo usque ad Marcum, decessorem suum proximum; ac die anniversario mortis eorum, eleemosynas largiebatur et sacrum peragebat sacrificium. Ubi mors eius appropinquavit, paulisper aegrotavit, et vidit Christum, angelos, itemque duos sanctos Severum et Dioscorum, quibus acclamans: « Equidem, inquit, duobus patribus meis laetus occurro »; dein subiunxit: « A me mundus totus dissolvitur », et in pace quievit. Sedem tenuerat annos septem et *aliquot anni* partes.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

p. 269. *Mensis 'Amšīr dies decimus quintus.

Hodie ad requiem admissus est propheta magnus, sanctus Zacharias, unus ex duodecim *prophetis* minoribus. Erat is ex tribu Levi oriundus, et nomen patris Barachias (Barāšyā). In terra Galaad natus, ad regionem Chaldaeorum abductus est captivus. Ibi dum versatur, charismate divino in se effuso vaticinatus est, et eius lingua Deus edidit oracula multa, vera et utilia. Dixit nimirum Iosedecho (Yūṣādāq): « Filium gignes qui Domino in *urbe* Hierosolymis sacerdotio fungetur »; et quidem suscepit ille Iesum (Yašūʿ) filium, qui templum Hierosolymis post captivitatem aedificavit et sacerdotio inibi functus est. Salathieli vaticinia edidit *Zacharias*, eique benedicens: « Filium, inquit, gignes qui Zorobabel vocabitur »; et illi natus est Zorobabel, ipse idem qui templum hierosolymitanum cum Iesu sacerdote exstruxit. Item vaticinia edidit Zacharias Cyro, Persarum regi, cui victoriae signa ostendit. Item vaticinatus est de Domino Hierosolyma ingressuro, insidente asinae et pullo, asinae filio; vaticinatus est de triginta argenteis quos accepit Iudas, Salvatoris ab ipso traditi pretium; vaticinatus est de discipulis crucifixionis nocte dispergendis; vaticinatus est de tenebris quae die crucifixionis offusae sunt et de luce quae illas subsecuta est; vaticinatus est de glorioso Domini adventu et de tristitia filiorum Israel qui in eum non crediderint; unde dixit[1]: « Aspicient quem transfixerint, et

[1] Zach., xii, 10, 11.

plangent eum quemadmodum filium unicum plangunt, et erit planctus magnus in Ierusalem. » De aliis quoque rebus plurimis vaticinatus est. Cum in pace quievisset, Hierosolymis, iuxta Aggaeum prophetam, in prophetarum sepulcreto sepultus est.

Ipsius precum benedictio nobis adsit nosque custodiat. Amen.

Eadem die, memoria et consecratio ecclesiae sanctorum quadraginta martyrum, qui Sebastiae martyrium passi sunt; eaque ecclesia prima est quae illorum nomini dicata fuerit. Eam consecravit sanctus Basilius Magnus, qui ea die de illis *martyribus* egregiam habuit laudationem et sollemne eorum festum celebravit.

Ipsorum intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria sancti ascetae, devoti ac paenitentis, Anbā Paphnutii (Bafnūtyūs). Hic pater vitam monasticam a teneris amplexus erat et omnes asceseos virtutes magno zelo exercuerat. Quem, postquam vitae perfectae gradum *asse- p. 270.
cutus est, Deus — qui exaltetur! — impulit ut, in interiorem deserti partem ingressus, disquisitionem institueret de vitis sanctorum eremitarum easque in eorum utilitatem qui fructum inde capere vellent conscriberet. Et, Deo praecipienti obsequens, in deserta arida penetravit, eaque circuiens quemadmodum civitates circumeunt, eremitas multos invenit, a quibus ipsorum facta percontatus, eorundem vitas conscripsit. Ex illorum autem numero fuerunt sanctus Timotheus eremita et sanctus Abū Nafar[1]. Primo tempore quo desertum ingressus erat, graves famis molestias expertus est, et ab angelo Domini ipsi apparente confortatus, dies quattuor absque ullo cibo transegit. Postea iterum esuriit et prope a morte abfuit; sed angelo Domini ipsi denuo apparente et corpus atque os ungente, dies septemdecim cuiusvis alimenti expers exegit. De eremitis narrationes stupendas mirasque retulit hic sanctus, eos nimirum per annorum sexaginta et amplius spatium cuiusvis hominis conspectu caruisse; multa eos primis quibus desertum incolebant temporibus perpessos esse, ut naturae obsisterent et spiritus malignos debellarent; daemones postremo iis subditos fuisse ac sub eorundem pedibus incurvatos; feras item leonesque iis famulatos fuisse et iubentibus oboedivisse haud secus ac servus hero oboedit. Narravit etiam *Paphnutius*

[1] B: Abū Nafarū; C: Abū Nafaryūs.

illos *eremitas* cum sabbato, tum die dominica sacra communione refectos fuisse ab angelo, qui iis sacrum corpus et sanguinem purum afferret et paradisi fructus largiretur. Dignus fuit hic pater qui res prodigiosas videret audiretque, ac dein in pace quievit.

Precum ipsius benedictio nobis adsit nosque in aeternum custodiat. Amen.

MENSIS 'AMŠĪR DIES DECIMUS SEXTUS.

Hodie ad requiem admissa est iusta atque pura Elisabeth, Iohannis Baptistae mater. Haec sancta ex urbe Hierosolymis *oriunda* erat. Nomen matris eius Sophia, et nomen patris Mathat; isque filius fuit Levi, filii Melchi, ex familia Aaronis et ex tribu Levi. Genere Elisabeth consobrina erat celsissimae Dei nostri in corpore Genitricis. Mathat enim, filius Levi, tres filias genuit; harum natu maxima, nomine Maria, mater fuit Salome, quae divae Virgini in mirabili huius partu auxiliata
p. 271. est; secunda, quae Sophia appellabatur, mater fuit *sanctae Elisabeth; minimae natu nomen fuit Anna, et haec dominam Mariam in lucem edidit. Erant igitur Salome, Elisabeth et diva Virgo consobrinae. Porro hanc *mulierem* integram, *Elisabeth*, Zacharias sacerdos uxorem duxit, et ambo, sancto Evangelio teste, iusti erant et puri, in omnibus Domini praeceptis incedentes inculpati. Etsi haec sancta *mulier* sterilitate laborabat, nihilominus, propter ipsius maritique in Deo deprecando constantiam, sancto Iohanne Baptista divinitus donati sunt; verum ab iis cito exaudiendis Deus — qui exaltetur! — varias ob causas abstinuit: et primum quidem ut manifestaretur eorum in Deum amor et firma in eundem fides, siquidem, cum hic ipsorum petitioni non statim annueret, neque dubitarunt neque fastidio cesserunt, sed in oratione perseverarunt; dein ut, postquam aetate iam provecti et obsistente licet sterilitate filium procrearunt, virtutis divinae conscii fierent; tertio, ut adimpleretur tempus quo celsissima Domina aeternum Dei Verbum conceptura erat et quo Iohannes, matris utero adhuc clausus, exsultaturus erat et Christum adoraturus, prout illius mater testata est [1], infantem nempe in utero suo exsultavisse, alma

[1] Luc., I, 41.

Virgine ad se ingrediente. Postquam itaque senuit Elisabeth itemque senuit Zacharias, misit Deus angelum suum Gabrielem, qui patri Iohannem praenunciavit et quae huic obventura essent revelavit. Unde concepit peperitque sancta *mater filium* sanctum, Iohannem, prophetam fausti nuntii latorem ac baptizatorem, atque sic cor matris gaudio repletum est, opprobriumque ab eiusdem consanguineis [1] depulsum. Dein vidit *Elisabeth* Dominum Salvatorem, huiusque divinitatem confessa, gavisa est fidelium salute ex ipso oritura. Postea in munditia, puritate et castitate vixit, quemadmodum antea degerat, et in pace quievit.

Precum ipsius benedictio nobis adsit. Amen.

MENSIS 'AMŠĪR DIES DECIMUS SEPTIMUS.

Hodie martyrium subiit sanctus Mīnā monachus. Hic sanctus, ex finibus *urbis* Aḫmīm oriundus, filius parentum christianorum, qui agricultura victitabant, cum desiderio mundo valedicendi flagraret, in uno ex monasteriis aḫmimensibus monachus factus, ibi aliquandiu mansit, singulis biduis *integris* ieiunans, ascesimque in cibo et potu exercens. Dein ad regionem el-'Ešmūnayn migravit, ubi annos sedecim in coenobio habitavit, extra huius portam nunquam egressus. Cum autem, Arabibus regione potitis, audisset quae de eis enarrabantur, ab iis nempe negari Deo Patri esse Filium *proprium, ex p. 272.
ipsius substantia, ipsique aeternitate aequalem, istam doctrinam graviter ferens, benedictione abbatis coenobii accepta, ad [2] *urbem* el-'Ešmūnayn profectus, ducem exercitus illorum adivit, eumque interrogavit: « Verumne est a vobis negari Deo Filium esse ex ipsius natura atque substantia? » Respondit ille: « Utique eiusmodi de Deo affirmationem respuimus, illaque nos immunes profitemur. » Cui sanctus: « Tum demum necesse esset illam respuere, si Filius diceretur divisione et carnali propagatione ortus; verum hic Filius lumen est de lumine, Deus de Deo. » At ille: « Ista, o monache, ex lege nostra impia sunt. » Institit iterum sanctus, exponens quae in Evangelio dicuntur [3], eum nempe qui in Filium crediderit habere vitam aeternam, eum vero qui Filio non oboedierit vita

[1] C: ab ea inter consanguineos. — [2] B, forsan rectius: ex. — [3] Ioh., III, 36.

non donatum iri, sed iram Dei in ipsum impendere. Quare furore vehementi percitus dux iussit eum gladiis discerpi; et gladiis in fragmenta discissus est atque in mare proiectus. Collectum fideles rite sepelierunt, eiusque memoriam die huic respondente celebrarunt.

Precum ipsius benedictio nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies decimus octavus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus confessor Meletianus (Malātyānus) [1], urbis Antiochiae patriarcha. Hic sanctus urbis Antiochiae patriarcha electus est imperium regente Constantio [2] imperatore, Constantini Magni filio. Vir erat virtutibus praeditus, doctus, mansuetus, omnibus carus. Ubi autem urbem Antiochiam ingressus est, dies triginta inibi exegit, assiduus in Arii asseclis expellendis atque eiiciendis ex omnibus ecclesiis. Ea re audita, imperator, qui partibus Arii addictus erat, illum missis satellitibus in exsilium exegit. Convenerunt autem Antiochiae primores, episcopi et presbyteri, epistulaque de illo ad imperatorem scripta rogarunt ut *patriarcha* sibi redderetur. Quos veritus imperator nuntio ad exsilii locum misso exsulem reduxit. Cum vero deinceps non desisteret ab Arianis excommunicandis et anathematizandis, neque ab eorum excommunicatione qui iis adstipularentur, cumque illorum errores declararet ac blasphemias manifestas faceret, exponens et praedicans Filium *Dei*, substantiam Patris,
p. 273. huic in essentia et potentia aequalem esse, Arii asseclae, **alia* ad imperatorem data epistula, eum accusarunt atque *imperatoris* animum in eum incitarunt. Quare imperator eum denuo expulit et in regionem priore remotiorem ablegavit. Quo cum advenisset, episcopi et patres qui in exsilium ex omnibus partibus missi erant, rei certiores alii ab aliis facti, ad eum convenerunt; quibuscum commorans, assiduus erat in docendo et in exponendis difficilibus Librorum *sacrorum* locis. *Insuper* e regione illa longinqua ad gregem in dioecesi anthiochena

[1] B, D, E: Balānyūs; F: 'Ablānyūs; C (quae est genuina lectio): Malātyūs. — [2] C: Qosṭanṭīnūs. Cf. quae adnotavimus supra, p. 50. Adverte porro, praeter morem hic, in omnibus codd., excepto C, — Constantium appellari « Qosṭanṭīn ».

degentem, sive ad episcopos, sive ad sacerdotes doctos, pastoris epistulae ventitabant, quibus Trinitatem sanctam praedicabat, fidem inculcabat trecentorum decem et octo Patrum nicaenorum, Ariumque et asseclas anathematizabat. Exsul annos multos permansit, donec in pace quievit. Eum, festo ipsius die, laudavit Iohannes Chrysostomus concione quam in eius honorem habuit et qua insignem eius potestatem exposuit, demonstravitque eum, vitae casibus [1] atque opprobriis propter fidem orthodoxam toleratis, haud inferiorem Apostolis esse.

Precum ipsius benedictio nobis adsit, nosque ad extremum usque halitum custodiat. Amen.

Mensis 'Amšīr dies decimus nonus.

Hodie festum agimus translationis corporis sancti athletae et monachi Martiani (Martyānūs) ab urbe Athenis ad urbem Antiochiam. Post illa nimirum quae sanctum hunc inter et mulierem meretricem intercesserant, quam, dum eum peccati retibus illaqueare conatur, ipse contra ad paenitentiam et vitam monasticam pertraxit, ista relicta, migravit in Mesopotamiam [2], indeque in regiones multas, ac tandem venit in fines urbis Athenarum, ubi, dies paucos commoratus, levi corporis morbo laboravit, quo ad requiem translatus est, ut tibi ad diem vigesimam primam *mensis* bošons exponetur [3]. Ubi autem, temporibus Valerii (Falāryūs), imperatoris impii, sanctus Demetrius electus est sedis antiochenae patriarcha, misit hic sanctus ad urbem Athenas sacerdotes, qui corpus sancti Martiani Antiochiam reverentissime atque honorificentissime attulerunt. Quod exceptum atque arca inclusum sanctus *Demetrius* in ecclesia sua deposuit, festumque eius die huic respondenti, quae est dies adventus illius in civitatem antiochenam, peregit.

Precum ipsius benedictio nobis ad extremum usque halitum adsit. Amen.

[1] Ad litt.: dispersione seu dissipatione. — [2] Ad litt.: Insulam (cum articulo); quo nomine cum aliae quaedam regiones, tum κατ' ἐξοχήν Mesopotamia appellari consuevit. — [3] Cf. huius operis part. alteram.

p. 274. *MENSIS 'AMŠĪR DIES VIGESIMUS.

Hodie ad requiem admissus est sanctus Anbā Petrus, urbis Alexandriae patriarcha, qui post sanctum Athanasium electus fuerat. Huic sancto molestiae multae illatae sunt ab Arii sequacibus. Qui cum eum occidere vellent, ab iis aufugiens, duos annos latuit. In eius locum patriarcham constituerunt virum cui nomen Lucius (Lūkyūs), arianismo addictum, qui biennium remansit. Tunc vero fideles convenientes et Arianos adorti, Lucio ariano expulso, patrem Petrum revocatum in sedem restituerunt, quam annos sex, vexationibus et impugnationibus obnoxius, tenuit. Annis octo exactis, quiete laborum ei a Domino concessa, ad beatitudinem permanentem migravit.

Precum ipsius benedictio nobis ad extremum usque halitum adsit. Amen.

Eadem die, Alexandriae, memoria sanctorum Basilii, Theodosii et Timothei martyrum. Precum ipsorum benedictio nobis adsit. Amen.

MENSIS 'AMŠĪR DIES VIGESIMUS PRIMUS.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Gabriel, papa Alexandriae. Hic sanctus, vitam monasticam a teneris amplexus, multa religionis officia et duras praestitit asceseos exercitationes, humilis et solitudinis amans. Die quadam, ingressus est cellam senioris sancti, cui nomen Maximus, ut huius benedictionem obtineret. Qua concessa, senior egredientem ut proprium repeteret domicilium detinuit dicens: « Cur homines fugis, o fili? Te oportet in medio virorum et feminarum multarum sedere. » Verborum senis sensum pater non intellexit; et iuges fundebat lacrimas, Deum rogans ut se ex inimici fallaciis eriperet. Postquam autem Anbā Michael (Ḫāyīl) mortuus est, patrem hunc invitum apprehenderunt et patriarcham, ut senior praedixerat, constituerunt. Qui, patriarchae munere fungens, nihil remisit de sua ascesi et officiis religionis, atque in deserto perpetuo commorabatur. Quod si causa quaedam necessaria eum adigeret ut vel Alexandriam peteret vel Miṣrum, illuc se celeriter conferens, ad desertum
p. 275. *statim* redibat. *Aetate adhuc iuvenis et concupiscentiam in

se efferventem persentiens, ieiunium adauxit et vigilias, ut illam edomaret; qua tamen non quiescente, rem aperuit quibusdam deserti senioribus, qui ei suaserunt ut, postquam *alia* remedia plurima adhibuerat, humilitatem constanter c[illegible]. Quare, cum sibi conficiendum curasset batillum ferreum, [illegible] surgens et veste vetusta atque obsoleta tectus, latrinas cellas *monachorum* sitas lustrabat, eas emundans, et i[illegible] re facienda per biennum perseveravit, quoad Deus, pur... eius et contritionem cordis respiciens, naturae vexationes ab eo removerit. Hic pater annos undecim remansit religionis officia adimplens, decertans, praedicans et docens.

Precum ipsius benedictio nobis in aeternum adsit. Amen.

Eadem die, ad requiem admissus est pater Anbā Zacharias (Zaḫārīs) [1], episcopus *urbis* Saḫā. Hic pater, ex scribarum genere progenitus, parentem habuit qui, relicto scribae munere, presbyter ordinatus fuerat, et cui nomen Iohannes. Postquam puer adulevit et scientias didicit cum profanas, tum ecclesiasticas, eum assumpsit administer regius et scribam in aedibus huic muneri destinatis constituit. Amicus ei erat inter scribas, nomine Abṭalās [2], *urbi* Saḫā regendae praefectus. Inter utrumque convenit ut monasterium peterent vitamque monasticam profiterentur, et, occurrente quodam monacho ex coenobio sancti Abū Iohannis, pactionem cum eo fecerunt, sese illo duce profecturos. Quod cum rescivissent qui praefecturam exercebant, miserunt qui eos impedirent. Sed paulo post *duobus amicis* in visione quidam apparuit, dicens: « Cur votum a vobis emissum non adimpletis? » Quamobrem, statim surgentes, clam egressi sunt, viae licet inscii. Quibus, Deo providente, praesto adfuit monachus, qui eos ad monasterium Abū Iohannis perduxit. Ea re audita, domus scribarum rectores consilium inierunt ut, sultani litteris acceptis, descenderent, coenobium incensuri; sed eorum propositum Dominus inane reddidit. Vitam autem monasticam amplexi, plurimis religionis officiis se addixerunt *duo amici*, imprimisque sanctus Anbā Zacharias; et cum aequales essent temporum seniorum Anbā Abrahami et Anbā Georgii, hos conveniebant, eorum consilio in omnibus rebus suis usuri. Porro, episcopo urbis Saḫā defuncto, populus, de Anbā Zacharia recordatus, ad

[1] B et E: Zaḫāryūs; C et D: Zaḫāryās. — [2] B: 'Ablāṭos.

patriarcham scripsit, illum sibi deposcens. Quare viris ad desertum missis *, patriarcha eum quamvis reluctantem
p. 276. arcessivit atque urbis Saḥā episcopum consecravit; et dum manus ei imponit pater patriarcha, apparuit virtus a Domino in eum immissa, eiusque vultus fulgore circumfusus est. Adiens dein sedem suam in urbem Saḥā et populo gestienti ac obviam sibi egresso occurrens, eo modo exceptus est quo Salvator noster Iesus Christus, die palmarum; Ecclesiaque ab eo collustrata est. Canones condidit, et commentationes multas, exhortationes atque sermones conscripsit, siquidem facundus erat, omnique gratia ac virtute repletus. Sede annos triginta potitus, in pace quievit.

Precum ipsius benedictio nobis adsit. Amen.

Eadem die, martyrium passus est sanctus Onesimus [1], sacerdos, Pauli apostoli discipulus. Is sanctus erat servus cuiusdam ex urbis Romae civibus, cui nomen Philemon. Ad fidem autem adductus fuerat hic Philemon opera Pauli apostoli, in urbe Roma praedicantis. Posthac Philemon, Roma negotiorum suorum causa discedens, comitem e servorum suorum numero Onesimum assumpserat. Hic sanctus a Satana seductus est, eiusque mens ita devia facta, ut pecuniam ab hero suo Philemone et aliis quoque furaretur. Postquam vero intellexit rem hero suo Philemoni notam, timens ne ab eo apprehensus poenas daret, aufugit, Romam se contulit, Romaeque mansit. Porro contigit benigna Dei voluntate ut Pauli apostoli praedicationi interesset, eaque cor eius moveretur. Credidit igitur opera Pauli et, timore Dei cor eius pervadente, quae fecerat recordatus est, sese nempe bona tum heri tum aliorum furatum, nec quidquam sibi reliquum esse quod posset dominis restituere. Quare tristis apostolum Paulum adiit et rei certiorem fecit. Qui eum bono animo esse iussit, deditque ei epistulam ad herum eius Philemonem, quae una est ex Pauli apostoli epistulis, et qua Philemoni hunc sanctum Onesimum commendabat, simul docens eundem evangelio factum esse Christi discipulum *ipsiusque* Pauli filium, et *herum* exhortans ut, servi misertus, nullas ab eo exigeret poenas culpae quam admiserat, sed *ipsi* apostolo ea quorum iacturam passus esset imputaret. Ubi autem hic sanctus *Onesimus* epistulam hero suo Philemoni reddidit, is, fide ac paenitentia illius gaudens, et quaecumque Paulus de eo praescripserat, praestitit, imo *eum insuper laudavit eique pecuniam assignavit possidendam; quam tamen ille respuit, dicens: « Divitiae mihi, eaeque sufficientes, Christus. » Dein hero valedicens, *Onesimus* Romam rediit et apostolo Paulo usque ad huius martyrium famulatus est. Sacerdotii ordine se dignum praebuit et sacerdos est ordinatus. Eum laudibus celebrarunt discipuli et notarunt eum sacerdotem factum vi duorum canonum, qui sunt septuagesimus septimus [1] e serie octoginta unius *canonum* et quinquagesimus tertius e serie sex et quinquaginta. Eundem, postquam Paulus apostolus martyrium passus est, apprehendit urbis Romae praefectus et in quamdam insulam ablegavit, ubi commoratus est, insulae incolas edocens et baptizans. Sed aliquanto post, veniens praefectus ad illam insulam, eumque reperiens superstitem atque fidem in Christum hominibus inculcantem, illum diris affecit verberibus, dein bina ei crura confregit, quo facto ille ad Dominum migravit.

Precum ipsius benedictio nobis adsit. Amen.

[1] B, D et E: Ūsīmūn; C: Ūnīsīmūn.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus secundus.

Hodie memoria Marunae (Mārūnā [2]) episcopi ac translationis corporum illorum sanctorum qui martyrium in urbe Mīnāfāriqīn [3], temporibus Diocletiani passi sunt. Marunam episcopum, ob dotes eius virtutesque plurimas, Theodosius magnus imperator, Arcadii et Honorii pater, ad regem Persarum miserat legatum ad mutuam amicitiam per munera confirmandam. Quem magno in honore habuit Sapor, rex Persarum, et unum e castellis regni ei domicilium assignavit. Resciens autem ille regi filiam esse quae mente capta erat, eam arcessivit et coram se adstanti orando benedixit. Qua continuo sanata gavisus est rex Sapor, et *episcopo* maiorem adhuc venerationem adhibuit. Ab eo idcirco hic poposcit corpora sanctorum qui in Persarum finibus martyrio affecti erant, iisque sibi a rege traditis ecclesiam superstruxit et circa ecclesiam magnam aedificavit arcem; tum intra arcem urbs condita est cui nomen indiderunt a no-

[1] B, mendose: nonagesimus septimus. — [2] Sic, corruptum nomen, pro Maruṭa. — [3] C, rectius: Myāfāriqīn.

mine sancti Marunae derivatum. Reversus deinde ad imperatorem et in Graecorum (er-Rūm) regionibus annos complures commoratus, *ad requiem vocatus est die illi diei respondente quo ecclesiam *memoratam* consecraverat; unde coeptum est festum *simul* in ipsius et in consecrationis ecclesiae memoriam peragi. — Precum huius patris benedictio nobis in aeternum adsit. Amen.

p. 278.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus tertius.

Hodie martyrium passus est sanctus Eusanius ('Ausānyūs) [1], sancti Basilidis (Uāsīlīdos) veziri filius. Ubi nimirum hic sanctus, bellum cum Persis gerens, a patre misso nuntio certior factus est Diocletianum fidem abnegavisse, convocavit propinquos suos, sanctos palatii *imperatorii* custodes, qui erant Abādīr, Iustus, Claudius ('Aklūdyūs) et Theodorus orientalis, iisque imperatoris factum exposuit. Magna itaque tristitia affecti sunt. Quibus sanctus Eusanius dixit: « Statui equidem sanguinem meum pro Christi nomine profundere »; eique *omnes* sancti ea in re consenserunt et se mutuo obstrinxerunt iuramento. Quo tempore itaque ad urbem Antiochiam victores ac triumphatores reversi sunt, obviam eis processit imperator. Huic posthac persuasit Romanus (Rūmānūs), sancti Victoris pater, ut illos arcesseret eisque idolum exhiberet adorandum. Cum morem consilianti gessisset imperator, ira percitus ac furore in eum Eusanius, stricto gladio, voluit eum interficere, et multos quidem ex imperatoris asseclis interfecit, ac nisi obstitisset Basilides, universi a sanctis neci traditi fuissent. Sed aufugiens imperator sese ab illis abscondit. Ei deinde suasit Romanus ut sanctum Eusanium in Aegypti fines eiceret, ibi occidendum; quod nisi fecerit, illum, quamdiu in urbe manserit, hanc in imperatorem semper concitaturum, cui non licebit quae libuerit in ea peragere. Illum igitur in Aegypti partes ablegans, ea de re scripsit imperator ad Maurianum [2], urbis Copti praefectum, qui eiectum multis affecit tormentis, equuleo adhibito, membris discerptis et aheno candenti confrixis, acerbis verberibus inflictis. Sed Dominus ad eum angelum suum Surielem mittebat, qui martyrem in tormentis confortabat et consolabatur, ac vulnera

[1] C: 'Ausābyūs. — [2] B: Lauryānūs.

eius sanabat. Huius anima dein in paradisum sublata vidensque sanctorum et iustorum sedes ac loca sibi, patri et matri praeparata, magnopere gavisa est. Posthac iussit praefectus *sanctum* in fornacem ardentem extra urbem Alnās conici; sed descendens angelus Domini *flammam ab eo excussit et removit. Quare praefecto suaserunt primores ut sententiam eius subscriberet, atque ille, sacro capite gladii acie abscisso, coronam martyrii in regno caelorum consecutus est.

p. 279.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus quartus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus Agapitus episcopus. Hic sanctus, qui temporibus Diocletiani et Maximiani, imperatorum impiorum, vixit, natus erat parentibus christianis, qui eum Ecclesiae disciplinis erudierunt et diaconum constituerunt. Dein coenobium ingressus, monachis qui in eo habitabant famulatus est, ab iis pietatem atque ascesim didicit, et ieiuniis ac vigiliis assidue se dedere coepit, post *totius* diei ieiunium nonnisi lupini siliqua vescens. Quo tempore somni impugnationem suscepit, octoginta dies cum lupini siliquis cinerem comedit, et huiusmodi ascesim sustinens, viribus tamen proficiebat. Famulabatur coetui monachorum, quos dominos suos appellabat, et omni virtutum genere se praebebat insignem. Per manus eius Deus miracula multa et magna patravit; quo in genere haec fuerunt: puellam infirmam, cui nullum medici remedium adhibere poterant, sanavit; precibus suis serpentem ingentem, qui hominibus nocuerat, occidit; homines et iumenta a gravibus morbis liberavit. Percrebruit fama asceseos eius, virtutum atque roboris corporei. Qua ad se perlata, Licinius praefectus misit qui illum vi ad se adduceret, et militem quamvis invitum conscripsit; neque tamen quidquam remisit de ascesi vel precibus suis, sed virtute in dies crescebat.

Brevi post, cum Deus Diocletianum morte affecisset et regnaret Constantinus pius, quaerebat sanctus occasionem militiam relinquendi. Contigit autem, Christo res ita disponente, ut apud Constantinum imperatorem adesset adulescens, multis egregiisque dotibus praeditus, propter quas eum imperator carum habebat. Eum invasit daemon malignus, a quo dire cruciatus

auxilium implorabat et levamen. Quem videns quidam ex iis qui sanctum noverant, dixit ei: « Si orares ut auxilio tibi sit Agapitus miles, hic te sanaret. » Respondit ille: « Num stipendia merenti inest huiusmodi potestas? » Tum exposuit prior
p. 280. alteri *Agapiti vitam, ostendens huic illam potestatem non deesse. Coepit itaque *aegrotans Agapiti* auxilium implorare.

Rei certior factus imperator iussit Agapitum ad se arcessi. Qui pro adulescente praesens oravit, eumque signo crucis signavit; et Dominus eundem sanavit ac daemonem ab eo expulit. Ea re gavisus imperator sanctum in honore habuit, hortatusque est ut peteret quod sibi fieri vellet. Petiit ille ut immunis militia dimitteretur; et dimissus reversusque ad locum in quo prius fuerat, silentio et solitudini se addixit. Postquam solitudini aliquandiu vacavit, ab episcopo regionis [1] apprehensus et presbyter ordinatus est; mortuo autem regionis episcopo, principem [2] rogaverunt *fideles* ut illum sibi episcopum constitueret. A quo revera constitutus, rationalem Christi gregem optime rexit et, dono prophetiae ornatus, miracula patravit. Omnibus peccatoribus peccata ipsorum occulta exprobrabat et, sacerdotes reprehendens eo quod populi docendi atque exhortandi curam omitterent, eos ab altari removebat quoad paenitentiam agerent. In « Vita » eius legitur, ab eo, dum inter mortales degebat, centum miracula patrata esse, e quorum numero haec sunt: labentes fluminis aquas continuit et cruce sua alio avertit: oculos caeci aperuit; leprosos mundavit et plurimos sanavit aegrotos. In senectute bona atque honesta ad requiem vocatus est.

Ipsius intercessio nobis adsit. Amen.

Eadem die, memoria sancti Timothei, qui martyrium in urbe Gaza passus est. Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, sanctus Matthias martyrium in urbe Cypro passus est. Precum eius benedictio nobis adsit, nosque ad extremum usque halitum et in aeternum custodiat. Amen.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus quintus.

Hodie martyrio affecti sunt sanctus Arsenius [3] et Philemon

[1] Vel: urbis. — [2] Vel: praepositum (qualem?). — [3] A: 'Arsanyūs; B, D et E: 'Arsyūs; C, hic: 'Aršabyūs, et infra: 'Arsībūs.

atque virgo, cui nomen Licia (Likyah). Isti sancti opera Pauli apostoli in Phrygia versantis crediderant; et cum forte infideles Artemidi, quae eadem est cum Venere, festum peragerent, convenientes hi sancti delubrum ingressi sunt, *ut illo- p. 281.
rum spectaculo delectarentur atque eorum impietatem erroremque irriderent. At ubi viderunt homines idolo victimas atque venerationem adhibentes, amore spiritali [1] in ipsorum cordibus exardescente, e delubro egressi et in ecclesiam christianam ingressi, publice exclamarunt: « Gloria Christo Domino, qui *solus* glorificatione dignus est! » Unus adstantium, qui eos noverat et qui loquentes et verba de delubro prolata audierat, eos apud praefectum accusavit. Qui equum *cum comitatu* conscendens, ecclesiam obsedit et, quibusdam fidelibus aufugientibus, *reliquam* illam multitudinem [2] apprehendit, *captivorum* latera calamis ferreis pupugit, dein sanctum Arsenium in foveam deiecit et lapidibus obruit quoad spiritum redderet. Sanctum Philemonem autem et sanctam Liciam variis atque acerbis affecerunt tormentis, in quibus animas exhalarunt, dum hanc ipsam gratiam a Deo petunt; omnesque martyrii coronam adepti sunt. Horum fidei et martyrii memoria in « Vitis discipulorum » inserta legitur.

Universorum preces nobis in aeternum adsint. Amen.

Eadem die, memoria Cunae (Qūnā) diaconi, qui martyrium in urbe Roma subiit, et memoria Minae, martyris, in urbe Cypro. Preces atque intercessio eorum nobis in aeternum adsint. Amen.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus sextus.

Hodie ad requiem admissus est propheta Hūšaʿ, qui et Ozias ('Ūzyā) vocatur. Hic *vir* iustus vaticinia edidit temporibus quinque regum Iuda, quorum haec sunt nomina: Amasias ('Amūṣyā), Ozias ('Ūzyā), Ioatham (Yūtām), Achaz et Ezechias. In vaticiniis eius res mirae atque stupendae memorantur. Israelitas reprehendit, filios adulterarum eos appellans, praemonens Deum illorum non iam miserturum, et exponens, etiamsi multitudo filiorum Israel fuerit sicut arena maris quae numerari non potest, non mansuras eorum reliquias nisi te-

[1] B et C: divino. — [2] B et C: illos, h. e., fugientes.

nues atque exiguas. Praenunciavit gentes in Deum credituras, et ex persona Dei dixit [1]: « Eos qui populus meus non erant vocabo populum meum, ipsique me Deum suum vocabunt. » Praedixit Salvatoris passionem, eius resurrectionem, nostramque salutem coram eo, sic locutus [2]: « Qui nos percussit, ipse sa-
p. 282. nabit nos, et qui nos confregit, *ipse, post biduum, resarciet nos, et tertia die nos suscitabit. Coram eo vivemus, viam nostram cognoscemus et ad scientiam Domini dirigemur. » Prophetiam edidit de aculeo mortis huiusque impetu retundendo, de inferno confringendo, de munitionibus ferreis dirumpendis. Munere prophetico annos circiter septuaginta functus, in senectute bona atque laudabili quievit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eadem die, memoria martyrii sancti Zadoc (Zādūq) et sanctorum qui martyrium cum eo passi sunt, quorum numerus centum viginti octo. Hos adigebat Bahrām, Persarum rex, ad solem adorandum. Cui sanctus Zadoc respondit: « Equidem ab utero matris meae non hunc solem visibilem, sed Creatorem eius adorare didici [3]. » Tum Bahrām: « Num huic soli Deus *creator?* » At ille: « Utique, Christus, Deus noster. » Iussit itaque *rex* caput eius gladii acie abscindi. Et sanctus stans supplices fudit preces, tum sacrum praebuit collum et, dum hoc a carnifice percutitur, luce caelitus demissa resplenduit, quam intuentes qui adstabant conclamarunt: « Omnes nos christiani sumus. » Quare praecepit *rex* ut decollarentur, et ita consummatum est eorum martyrium.

Universorum preces nobis adsint. Amen.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus septimus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus pater Eustathius, (Auasṭatiūs) [4], Antiochiae patriarcha. Hic pater urbi Antiochiae potestate patriarchali praefuit aetate imperatoris pii Constantini Magni, et mundum divinis suis doctrinis impleverat. Quo tempore autem coactum est sacrum concilium nicaenum, fuit hic pater unus ex primoribus concilii et *caeteris* patribus consensit de Ario anathematizando atque excommunicando, deque ex-

[1] Hos., II, 24. — [2] Hos., VI, 2, 3. — [3] Ad litt.: caelitus edoctus sum. — [4] B, D et E: 'Asṭātyūs; C: 'Ausṭātyūs.

communicandis asseclis eius, qui erant Eusebius [1] nicomediensis, Theognostes (Tāwoġnosṭos) [2], Nicaeae episcopus, et Eusaphius ('Awsāfyūs), episcopus caesariensis. Dein, per Spiritum sanctum qui ipsi inerat, eam fidem professus est quam ceteri patres professi sunt, canonesque condidit *et leges p. 283. quae in ecclesiis christianorum collectae exstant. Sed aliquanto tempore postquam, sacro concilio disperso, patres ad suas sedes reversi sunt, profecti sunt illi pseudoepiscopi excommunicati, specie *viatorum* Hierosolyma tendentium, et, cum Antiochiam devenissent, mulierem quamdam meretricem convenerunt, quam promissa pecunia induxerunt ut, ecclesiam ingressa, affirmaret hunc patrem cum ipsa fornicatum esse, et infantem quem habebat ex ipso susceptum. Quae, pecunia accepta, id fecit quod sibi ab istis praescriptum. Dein, fingentes illi fidei osores, se mulierem mendacii accusare et causam sancti tuendam suscipere, ipsam mulierem sic compellarunt: « Quodnam affers testis veracis argumentum. Tuum de illo testimonium non admittetur, nisi manu Evangelio imposita iuraveris quae in hunc patrem protulisti vera esse. » Iuravit autem meretrix, prout ei persuaserant illi heterodoxi. Cui tunc dixerunt: « Post iuramentum, nullus relinquitur dubitandi locus. [3] » Tum, sententia dicta de hoc patre e sede patriarchae deponendo, rem mandarunt ad imperatorem Constantinum, cuius animum in illum huiusmodi dictis concitarunt: « De isto coactum est concilium sacerdotum, qui eundem deposuerunt. » Quare legatis missis imperator eum deposuit atque in fines Thracum (el-'Atrākes) eiecit, ubi ad quietem vocatus est. Vae igitur atque iterum vae illorum *scelestorum* animabus! Ipsi enim prava sua fide Dei Filium a divinitate excluserunt; hunc sanctum e principatu deturbarunt per sermones mendaces et malignos, quos machinati sunt, edocti a patre suo Satana; tum societatem inierunt cum meretrice, quam induxerunt ut meretricio crimen adderet huic patri flagitium falso imputandi, et ista iuramentum falsum manu Evangelio imposita emisit. Verum Deus neque huius *mulieris* neque illorum *scelestorum* oblitus est. Mulier enim, sancto in exsilium misso, diuturno morbo laboravit, adeo ut, dissoluto corpore, phantasmati si-

[1] B: 'Ausānyūs; C: 'Ausāfyūs. — [2] B et C: Tāwoġonos. — [3] Ad litt.: nihil reliquum est. — [4] Ita ex cod. C; A: el-'Irākes; B: el-'Abrākes.

milis evaserit. Unde intellexit sese in hunc morbum non aliam ob causam incidisse nisi propter falsam criminationem qua sanctum impetiverant; eamque morbus ingravescens coegit ad confitendum coram urbis civibus, sanctum nullam fornicationis culpam secum admisisse, sed ab illis heterodoxis se data pecunia in-
p. 284. ductam *ut eum mentiendo accusaret; sibi enim, postquam rem habuerit cum viro cui, non secus ac sancto, nomen Eustathius, ab iisdem heterodoxis persuasum ut iuramentum emitteret, intra mentem intellegendo et significando virum quocum peccavisset, quamvis hominibus videretur nomen sancti exprimere. Itaque sacerdotes antiocheni, qui huius sancti nomen e *precibus* missae deleverant, idem deinceps iterum memoraverunt. Inclitum hunc sanctum Eustathium sanctus Iohannes Chrysostomus laudavit concione quam in honorem eius, festo ipsius die, habuit.

Precum ipsius benedictio nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus octavus.

Hodie martyrium passus est sanctus Theodorus Graecus (er-Rūmī). Is fuit unus ex civibus urbis 'Asṭīr, [1] temporibus duorum imperatorum infidelium Maximiani (Maksīmānūs) et Maniani (Manyānūs) [2]. Ad quos cum rumor perlatus esset, sanctum hunc suae impietati non consentire, cum arcessiverunt, idola ei proposuerunt veneranda; renuentique praemia multa promiserunt. Sed, cum illorum dictis non cederet, iusserunt eum variis cruciari tormentis: equuleo, membrorum discissione, ignis admotione; dein flagris eum dilaniarunt. Haec autem omnia patienter sustinebat ex amore Christi Domini, qui eum confortabat. Posthac eius caput acie gladii absciderunt, et martyrii coronam in caelis adeptus est.

Precum ipsius benedictio nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies vigesimus nonus.

Hodie martyrium passus est sanctus Polycarpus [3]. Qui cum urbi Smyrnae munere episcopali praeesset, sedem diu tenuit,

[1] Ita ex B, C, D; A: urbis Romae 'Asṭīr (?). — [2] B: Matyānūs; C: Mabyānūs. — [3] B, D et E: Būlīkāryūs.

adeo ut ad provectam pervenerit senectutem et celeberrimus factus sit. Multas commentationes conscripsit et complures tractatus de nativitate sancta, de morte, de inferno et de tormentis quibus afficientur *peccatores, de alma Virgine Maria, de con- p. 285.
siliis et regimine Salvatoris, de doctrinis fidei. Vivificis suis praedicationibus animas multas Deo conciliavit et, tempore persecutionis desaevientis, exoptans sanguinem pro Christi Domini nomine profundere, populum suum adhortatus est atque incitavit ut in sancta fide orthodoxa perseverarent, affirmavitque eos faciem suam non iam visuros, sibi enim in animo esse sanguinem suum fundere. Qui, flentes et eius discessu maerentes, ei responderunt: « Non sinemus, pater, nos a te orphanos relinqui; animas nostras pro te trademus. » Verum ab iis detineri non potuit, sed egressus praefectum adiit, a quo, nomen Christi Domini confessus, variis affectus est tormentis. Porro ei dicebant: « Te tui misereat, qui senex grandaevus es »; eumque populus orabat atque obsecrabat ut ex urbe egrederetur. Quibus morem gessit clam egrediendo. Illa vero nocte, visione donatus hominis qui ipsum admonuit consilii quod *paulo ante* ceperat, regressus est et sese praefecto exhibuit, a quo decollari iussus, coronam vitae in regno caelesti est consecutus. Sacrum eius corpus, a quodam fidelium acceptum, rite, ut episcopos decet, sepultum est et tumulo reconditum.

Precum ipsius benedictio nobis adsit. Amen.

Mensis 'Amšīr dies trigesimus.

Hodie inventum est caput prophetae sancti et incliti Iohannis Baptistae. Haec autem illius inventionis enarratio. Herodes rex, postquam sanctum Iohannem decollari iussit et sacrum caput ad ipsum allatum est, quasi ostendens facti se paenitere, *idem* caput in suis aedibus asservavit. Porro ei forte succensuit [1] Aretas socer, cuius filia repudiata, Herodiadem, fratris sui uxorem, sibi acceperat. Cum enim filia *patrem* convenisset et flens coram eo iniuriam sibi illatam conquesta esset, ille, ut ultionem exigeret, comparato exercitu, Galilaeam invasit ac plerasque huius partes ferro et igni populatus est. Imperator Tiberius Caesar, cum rei certior factus esset et cum causam

[1] Verbum hoc ex contextu suppletur.

nosset irruptionis Aretae, Herodi infensus eo quod, prophetam in popularium existimatione venerandum occidendo et fratris sui uxorem sibi assumendo, socerum ad iram provocavisset et Galilaeae vastandae locum dedisset, misso nuntio illum una cum Herodiade Romam arcessivit, sacro capite ab Herode prius
p. 286. *in propriis aedibus sepulto. Ad se advenientem Tiberius principatu et rebus omnibus quas possidebat exuit atque in Andalusiae fines eiecit, ubi mortuus est; tum missis satellitibus illius domum evertit, quae remansit documenti instar omnibus spectantibus, tecto portisque prorsus nudata, viatoribus pervia. Contigit autem, et quidem post annorum intervallum, ut duo viri, divitiarum egeni, sed operibus *bonis* locupletes, iter facerent Hierosolymam, adorationis et ieiunii sacri ibi persolvendi causa, tendentes, et hora vespertina in domo illa diruta, quae fuerat Herodis infidelis, deversarentur. Uni eorum sanctus in somnis apparuit et, proprio nomine revelato, capitis locum indicavit, praecipiens ut hoc domum asportaret. Qui expergefactus rem quam viderat cum socio communicavit: tum ambo surgentes et locum sibi a sancto demonstratum adeuntes, fossa percussa, vas fictile obsignatum invenerunt, quod, cum aperuissent, iis emissus est aromatis pretiosi ac succino fragrantioris odor; tum, sacrum caput intuiti et benedictionem ab eo sibi adprecati, id iterum vasi mandarunt, hocque occluserunt, quale prius fuerat. Dein caput domum secum vir attulit ac domi in arca depositum magno in honore habuit, lampade ante illud suspensa. Morti autem proximus, sororem suam, mulierem sanctam, rei certiorem fecit, quae et ipsa caput honore prosecuta et lampade ante idem accensa venerata est. Neque desiit *caput* ab alio ad alium transferri donec ad virum arianum, erroribus Arii addictum [1], devenit, qui miracula e capite prodeuntia coepit sectae Arii adscribere. Quare illud sanctus in potestatem cuiusdam tradidit, qui id e *priore* loco abstulit; et *novus* locus ignotus remansit quoad, temporibus Cyrilli episcopi hierosolymitani, et Marciani (Martyānūs) episcopi emiseni [2], sanctus Marciano in somnis apparuit et capitis latebram indicavit. Quo se conferens ille caput inde extraxit die mensis bošons trigesima. Haec tamen est inventio altera; prior quippe die mensis ʾamšīr trigesima evenit ac recolitur.

[1] Sic, pleonastice. — [2] Ita ex B et C; A: Cyrilli episcopi emiseni.

Benedictio et intercessio viri sancti puri et virginitate conspicui, Iohannis Baptistae, nobis adsint, nosque ab hoste maligno ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

---

*Cum bona pace Domini finis fiebat describendi partem p. 287.
priorem sacri Synaxarii hora vespertina feriae quartae benedictae, die vigesima septima mensis kīhak, *unius* ex mensibus anni 1430^{t} aerae purorum ac sanctorum martyrum, quae quidem dies eadem est cum die decima septima mensis el-ḥuǵǵah anni 1125^{t} hegirae arabicae [1]. Amen.

Amanuensis infirmus, peccator, tenuis, contemptibilis, piger, Abrahamus Solimanus en-Naǵǵār [2], nomine diaconus, patria el-Mirensis (el-mīrī), qui habitat Miṣri, in urbe recte custodita, in vico el-Ǵamālah et in via Ṭīlūn, caritatem patrum et fratrum fidelium, qui has paginas debiles legerint, supplex exorat, ut sibi peccatorum suorum multorum veniam exposcant. Quicumque mendum sibi occurrens correxerit, ei vitam terrenam et futuram Dominus Deus corrigat; et si quis quidquam *utile* protulerit, merces ei retribuatur, ut benignus Salvator noster in Evangelio suo promisit, videlicet, loco unius, triginta, sexaginta, centum: et qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. Gloria Deo perpetua, perennis, aeterna! Amen.

Pro viribus perfecta est collatio atque emendatio.

[1] Respondet diei 7 ian. A. D. 1713. — [2] Appellationem Naǵǵār tanquam cognomen stirpis proprium interpretor, cum non verisimile sit ea hoc loco designari, quae est eius vis primigenia, fabrum lignarium vel materiarium.

CORRIGENDA IN TOMO I TRANSLATIONIS.

Pag. 13, lin. 32, pro Yanmūnṭānūs, lege: Nīmūnṭānūs, h. e., asseclas **Montani**;

pag. 14, l. 26, pro Domini, lege: angeli Domini;

pag. 100, l. ult., pro imperatore, imperatori;

pag. 209, l. 34, pro الامابر, الامابر.

Pag. 225, notulae 4 haec adde: Quae autem lacunam subsequuntur videntur pertinere ad martyrium SS. Mār Bahnām et Sarae, de quo cf. infra, pag. 231.

Pag. 244, notula 2 sic corrigenda: التراج, quae vox non hoc tantum loco, sed etiam ad diem 21um huius mensis et ad 21um mensis ṭūbah, edit. arab. pagg. 348 et 402, occurrit. Sicut autem eo nomine vestem aliquam designari ex sermonis in tribus locis compage atque contextu perspicuum est, ita de quonam vestis genere agatur incertum prorsus.

Sigla codices designantia:

A = Vatic. Arab. 62, 63.
B = Paris. Arab. 256.
C = Paris. Arab. 4779, 4780.
D = Vatic. Arab. 64, 65.
E = Bibl. Nation. Florentinae 32, 33.
F = Bibl. Florent. Palatinae CXV, CXVI.
G (G′) = Paris. Arab. 4869, 4870.
H = cod. Tubingensis, VI, 226.

PARTIS PRIORIS

INDEX CHRONOLOGICUS

(Index alphabeticus totius Synaxarii ad calcem t. XIX reponetur)

I. — MENSIS ṬŪT.

II. — Mensis babah.

III. — Mensis hatū...

IV. — Mensis kīhak.

V. — Mensis Ṭūbah.

VI. — Mensis 'Amšīr.

Lege, pag. 4, lin. 24, pro سميا, [illegible]; pag. 9, l. 16, pro وصمع, وسمع; pag. 11, l. 17, pro يمونطانوس, نيمونطانوس; p. 12, l. 4, pro ونوربوس, وانوربوس; p. 29, l. 19, pro ملكو, ملك. — Eiusdem pag. 29 notula 5 sic corrigenda: Ita codd. ad unum omnes. Q[illegible] si cui mira videatur, apprime tamen intellegitur ex [illegible] curio occurrunt infra, pag. 101. — Lege, pag. 51, l. 8, pro قسطنطينوس, قسطنطينيوس; p. 56, l. 2, pro تسعة, ستة; p. 79, l. 6, pro المرأة, للمرأة; p. 96, l. 16, pro نور, ثور; p. 106, l. 16, pro 21, 12; p. 110, l. 19, [illegible] et, in extrema linea, lege: disceptatiuncula deest; p. 115, l. [illegible] الشطني, الشطبي; p. 115, l. 17, pro اغريفوريوس, اغريغوريوس; p. 124, l. 1, pro مرتايقص, مرتا بقصر; p. 128, l. 22, pro وتكرهه, وتكرّهه; p. 137, l. 1, pro فانشقت, فانشقّت; p. 142, l. 11, pro شار, اشار; p. 150, l. 15, pro ابو سنودة, ابو شنودة; p. 158, l. 16, dele signum]; p. 159, l. 10, pro فوعظ, lege فوعظه; p. 167, l. 17, pro الامة, لامه; p. 171, l. 17, pro من, النبي; p. 183, l. 18, pro وكان, كان; p. 184, l. 13, pro غدّة, عدّة; p. 194, l. 2, pro متروجًا, متزوّجًا; p. 194, l. 9, signum] voculae لم postponendum; p. 199, l. 15, pro بقصية, lege بقضية; p. 210, l. 22, pro ٢٠٧, ٢٠٨; p. 220, l. 18, pro شاس, شباس; p. 221, l. 1 et l. 6, pro بشاس, شباس; p. 221, l. 2, pro سبعماية, تسعماية; p. 238, l. 17, pro بمومية, بموية; p. 242, l. 10, pro رجه, وجه; p. 291, l. 15, pro تهدي, تُهدَى; p. 291, l. 19, pro اهدي, اهدى; p. 293, l. 5, pro علّم, علم; p. 300, l. 17, pro الطهر, الطهرة; p 304, l. 14, pro بعجيك, يعجيك; p. 304, l. 16, pro فشهي, فسهي; p. 311, l. 11, pro بكنيسة, بكتيت; p. 313, l. 21, pro شحّ, شبح; p. 316, l. 9, pro علي, على; p. 317, l. 1, pro زاكي, ذاكي; p. 317, l. 18, pro فنشطوا, فنشّطوا; p. 322, l. 11, pro رصل, وصل; p. 323, l. 14, pro بالقرموشي, بالقرموسي; p. 326, l. 4, pro الملمك, المملّك; p. 335, l. 25, dele coniecturam inter uncos appositam; cui haec sufficienda: Verisimiliter a radice مسح, quae valet et «radere, abscindere»; p. 344, l. 14, pro هدا, lege هذا; p. 349, l. 19, pro الفلزم, القلزم; p. 350, l. 7, pr[illegible] l. 17, pro كثرة, كثرة; p. 351, l. 14, pro [illegible] p. 351, l. 23, dele notulam 1); p. 35[illegible], l. 5, pro [illegible]

p. 361, l. 8, pro وصلّي , وصلّى ; p. 367, l. 10, pro فاسمى , فامسى ; p. 369, l. 21, pro narrattione, narratione ; p. 369, 23, pro fut, fuit ; p. 372, l. 10, pro نطر , نظر ; p. 373, l. 17, pro ىلك , تلك ; p. 381, l. 15, pro اتبصريه , تبصريه ; p. 382, l. 17, pro كثرة , كثرة ; p. 389, l. 21, pro فتمبّزت , فتميّزت ; p. 399, l. 1, pro الاعجوعية , الاعجوبة ; p. 403, l. 6, pro ردخل , ودخل ; p. 409, l. 5, pro المصوم , الصوم ; p. 417, l. 16, pro مقدّه , مقدّم ; p. 418, l. 12, pro ستانينه , بستانينه ; p. 42?, l. 12, pro المطالة , المطالعة ; p. 424, l. 15, pro مدّه , مدّة ; p. 427, l. 14, dele tria haec verba : وقال له ظمع ; p. 429, l. 6, pro نميره , lege ضميره ; p. 433, l. 15, pro ويا , يا ; p. 443, l. 17, pro مما , ما ; p. 443, l. 19, pro اعلم , علم ; p. 444, l. 18, pro انها , اننا ; p. 447, l. 4, pro يكيت , بكيت ; p. 455, l. 19, pro لهما , لها .

Ad calcem voluminis arabici hoc folium reponi poterit.

132 / Subsid... 1952. xi...
mentaire. R. Hespel, ...
133 / Syr.68. R. Hespel, ...
134 / *Syr.69.* L. Th. Lefort, *Les Pères Apost...*
135 / Copt.17. vol. 136.
136 / *Copt.18.* L. Th. Lefort, ***Les Pères Apost...***
vol. 135.
137 / Arm.1. L. Leloir, ***S. Ephrem.*** *C...*
nienne. 1953. xi-364 p. — V : ...
138 / Aeth.31. V. Arras, ***Miraculorum...***
ii-114 p. — V : vol. 139.
139 / *Aeth.32.* V. Arras, ***Miraculorum...***
i-67 p. — T : vol. 138.
140 / *Syr.70.* R. M. Tonneau, ***S. Cyrilli Alexan...***
235 p. — T : vol. 70.